DIL

HER

ODITE

VII


REALE ACCADEMIA DELLE SCIENZE DI TORINO
C2 VI 35



OPERE EDITE ED INEDITE

DEL CARDINALE

GIACINTO SIGISMONDO GERDIL.

OPERE

EDITE ED INEDITE

DEL CARDINALE

GIACINTO SIGISMONDO GERDIL

DELLA CONGREGAZIONE DE' CHER. REG. DI S. PAOLO.

VOLUME VII.



FIRENZE
PRESSO GIUSEPPE CELLI
1850.

THEOLOGIAE MORALIS

LIBER I.

TRACTATUS DE ACTIBUS HUMANIS

PRAEFATIO

Praecipuum totius theologiae moralis fundamentum in tractatu de actionibus humanis positum esse constans est doctorum sententia; resque satis ipsa per se patet. Quid enim est theologia moralis, nisi disciplina, quae ex principiis divinitus patefactis viam, ac rationem tradit humanarum actionum sic regendarum, ut consentaneum est ad supremum bonum, finemque bonorum consequendum? Ut proinde actiones humanae sint ei disciplinae velut subjecta materia, quam tractet, et in qua versetur, quibus propterea ignoratis, nec satis firme constitui sanctissima disciplina possit, nec satis ex ordine procedere. Et quidem quod theologia moralis nitatur principiis divinitus allatis, a quibus digressa nominis dignitatem amittat necesse est, ex eo efficitur non alios eam locos habere posse, e quibus argumenta sua depromat, quam qui sunt omnis theologicae institutionis proprii, a quibus licet morales theologi nec pauci, nec ignobiles scripturarum suarum exordium ducant, multumque temporis, et operae in eorum explicando usu insumant, nos compendio plane ut possumus, vestraeque utilitati admodum per nos consultum fuisse arbitrabimur, si nobis hortantibus, ut facimus, quae de illis a doctissimo praeceptore, plena, et perfecta tractatione vobis tradita sunt, et diligentissime recognoscatis, et penitus animo imbuatis. Istud vero animadvertendum ante omnia censemus, quum inter illas argumentorum sedes suus etiam sit rationi, et phi-

losophiae locus, nullam esse partem theologiae moralis, quae majora inde adjumenta, et praesidia capiat, quam quae est de humanis actionibus explicandis. Docent quidem sacrae litterae praecepta fuisse à Deo imposita moderandis actionibus, quae voluntarie, et libere fiunt, et imperantur, quaeque his conditionibus careant; eas nec ad laudem, et praemium, nec ad culpam, et poenam verti posse. At quid sit voluntarium, ac liberum non plane intelligi potest, nisi perspecta fuerint naturalia principia, quibus voluntarium, ac liberum efficitur et constituitur, ipsaeque adeo rationis, et voluntatis facultates duce philosophia evolvantur, earumque vis, natura, et progressiones accurata et subtili disputatione aperiantur. Nec vero ipsum de recte factis, et peccatis judicium sive quae ex officii ratione, sive quae pendent ex voluntate ipsa, et animo facientis, aut satis prudenter ad sacra oracula exigi poterit, aut ad singulares actiones aestimandas accommodari, nisi omnia diligenter, ac distincte, notaveris, quibus conflatur actionis honestas, aut vitium, noverisque, quid iisdem bonitatis accedat, aut pravitatis sive ex subjecta materia, sive ex proposito fine, sive ex adjunctis, quibus circumscribuntur; quin etiam ut constituatur, quale nam illud esse debeat de agendis judicium quod conscientia vocatur, ex qua quidquid non est, peccatum est, multa sunt enucleate disserenda de ipsa judicii natura, deque argumentis, quibus nititur aut certis, aut probabilibus, quae quo sunt abstrusiora, pluribusque difficultatibus involuta, plus etiam rectae rationis lumen desiderant, ut ex circumfusis tenebris emergant aliquando, atque in aperta veritatis luce collocentur. His porro pertractandis, quum animum adjungeremus, spinosiora quaedam nobis consectanda fuerunt initia hujus disciplinae, multoque plura ex his ratione concludenda, et in singulares quaestiones derivanda, quam antea fecimus, quod qui repre-

hendere volent, quibus non placet subtilitas illa, quam severioribus disciplinis dignissimam Tullius judicabat, sciant nobis paratum esse cum exemplum theologorum principis, tum ejusdem auctoritatem, in qua delitescamus, nosque adversus eorum reprehensiones tutemur. Quamquam et ipsam perfecti doctoris ab apostolo expressa forma, et effigies, nimirum ut sit potens exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt arguere, *unumque admonet, haud satis esse viro thelogo commendare fideliter memoriae, quae sibi velut imperentur ad respondendum, sed omnino intrandum in principia, et abdita suae disciplinae: longe quippe haec duo differunt inter se, responsorum summam colligere, et respondendi artem percallere. Habet illud quidem suam utilitatem, estque multo expeditius: at qui longius non progrediuntur, his evenire solet, ut mutatis rei conditionibus, quae infinite variari possunt, continuo haerere incipiant, aut si quid vel verum casu protulerint, nec id apte probare, nec ab objectis vindicare queant. Uno verbo memoria multas potest notitias colligere, sed velut dissipatas, nulloque nexu cohaerentes: sola intelligentia ex certis principiis profecta nectere illas valet, atque in ordinem adducere. Illis porro est satisfaciendum, qui majorem, quam adhibuimus in scribendo elegantiam requirent, aut scholasticis formulis commoti sermonem nostrum, ut barbarum, hujusque politioris aetatis felicitate indignum contemnent. Licet illis judicio suo uti. Nobis videtur non magnae facultatis esse scholasticas formas latinorum verborum circuitione latinas reddere: sed etiam puerile visum est velle per latinas ambages rebus dicendis perspicuitatem adimere: illud vero theologo prorsus indignum ea quasi peregrina vocabula horrere, et refugere, quae in ipso theologiae solo nata sunt, habentque a longo scholarum usu commendationem. Nostris demum disputationibus il-*

lud semper moderabitur praeceptum Augustini sapientiae plenum, et moderationis lib. 1. *cont. litt. Petit cap.* 27. Diligite homines, interficite errores, sine superbia de veritate praesumite, sine saevitia pro veritate certate. *Cavebimus proinde, ne umquam aliquod nobis excidat, aut inclementer, aut invidiose dictum adversus catholicos scriptores, quibus doctrinae, et pietatis laudem facile concedimus etiam quum ab illorum opinionibus recedimus. Quem animum partium studio prorsus vacuum, quum, exacto curriculo, nisi nos admodum fallimus, summa fide praestiterimus, eumdem nunc majore cum fiducia nobis polliceri posse videmur. Hic superest, ut laboribus nostris pro vestra utilitate susceptis, vestram, studiosissimi auditores, diligentiam, ac solertiam adjungere velitis.*

TRACTATUS

DE ACTIBUS HUMANIS

PARS PRIMA

De natura ac principiis humanorum actuum.

Quae sit humanae actionis natura, et conditio non ante comprehendi potest, quam sit humanus agendi modus probe cognitus, et perceptus. Est autem homo sic natura comparatus, ut quum aliqua se menti ejus offert boni, seu convenientis rei species, sive haec per sensus in animum incurrat, sive cognitione tantum percipiatur, et intelligentia, ea specie commoveatur appetitio naturalis ad illud bonum expetendum, quumque animus, aut cognitione, aut quocumque judicio comprobaverit ejus rei convenientiam, quae prima impressione appetitionem commovit, tum ipse vim exerat sibi propriam, et insitam, qua intendit se se in rem illam, ut consequendam, movetque se se ad vias ratione inquirendas, quibus ad id perveniat, tum ad illud eligendum, atque adhibendum, quo ad rei expetitae consecutionem compendio ducere videatur.

Quidquid convenientiae speciem quamdam praesefert, qua hominem conservare, perficere, vel delectare posse videatur; id *bonum* dicitur seu *verum*, seu *simulatum:* proutque movet appetitionem dicitur *finis.* Quae assumuntur ad finem consequendum vocantur *media.* Quum homo sit ipse sibi natura conciliatus ad se, suumque statum diligendum, consequens est, ut se suasque partes omnes caras habeat, et eo quidem cariores, quo perfectiores sunt, et laudabiliores. Atque hinc fit, ut quum naturaliter homo cumulatam sui perfectionem appetat, naturaliter feratur in id, quod boni speciem, seu convenientem rationem quamdam praesefert, in idque propterea tendat, ut in finem; et propter eamdem rationem naturali appe-

titur velut ultimum finem id bonum appetat, quod spectat, ut perfectum bonum, quod ipsum numeris omnibus explere valeat. Naturalis igitur appetitus est, quo homo tendit in suam beatitudinem, seu in tale bonum quo perfici cumulate possit. Nam si quod aliud bonum proponitur a boni perfecti ratione deficiens in id quidem moveri poterit naturalis appetitus, sed ut in incohationem quamdam boni perfecti, quo beatitudo continetur. Jam vero quum bonum quodlibet sibi objectum animus ratione, vel cognitione quadam propria intellectus recognovit, in eoque convenientiam deprehendit, tum ea facultas, quae movet se se ad illud expetendum, et consequendum, dicitur appetitus rationalis, qui proinde non alius esse videtur, quam ipse naturalis appetitus, prout rationem, vel intelligentiam sequitur, isque rationalis appetitus proprie dicitur voluntas: animus porro intentus in finem movet sese ad inquirenda media, quibus eum consequi possit. De iisdem ratione deliberat, quod praestabilius visum fuerit assensu suo, et judicio comprobat, idque prae aliis eligit, atque adhibet, ut finem adipisci, eodemque frui possit, atque haec propria est hominis agendi ratio. Nam quae sunt vitae, et sensus expertia actiones quidem exerunt, quae pertinent in aliquem finem, sed ita, ut ab intelligente principio in finem dirigantur, non ipsa se se dirigant. Brutae vero animantes, quamquam sensu praeditae vulgo putentur, non iis tamen concedi potest ex D. Thoma, ut finem ipsum prout finis est, perspiciant, nec mediorum ordinem ad finem, sed ipsa objecti convenientis specie prorsus impellantur, ut agantur potius, quam agant. His porro ex D. Thoma strictim collectis, ad actus humani notionem evolvendam gradum facimus.

QUAESTIO PRIMA.

Actus humani definitio, et divisio, ratioque voluntarii explicatur.

CAPUT I.

Quid sit actus humanus, et quotuplex.

Qui actus hominis est humano modo agentis dicitur actus humanus: qui est hominis quidem, non tamen agentis ut homo est, velut si quis totus in gravi cura, et cogitatione defixus pedem agitat, vel manum, is dicitur actus hominis simpliciter, nec ad moralem institutionem pertinet. Actus porro humanus definitur, *qui ex deliberata voluntate procedit, seu ex rationis judicio, et voluntatis electione.* Nam ille actus est propriae humanus, per quem homo in agendo diferre intelligitur a naturis inferioribus, seque in finem ducere, non agi tantum, et impelli. Hoc autem convenit homini prout actus ipsius, in imperio ejus, et potestate positi esse intelliguntur; haec vero potestas ex eo nascitur, quod actus rationi subsit, et voluntati. Merito igitur actus humanus definitur, qui procedit ex deliberata voluntate.

Neque ad hanc explicationem convellendam vim habet, quod actus ridendi, flendi, loquendi, etiam quum impetu quodam exprimuntur rationis deliberationem omnem antecedente, sunt actus hominis proprii, nec tamen humani dici possunt. Tales enim actus, velut et cogitationes rationis deliberationem praevenientes dicuntur proprii hominis, quatenus humanae tantum naturae convenire possunt, non reliquis animantibus, minime vero sunt proprii hominis, quod attinet ad modum, et rationem agendi hominis propriam. Itaque quod homo perturbatione aliqua concitatus motu subito consilium omne praevertente erumpat in actum aut ridendi, aut loquendi, in eo quidem elucet aliquid proprium naturae hominis, quia nullum aliud animal praeter hominem potis est ridere, aut loqui: at non se prodit modus agendi hominis proprius, quia erumpere in actum ex concitato quodam impetu sine

consilio, et deliberatione modus est agendi communis etiam reliquis animantibus.

Major occurrit dubitandi ratio de actu visionis beatificae, deque amore, et fruitione ex ea consequente. Quippe illi actus non sunt ex deliberata voluntate: neque enim qui Deum videt deliberare potest utrum Deus sibi sit amandus, necne, sed necessario amore ipsi adhaeret. Atqui tamen absonum videtur humanas non dici, quae sunt perfectissimae hominis actiones. Verum clarissimi thomistae fatentur illas actiones humanas quidem esse quoad substantiam, non quoad modum, eo quod licet procedant ex nobilioribus hominis facultatibus, non tamen procedunt secundum modum agendi proprium solius naturae ratione utentis, videlicet liberae.

Et quidem nonnullis paulo asperius videtur excidere ex humanarum actionum numero amorem Beatificum, actionem non modo propriam, verum etiam praestantissimam naturae ratione utentis. Absit vero ad hoc incommodum cavendum, ut auctori *ethicae amoris* assentiamus, cujus sententia *amor beatificus non desinit esse perfecte liber, tametsi non sit indifferens.* Nam quamquam vox ipsa libertatis multis est significationibus affecta, certe ubi deest indifferentia non ea libertas habetur, qua fit, ut actus sit in hominis imperio positus, quae sequitur deliberatam rationem, quamque D. Thomas ad actus humani naturam constituendam requirere videtur. Potius ergo dicendum videretur actum illum proprie humanum etiam quoad modum appellari posse, quo voluntas inhaeret fini, cognito ut fini. Nam ex D. Thoma hoc etiam est proprium hominis, ut homo se in finem: moveat, eumque amplectatur cognitum ut finem: bruta autem moveant se se in finem, sed non sub ratione finis. Jam per amorem beatificum homo inhaeret Deo cognito ut fini. Quare latiore quadam ratione posset actus humanus definiri, *qui procedit secundum modum cognoscendi hominis proprium*, vel brevius etiam, *qui procedit ex cognitione finis.* At vero quum excepto amore beatifico, et eo voluntatis actu, quo quisque suam beatitudinem expetit, reliqui omnes actus humani, qui subsunt morali institutioni, procedant ex deliberata voluntate, vix necesse videtur a communi, et vulgata definitione discendere.

Actus autem dupliciter humanus dicitur, vel, ut loquitur D. Thomas 1. 2. quaest. 1. Art. 1. ad 1. Actio humana du-

pliciter est voluntaria, vel quia imperatur a voluntate, ut ambulatio, sermo; vel quia elicitur a voluntate, ut ipsummet velle, ut amor virtutis, electio unius medii prae alio. Ex quo intelligitur qui sit actus humanus elicitus, quem nimirum voluntas exerit, ut propriam nativamque actionem; qui vero actus imperatus, ille scilicet, qui ex voluntatis imperio, per quamlibet facultatem exercetur. Actus imperati alii sunt interiores, alii externi, prout interiorem facultatem, velut intellectum, et phantasiam, aut externam voluntas applicat ad agendum. Ex actibus humanis alii spectant in finem ipsum, alii in media, quibus acquiri finis potest. In finem pertinent volitio, seu simplex voluntas, intentio, fruitio: in media vero consensus, electio, et usus: volitio dicitur, qua objectum propositum nobis placet, ejusque specie delectamur, quin tamen de illo assequendo cogitemus. Sic hominibus ignavis, et desidiosis placet aeterna gloria, quae per fidem proponitur, etiam quum abhorrent a mediis capiendis, quibus eam consequi valeant. Intentio est actus voluntatis, quo non simpliciter se se oblectat animus cogitatione boni propositi, sed in eum fertur, ut obtinendum per opportuna media. Fruitio est actus voluntatis, quo in bono adepto quiescit, et delectatur. Consensus est actus voluntatis, quo se se animus adjungit ad media, quae consilio, et deliberatione apta noscuntur ad finem consequendum, eademque probat, et sequenda decernit. Electio est ejusdem facultatis actus, quo non solum generatim probat media, sed unum decernit prae alio assumendum. Usus denique, quo ipsum medium assumit applicando alias potentias ad ejus executionem. Sed de his satis.

CAPUT II.

De fine, et Causa humanorum actuum.

Finis dicitur, id cujus gratia fit aliquid, quo uno perspicue intelligitur, quemadmodum finis causam humanis actionibus praebeat.

Multiplex est finis divisio ex D. Thoma: nam I. Finis dicitur et res ipsa, in qua elucet boni species, et ejusdem rei adeptio. Sic finem avari dicimus non solam pecuniam, in quam toto affectu inhiat, sed etiam ipsius pecuniae possessionem,

usum, et fruitionem. Atque hic est diligenter notandum, quod recte animadvertit Silvius, finem, ut res est, et ut est adeptio rei, non esse duos hominis fines simpliciter, sed unum, eumdemque finem componere quasi duas partes, et conditiones ipsius: quippe manifestum est, et pecuniam, et pecuniae possesionem non quasi duo distinta, et separata bona, sed instar unius ejusdemque finis avaro propositam esse.

II. Finis alius est operis, alius operantis: finis operis est, ad quem opus ex natura sua refertur: finis operantis, quem agens sibi consequendum proponit. Sic in aedificanda domo finis operis est habitatio: at qui aedificat non habitationem quandoque, sed pensionem ex domo exigendam sibi proponit.

III. Finis alius est ultimus, ad quem omnia referuntur, ipse vero nusquam: alius finis non ultimus, qui sic expetitur, ut ad alium finem referatur.

Jam de fine multae, gravissimaeque quaestiones proponuntur, utrum sit aliquis ultimus finis humanae vitae, et quinam sit. Secundo, num quidquid homo agit, in id moveatur appetitione ultimi finis. Tertio, utrum homo plures ultimos fines sibi propositos habere queat. Atque ex his quaestionibus, quae propius pertinent ad actus humani naturam probe intelligendam, aliae pendent maximi momenti, nimirum quemadmodum fiat, ut peccator ultimum finem in creatura constituat, quod quidem certissimum est, sed non omnes bene intelligunt, tum etiam hae, quae magnopere faciunt ad actiones humanas moderandas, utrum, et quomodo debeat homo suas omnes actiones referre in ultimum finem, et quemadmodum ipsi actus humani speciem sumant ex fine, sed haec duo postrema ita sunt cum moralitate actuum humanorum conjuncta, ut eorum explicatio in eum locum rejicienda videatur. Quare hoc loco prima tantum capita, quam breviter fieri poterit, perstringimus.

PROPOSITIO I.

Felicitas, atque adeo bonum quo felicitas continetur finis est ultimus humanae vitae.

Prob. Finis ultimus humanae vitae merito dicitur, qui sic est accommodatus naturali vi appetendi, ut eo nondum ade-

pto nequeat homo ab eo expetendo cessare. Sic autem illam explet, ut quum ad illum perventum fuerit nil ultra desiderandum supersit; unde, quem scholastici ultimum finem dicunt, D. Augustinus post Tullium finem boni, seu bonorum appellat, finem scilicet boni, non quo bonum desinit, ita ut non amplius sit, sed quo bonum perficitur, ut plenum sit, lib. 12. de civ. dei cap. 10. Atqui talis est felicitas; nam ut ait idem Augustinus lib. 13. de Trinitate cap. 4. *Pro verissimo, certissimoque posuimus beate vivere omnes homines velle.* Et infra: nec « de hoc academicus ille Cicero dubitavit, qui quum vellet in « Hortensio dialogo, ab aliqua re certa, de qua nullus am« bigeret, sumere suae disputationis exordium: *Beati certe*, « inquit, *omnes esse volumus* ». Obtenta vero felicitate nil amplius desiderandum superest, siquidem est felicitas bonum perfectum planeque sufficiens, ut ait Arist. lib. 1. Ethic. cap. 7, notatque id ab omnibus esse concessum. Ergo etc.

Hic autem est animadvertendum cum D. Thoma hac quaest. 1. art. 7. ultimum finem spectari posse vel communi quadam ratione boni summi, quodcumque tandem illud sit, quod valeat cumulate hominem perficere, vel ratione determinati objecti, in quo insit haec ratio summi boni. Et quidem felicitatem illa communi ratione spectatam omnes homines communiter expetunt: omnes enim volunt suam perfectionem adimpleri. At quantum ad id objectum in quo insit summi boni vis, et praestantia, saepe contingit, ut in eo constituendo, sive propter ignorationem, sive propter pravas cupiditates homines aberrent. Quare quidam divitias expetunt, ut perfectum bonum, alii honores, voluptates corporis alii consectantur.

Revera tamen solus Deus optimus maximus illud est excellens bonum, cujus perspicua cognitione, et fruitione homo cumulate perfici queat, ejusque felicitatis amor omni ex parte satiari. In quo argumento, quum diutius pro angustiis temporis immorari nequeamus, prout a D. Thoma tractatur a quaestione secunda ad quintam usque, satis fuerit hoc loco rem totam duabus rationibus, brevibus illis quidem, sed invictis plane transigere. Primo itaque in nullo bono praeter Deum, sive illa bona spectes, quae ipsi homini adhaerent, ut sapientia, seu potius multarum rerum cognitio, (neque enim in hac vita hominis alia sapientia esse potest) aut virtus animi, aut firma corporis habitudo, sensuum acumen, et vo-

luptas: sive illa spectes, quae exterius homini adveniunt, ut divitiae, honores, imperia, fama, nullo, inquam, ejusmodi bono felicitatem contineri satis persuadet constans omni aetate omnium hominum experientia, qua demostratur neminem unquam in maxima, quae haberi possit, rerum illarum abundantia felicem evasisse. Secundo, haec est praeclara intelligentiae vis, et conditio, ut homo, et veri cognitione perficiatur, et in veri cognitione infinite proficere queat, quo fit, ut universalis boni et perfecti cogitationem animo informet. Nil ergo valet hominem cumulate explere nisi bonum universale, et perfectum. Solus autem Deus talis est, in quo rerum omnium veritas, et perfectio eminenti quadam ratione continetur. Igitur etc.

PROPOSITIO II.

Quidquid homo deliberate vult, in id movetur appetitione finis ultimi.

Prob. Finis ultimus sub ratione communi spectatus intelligitur in bonum, quo perfecte homo expleri queat. Atqui homo quidquid vult deliberate, in id movetur ex talis finis appetitione. Nam ut ait D. Thomas: *Homo naturaliter vult perfectionem suam adimpleri, vel, ut habet* quaest. 22. de verit. art. 7. *Homini naturaliter est inditum, ut appetat se esse completum in bonitate. Quo fit, ut homo nil appetere possit, nisi sub ratione boni.* Quo posito, vel id appetit tamquam bonum perfectum, tumque ipsum intendit, ut ultimum finem, vel id appetit tamquam inchoationem boni perfecti, tumque hoc ipsum ex natura sua, vel ex intentione agentis refertur ad perfectionem, quae est per ultimum finem. Semper enim, ut inquit sanctus doctor, inchoatio alicujus ordinatur ad consummationem ipsius, sicut patet tam in his, quae fiunt a natura, quam in his, quae fiunt ab arte.

Praeclare in hanc sententiam Augustinus Serm. 150. qui est de epicureis, et stoicis cap.: 3. « Communiter, inquit, om-
« nes philosophi studendo, quaerendo, disputando, vivendo
« appetiverunt apprehendere vitam beatam. Haec una fuit
« caussa philosophandi. Sed puto, quod etiam hoc philosophi
« nobiscum commune habent. Si enim a vobis quaeram, quare
« in Christum credideritis, quare christiani facti fueritis, ve-

« raciter mihi omnis homo respondet: propter vitam beatam » Et rursum ait: « Nam, et qui bonus est, ideo bonus est, ut beatus sit: et qui malus est, malus non esset, nisi inde « se beatum esse posse speraret ..... v. gr. pone aliquem « furem, quaero ab illo: quare furtum facis? Ut habeam, « inquit, quod non habebam: quare vis habere, quod non « habebas? Quia miserum est non habere. Si ergo miserum est « non habere, beatum putat habere, sed in eo imprudens est, « et errat, qua de malo vult beatus fieri »

PROPOSITIO III.

Non potest quisquam plures sibi fines ultimos simul, eodemque tempore constituere.

Prob. Nam finis ultimus vel accipitur generatim pro eo, cui convenit notio boni perfecti, quod hominem omni ex parte perficiat, et expleat, tumque finis ultimus est ipsa felicitas secundum suam abstractam notionem spectata, quae non nisi una esse potest. Vel sumitur pro aliquo determinato bono, in quo quisquam sive certo constantique judicio, sive ex errore inesse putat perfecti boni rationem, vimque hominis explendi, tumque illi objecto judicio suo tribuit quidquid hanc abstractam perfecti boni rationem notionemque sequitur, sive illi applicat quod est proprium perfecti boni, nimirum quod ad ipsum omnia referantur, ipsum vero nusquam. Atqui hoc non nisi unum esse potest, ut patet. Ergo nemo potest plures simul fines ultimos intendere. Quo intelligitur illud Math. 7. *Nemo potest duobus Dominis servire.*

Hic porro recte animadvertit S. Thomas; non repugnare, ut quis plura connectat, eaque conjuncta velut unum ultimum finem sibi constituat. Ut enim non defuerunt Philosophi, qui beatitudinem in sola voluptate, aut in sola virtute ponerent, sic etiam nonnulli plura conjunxerunt, ex quibus beatitudo velut unus finis conflaretur, velut peripatetici, qui ad beatitudinem virtuti adjungebant commoda vitae. Sed ex hoc non sequitur eos plures ultimos fines constituisse, sed solum plura induxisse, ex quibus finis ultimos coalesceret, quod mentis errore fieri non repugnat: repugnaret autem eum, qui finem ultimum constituit in voluptate seorsum, eumdem simul eodemque tem-

pore virtutem etiam tamquam ultimum finem seorsum sibi proponere.

Nonnulla contra constitutas propositiones afferri solent, quae fere sunt hujusmodi. Primo, homines interdum sibi mortem consciserunt. Repugnat autem ut quisquam amore felicitatis ducatur ad interitum suum diligendum. Non ergo quaecumque volunt homines ad id moventur felicitatis appetitione.

R. Tunc solum homines sibi mortem consciscere, quum rebus desperatis, falso sibi persuadent non aliam viam sibi superesse, qua subducant se miseriis, quibus premuntur. Quod autem velint se omni conatu ipsoque interitu a laboribus suis, et aerumnis eruere, id profecto ex amore felicitatis manifeste oritur.

Secundo, multa saepe agimus, multas res volumus, et expetimus, quin de ultimo fine cogitemus. Non ergo semper finis ultimi amore ad agendum impellimur. Neque enim ultimum finem volumus, quum de ipso non cogitamus. Nil enim volitum, quod non praecognitum.

R. Etsi non semper explicite de ultimo fine cogitamus, quum quidquam volumus, et agimus, in eo tamen semper intueri nos, et spectare conditionem aliquam ultimi finis: nimirum aut praestantiam quamdam, aut copiam, aut delectationem, quae sunt conditiones ultimi finis. Et certe fieri non potest, ut ea persequamur, quae valent ad nos perficiendos, explendosque, nisi quia volumus expleri, et perfici. Unde Augustinus lib. 13. de Trin. cap. 3. *Quidquid aliud quisquam latenter velit, ab hac voluntate, quae omnibus hominibus satis nota est, non recedit*: et Boetius lib. 2. de consolat. Philosophiae, prosa secunda: *omnis mortalium cura, quam multiplicium studiorum labor exercet, diverso calle procedit, sed ad unum beatitudinis finem nititur pervenire.*

Tertio, finis ultimus justi Deus est: non tamen justus quaecumque facit, refert in Deum, velut quum peccat venialiter: non ergo quidquid agit homo, propter ultimum finem agit: vel si eum ultimum quemdam sibi finem proponere necesse est, oportet, ut justus, quum peccat venialiter, duos habeat sibi constitutos fines ultimos. Similiter ultimus finis peccatoris creatura est: non tamen quidquid agit peccator, id refert in eum finem, secus in omni actu peccaret. Ergo etc.

R. Justum, quum peccat venialiter agere ex amore felicitatis, adeoque agere propter ultimum finem sub ratione communi spectatum, licet non agat determinate propter Deum, cui tamquam ultimo fini justus per charitatem inhaeret. Quamvis autem illo actu justus praetermittit agere propter Deum, non sequitur ipsum exuere amicitiam cum Deo, ut explicatur in tractatu de peccatis: nec propterea sequitur ipsum constituere suum ultimum finem in creatura. Aliud est enim quaerere aliquid pertinens ad beatitudinem extra Deum; dum tamen ipsa beatitudo semper collocatur in Deo, estque aliquis paratus omnia perferre potius, quam recedat a charitate Dei: aliud est, rejecta Dei amicitia, quod fit per peccatum mortale, quaerere beatitudinem ipsam extra Deum, seseque totum convertere ad creaturas, quasi rejecto Deo possent bona commutabilia explere appetitum illum boni, quo naturaliter homo fertur ad beatitudinem. Hoc certe est constituere ultimum finem in creatura, non illud. Ex quo patet justum, quum peccat venialiter, minime plures ultimos fines sibi propositos habere.

Ad alterum R. peccatorem ultimum quidem finem in creatura constituere, ipsumque adeo, quum agit ut peccator, certissime peccare, sed licet peccator habitu sit aversus a Deo, et conversus ad creaturam, potest tamen aliquando agere praeter illum habitum, atque adeo talem actum elicere, quem referat non solum ad felicitatem in communi spectatam, sed etiam in Deum ipsum. Et quamquam hoc non fiat ex charitate perfecta qua reconcilietur Deo, desinatque esse peccator, satis est tamen, ut talis actus sit moraliter bonus. Sed de his plenius suo loco.

CAPUT III.

Quid sit voluntarium, et quotuplex.

Voluntarium spectata communi vocis notione idem plane sonat, ac spontaneum, quod nempe fit ultro, nullo praecepto, nulla vi, aut motu impellente. Ita saepe in sacris litteris usurpatur ea vox, ut 1. Paralip. cap. 28. *Scito Deum, et servi ei corde perfecto, et animo voluntario.* Sed hac notione non definitur id, quo actus intelligitur voluntati tamquam principio tribui posse, in quo propria sita est ratio vo-

luntarii. Nonnulli hanc notionem explicare aggredientes, ut Almainus in suis moralibus cap. 11, dixere voluntarium id esse, quod positis omnibus ad agendum requisitis, ab homine fieri potest, vel non fieri. Sed haec definitio non convenit omni voluntario, sed tantum libero. Voluntarium enim latius patet, quam liberum, quippe actus, quo beati Deum diligant, est actus maxime voluntarius, nec tamen ei accommodari potest definitio Almaini, nec enim possent beati a diligendo Deo sibi temperare.

Retinenda itaque voluntarii definitio primum ab Aristotele tradita, deinde a philosophis, et theologis communi consensione probata, ut voluntarium id sit, quod fit a principio intrinseco cognoscente singula, in quibus est actio, idest finem, objectum, et circumstantias. Duae sunt propterea conditiones voluntarii: prima ut sit a principio interiore, seu a facultate, quae pertineat ad naturam ipsius agentis, qua conditione voluntarium secernitur a violento, quod est a principio extrinseco, ut patet in motu gravi, quod ab impellente sursum proijcitur. Altera est, ut sit a principio cognoscente finem ut finis est, ordinemque mediorum ad finem, quia hoc modo agere maxime proprium est appetitus rationalis, seu voluntatis, ex qua actus nominatur voluntarius: propterea voluntarius dici nequit lapidis descensus, qui tametsi, ut multis videtur, ab interiore gravitate procedat, non est tamen cum cognitione.

Quae autem voluntaria sunt, alia directe, alia indirecte tantum voluntaria esse intelliguntur. Voluntarium directe tale illud est, quod voluntas expresse intendit: voluntarium indirecte, quod ipsa voluntas non impedit, quum impedire possit, quodque adeo non tam intendit, quam permittit; vel expressius definiri potest, quod ipsa voluntas directe non intendit, sed ita sequitur ex voluntario directo, ut in voluntatem merito referatur, quod voluntas id praecavere, aut praevidere debuerit. Quum autem eorum, quae pertinent ad voluntarium indirectum explicatio plurimum valeat ad moralis institutionis perfectionem, de hoc jam diligentius agendum.

Et quidem praecipua difficultas occurrit in constituendo utrum, et quemadmodum voluntarium sine actu consistere queat, (de quo S. Thomas quaest. 6. art. 3.): quemadmodum in eo qui praetermittit horas canonicas recitare, ipsa non recitatio, quin ullus prorsus actus intercedat, volunta-

ria dici possit. Ad cujus rei explicationem animadvertendum non idem prorsus esse omissionem voluntariam, atque omissionem culpabilem: potest quippe aliqua omissio voluntaria esse, quin sit culpabilis; item distinguendum esse inter omissionem ipsam, et effectum omissionis, nimirum opus, quod sequitur ex omissione; nam aliquando est ipsa omissio voluntaria, minime autem voluntarium id, quod sequitur ex omissione. Nobis ergo constituendum est utrum, et quemadmodum in omissione consistat ratio voluntarii, tum quid amplius requiratur, ut omissio censeatur culpabilis, aut effectus qui sequitur ex omissione.

PROPOSITIO I.

Omne voluntarium directum necesse est in aliquo positivo actu inesse.

Prob. Voluntarium directe illud est, quod a voluntate procedit, ut eliciente, aut efficiente. Nam quod est ab aliquo, ut agens est, id ab eo directe procedere dicitur, ut ait S. Thomas quaest. 6. art. 3. Sed nulla caussa nec adeo voluntas agere sine actu intelligi potest. Non ergo directe voluntarium aliquod potest esse, quod non in actu positivo insit.

PROPOSITIO II.

Indirecti voluntarii ratio potest in mera cessatione ab actu plane consistere.

Prob. Ad voluntarium indirectum constituendum satis est, ut quidquam pendere a voluntate aliquo modo intelligatur; sed cessatio ab actu, quae certe omnem actum e suo conceptu removet, quemadmodum omnis privatio excludit formam oppositam, haec inquam cessatio ab actu, seu simplex, et mera omissio pendere a voluntate aliquando intelligitur, ut patet in eo, qui horas cononicas recitare praetermittit, quo tempore mavult indulgere ludo, vel inambulationi. Ergo etc.

PROPOSITIO III.

Omissio licet in se voluntarii rationem sine ullo actu complectatur, tamen ut voluntaria censeatur, opus est aliquo actu praecedente tamquam caussa, vel occasione illius.

Prob. Ad rationem, et denominationem voluntarii omnino pertinet, ut quod voluntarium dicitur, sit aliquo modo a voluntate: repugnat autem, ut sine voluntatis efficentia, vel influxu aliquid sit voluntarium, sed omnis efficentia, et influxus voluntatis aliquo actu continetur. Ergo licet in omissione non requiratur aliquis actus ad constituendum formalem, ut vocant, rationem voluntarii, tamen ad hanc voluntarii rationem tribuendam omnino requiritur, ut haec omissio sit ex aliquo influxu, seu actu voluntatis tamquam ab ipsius caussa, vel occasione. Id vero theologi nonnulli apte illustrant quibusdam exemplis, velut caecitatis, aut mortis, quae quidem, si spectentur in se se, merae sunt privationes, ita ut earum conceptus nullum actum comprehendat; attamen ut oculus caecitate, animal morte dilabatur, id fit ex caussae alicujus actione, quae ipsum oculum, corpusque animalis corrumpit, atque ex una in aliam formam migrare cogit.

Quod si voluntarium indirectum necessario antecedit actus voluntatis directus, qui aliquando praecesserit, et ei, quod deinceps fit, vel non fit caussam praebuerit, idem omnino est sentiendum de aliquo actu intellectus, sine quo nec ille primus voluntatis actus elici potuisset, omnis enim actus voluntatis est ex cognitione finis, ut ante explicatum est.

Et quidem, quod tribus illis propositionibus continetur, totum sumpsimus ex doctrina D. Thomae. Nam primo D. Thomas, quaest. 6. art. 3., voluntarium directum ab indirecto accurate distinguit, illud definit, quod est a voluntate ut agente, istud quod est ab ea sicut non agente. Idque, quod est bene advertendum, valet in eo etiam indirecti voluntarii genere, in quo positivus actus intercedere maxime videtur, velut si medicus errore culpabili deceptus potionem mortiferam tribuat aegrotanti ad morbi levationem. Nam quod infirmus ex illa potione intereat, hoc nec vult, nec intendit medicus, qui potius in ea tradenda potione directe vult sanare infir-

mum: nihilominus mors ipsa aegrotantis censetur illi voluntaria indirecte, quia sequitur ex actu suo quodam, ex quo illam sequuturam praevidere potuit, ac debuit. Hinc secundo D. Thomas quaest. 11. art. 1. « Si in peccato, inquit, omis-« sionis consideretur id, quod per se pertinet ad rationem « peccati, sic aliquando est omissio absque omni actu tam « exteriori, quam interiori. » Quo intelligimus vi voluntarii indirecti fieri, ut non agendo, et non volendo quis peccet etiam, quum nullo modo cogitat de officio, quod agendo, et volendo fungi tenetur; secus peccatum omissionis non posset esse sine aliquo actu saltem interiori contra effatum S. Doctoris. Tertio, hoc tamen ipsum, quod quis peccat nihil cogitans de peccato, idcirco est indirecte voluntarium, et hoc nomine peccatum, quia, procedit ex antecedente quodam actu directe voluntario, ut caussa, vel occasione; unde subdit D. Thom. « Si vero in peccato omissionis intelligantur etiam « caussae, vel occasiones omittendi, sic non est omissio ab-« sque aliquo actu. »

Contra hanc notionem volontarii indirecti traditam a D. Thoma pugnant nonnulli subtilibus, et plane inanibus argumentis. Repugnat, inquiunt, voluntarii rationem quamcumque repeti ex ipsa voluntate non agente seu nolente, nam in eo, quod quis non vult, potius prodit se ratio involuntarii.

Huic porro difficultati occurritur per distinctionem duplicis significationis, quae huic verbo *nolle* subjicitur: aliquando enim quis nolle dicitur, quum quod sibi proponitur detrectat plane, et recusat, atque hoc pacto, quod quis non vult, ei dicitur esse involuntarium. Aliquando vero nolle aliquem dicimus, non quod aliquid recuset, sed simpliciter quod non edat actum volendi: atque hoc pacto nolle haud importat involuntarium.

Insuper obiicitur contra tertiam propositionem, nullum requiri actum antecedentem, qui caussam, vel occasionem praebat omissioni, ut haec censeatur voluntaria. Pertinet enim ex aequo ad voluntatem tam velle, quam nolle: in hoc enim elucet libertas contradictionis, seu exercitii, ut voluntas, quod sibi propositum est aut volendo amplecti, aut nolendo praetermittere queat. Utrumque ergo sive velle, sive simpliciter nolle utpote ex aequo pertinens ad voluntatem, atque ab ea manans dici poterit voluntarium. Ergo in sola omissione actus

volendi absque ullo actu antecedente poterit consistere ratio voluntari.

Huic difficultati satis fit hoc pacto. Utique voluntas vim suam exercet sive volendo, sive nolendo; potest enim quidquid sibi proponitur aut amplecti, aut respuere, velut si quis deliberans, utrum satius sit officio satisfacere horas canonicas recitando, an indulgere inertiae non recitando, potest aut velle recitare, aut nolle. Sed ut patet, in hoc ipso quod non vult recitare intervenit actus voluntatis, quo recedit ab eo, quod sibi proponitur, velut a re incujunda, moveturque ad bonum jucundum ipsi oppositum. Talis actus nolendi dicitur privative opponi actui volendi. Porro quoties aliquid eligendum proponitur, necesse est, ut positivo actu rei propositae voluntas aut assentiatur, aut dissentiat, vel saltem electionem differat, quod idem est, atque nolle in praesentia eligere. Si vero nolle sumitur pro negatione cujuscumque actus voluntatis, qualis negatio cernitur circa ea, de quibus numquam audivimus, tum in tali negatione, nec voluntarium inest, nec involuntarium. Tale est autem nolle, quod oritur ex inconsiderantia, quod proinde nunquam est directe voluntarium; fit autem indirecte voluntarium, prout illa inconsiderantia est ex actu quodam voluntario tamquam caussa, vel occasione.

CAPUT IV.

De indirecte voluntario prout est imputabile Agenti.

Ut in hac investigatione disputatio ratione, et ordine procedat, illud initio latius est explicandum, quod superiore capite innuimus, nimirum, quod attinet ad rationem voluntarii non idem esse judicium faciendum de omissione ipsa, atque de effectu, qui sequitur ex omissione; tum in ipsa omissione, aliud sequiri, ut omissio dicatur simpliciter voluntaria, aliud, ut etiam culpabilis censeatur, seu omittenti ad culpam imputetur.

Et primum quidem discrimen, quod intercedit omissionem inter, et effectum omissionis, ex hoc potissimum ducitur, quod omissio sit proxime, et immediate, ut ajunt, ab ipsa voluntate, nec aliam caussam habeat praeter ipsam voluntatem, prout non agentem, ex quo intelligitur esse ipsa per se se a principio intrinseco, nec proinde aliud quidquam

intervenire oportet, quo voluntati tribuatur. At vero effectus omissionis, scilicet eventus, qui sequitur ex omissione non est in sola potestate voluntatis, nec haberetur, nisi alia caussa interveniret, a qua proxime fluit, veluti quum navis evertitur, quam peritus gubernator potuisset servare, si adfuisset, naufragium efficitur non proprie ipsa gubernatoris absentia, sed vi tempestatis, et procellae: similiter quum in rixa unus alterum interimit, homicidium non oritur dumtaxat ex eo, qui spectavit, quum rixam comprimere potuisset, sed interfectoris vi, et armis efficitur. Quamobrem ut eventus hujusmodi tribuantur omittenti, quum proxime non procedant ab ipsius voluntate, nec sint proinde a principio intrinseco, necesse est aliquid interveniat, quo ille tales eventus voluisse censeatur, sintque adeo indirecte, et interpretative voluntarii.

Secundo non minus perspicue patet posse omissionem esse voluntariam, quin sit culpabilis, velut si quis omittit recitare horas canonicas, quas recitare minime tenetur. Nonnulli equidem, inter quos Medina, opinantur omissionem numquam esse voluntariam nisi adsit praeceptum non omittendi, quod persuaderi posse videtur hoc argumento. Nimirum: omissio nullo instante praecepto non imputatur: neque enim ei qui non tenetur horas canonicas recitare imputatur quod eas non recitet; quidquid autem volontarium est, tale estex natura sua, ut imputetur agenti. Verum est animadvertendum in voluntario inerse dumtaxat fundamentum imputationis, quia voluntarium illud intelligitur, quod in agentis potestate positum est, unde imputari simpliciter quidquam alicui, non aliud significat, quam eum suae actionis auctorem haberi. Sed quum actio non imputetur actu nisi ad laudem, vel culpam, quumque ex D. Thoma laudari non sit aliud, quam imputari alicui bonitatem suae actionis, culpari vero ipsi malitiam suae actionis imputari, hinc fit, ut quamquam omnis actio voluntatis sit ex hoc ipso natura sua imputabilis, tamen ut actu imputetur, tali praeterea conditione debet esse praedita, qua bona, aut mala moraliter intelligatur. Ex his fluunt sequentes propositiones, quibus res tota explicari distincte, et expediri valet.

PROPOSITIO I.

Ut omissio censeatur voluntaria hoc unum requiritur, planeque sufficit, ut quis omittat quod facere poterat, idque citra nullam obligationem, vel praeceptum.

Prob. Volontarium dicitur quidquid est a principio intrinseco cum cognitione finis. Atqui etiamsi nullum adsit praeceptum, omissio tamen intelligitur esse a principio intrinseco cum cognitione finis. Ad hoc enim satis est, ut voluntas aliquem actum eliciat, ex quo sequatur omissio, quam quis praevidet sequuturam. Ergo remoto etiam omni praecepto, et obligatione omissio voluntaria plane intelligitur. Nec enim omissio a voluntate aliter esse potest, quam indirecte; quippe omissio utpote privatio actus nequit produci per aliquem positivum, et immediatum influxum voluntatis, sed solum ex voluntate esse intelligitur hoc ipso, quod quis sciens, et prudens agit quidquam ex quo praevidet, vel saltem pro rerum conditione praevidere debet sequuturam omissionem.

Praeterquamquod voluntarium eo ipso quod est a principio intrinseco satis apparet nihil ad id conferre posse obligationem, vel praeceptum utpote quid extrinsecum, non intimum ipsi voluntati. Quare praeceptum versatur circa actus voluntarios, non ipsos tales efficiendo, sed dirigendo; unde praeceptum non omittendi eatenus locum habet, quatenus omissio censetur sita in voluntate, atque adeo voluntaria. Neque porro cognitio ipsa obligationis, vel praecepti praerequiritur, nam ad efficiendum actum, vel omissionem, in se se voluntariam non alia cognitio requiritur, nisi quae pertinet in ipsum actum, vel omissionem. Patet autem cognitionem omissionis consistere posse sine cognitione praecepti. Stat igitur omissionem esse prorsus voluntariam, tametsi nulla sit obligatio non omittendi.

Opponitur tamen auctoritas D. Thomae quaest. 6. art. 3. docentis, quod « non semper id, quod sequitur ad defectum « actionis, reducitur sicut in caussam in agens ex eo, quod « non agit, sed solum tunc, quum potest, et debet agere: « quia igitur voluntas volendo, et agendo potest impedire « hoc, quod est non velle, et non agere, et aliquando de- « bet, hoc, quod est non velle, et non agere imputatur ei,

« quasi ab ipsa existens. » Ergo ex D. Thoma ipsum, quod est non velle, et non agere, scilicet omissio censeri nequit voluntaria, nisi quum quis debet velle, et agere, atque adeo quum agendi praeceptum instat, et obligatio.

Verum haud recte ista est ducta conclusio. Primo enim D. Thomas non ait, id quod est non velle, et non agere, non esse in se voluntarium, sed solum non imputari, hoc est vitio, et culpae non tribui, nisi quum quis debet velle, et agere; unde ut recte advertit Silvius: « Loquitur non de « quacumque omissione voluntaria, sed de ea, quae sic est « voluntaria, ut imputetur ad culpam; quo modo etiam lo- « qui solet de omissione tam in secundam dist. 35. art. 3, « quam in secunda secundae quaest. 71. art. 3, et alibi, dum « simpliciter omissionem nominat, omissionis peccatum intel- « ligens. » Secundo in priore parte allati textus manifestum est loqui S. Doctorem non de ipsa omissione; sed de effectu, seu eventu qui sequitur omissionem; sive defectum actionis. Hunc autem fatemur non posse in eum, qui non agit tamquam in caussam revocari, neque adeo voluntarium esse, nisi adsit obligatio ejus praecavendi.

Opponitur praeterea, futurum consequens ex nostra propositione, ut omnia hominum peccata essent Deo volontaria. Deus enim si vellet, procul dubio peccata omnia impedire posset. Ergo si ratio voluntarii ex hoc emergere potest, quod quis simpliciter non velit, erunt peccata Deo voluntaria, eo ipso, quod ea nolit impedire, quum impedire illa posset.

Verum oppositio ipsa per se corruit. Nam propositio nostra est de omissione ipsa in se spectata, oppositio vero de eo, quod sequitur ipsam omissionem. Igitur ex propositione hoc tantum infertur, Deum voluntarie non impedire peccata, seu Deo esse voluntarium, quod omittat conferre auxilia, quibus peccata quae fiunt certissime vitarentur, sed ex eo effici minime potest Deo voluntaria esse peccata, quae denegata auxilia consequuntur, idque propter rationem, quam superius attigimus, nimirum quod haec peccata a Dei voluntate tamquam a principio intrinseco minime oriantur, sed ex perversitate peccantis. Valet hic igitur quod superius est allatum ex D. Thoma, nempe id, quod sequitur ad defectum actionis non semper reduci sicut in caussam in ipsum agens ex eo quod non agit, sed tunc solum quum potest, et debet agere.

PROPOSITIO II.

Ut omissio voluntaria sit, et simul culpabilis, tres conditiones requiruntur,

Prima; *Quod quis potuerit agere.*
Secunda; *Quod agere debuerit.*
Tertia; *Quod non agerit.*

Prob. Nam primo nemo peccat in eo quod vitare non potest. Ergo ille non est in culpa, qui non egit, quod agere non potuerit. Secundo nullum est peccatum, nisi quod est adversus aliquam legem; sed qui non facit, quod facere non debet, is nullum legem violare intelligitur. Ergo ut omissio sit culpabilis omnino requiritur, ut non solum quis potuerit, sed etiam debuerit agere.

Quod autem de necessario interventu legis, et obligationis statuitur ut omissio sit ad culpam imputabilis, idem quoque valere censendum est, ut omissio imputetur ad laudem. Quare quum doctissimus contensonius censet quidem requiri obligationem, et praeceptum, ut omissio sit culpapilis, simul autem contendit omissionem secluso praecepto non solum physice, verum etiam moraliter voluntariam esse, in eo nobis videtur dogmatum constantia major desiderari posse. Hoc autem argumento utitur praeclarus auctor, nimirum voluntarium esse a principio intrinseco cum cognitione finis, nullumque proinde voluntarium esse, quod non dirigat cognitio rationis, subindeque quod non subjiciatur rationi, sicut nihil est volitum, quin praecognitum. Sed quod subjicitur regulae, et directioni rationis pertinet ad ordinem moralem Ergo omissio secluso praecepto non solum physice, sed etiam moraliter est voluntaria. Insuper illustrat rem exemplis, nam, inquit, plures omissiones nullo urgente praecepto sunt meritoriae velut ejus, qui sciens, et volens omittit nubere, vel saeculi bonis uti, quia clericalem, vel regularem statum ingreditur.

At non satis recte constitutum mihi videtur hoc argumentum Contensonii: nam aliud est voluntarium subjici rationi prout est simpliciter facultas cognoscens objectum, finem, ordinemque mediorum ad finem: aliud est voluntarium subiici

rationi prout regula dirigens. Prior consideratio plane sufficit ad voluntarium physice constituendum fatente immo rectissime probante ipso contensonio, minime autem sufficit, ut voluntarium ad ordinem moralem pertinere intelligatur, ad hoc etenim praeterea ex auctore omnino requiritur, ut subsit rationi tamquam regulae dirigenti. Sed ratio non evadit regula dirigens, nisi ex ordine ad aliquam legem, saltem ad legem aeternam, cujus participatione illustrari opus habet humana ratio, ut sit recta, sitque moralis humanorum actuum regula. Quum ergo seclusa omni lege ratio concipi nequeat ut regula dirigens, et tamen ei voluntarium subesse intelligatur, prout simpliciter est facultas cognoscens, patet seclusa omni lege saltem universalissime accepta voluntarium non posse concipi rationi subesse ut regulae dirigenti, nec pertinere ad ordinem moralem. Nec quidquam evincunt allata exempla. Nam lex non solum praecipit, aut vetat, sed etiam consulit. Lex aeterna sane vetat quaecumque impediunt consecutionem ultimi finis praecipit, quae ad eam sunt prorsus necessaria; consulit quae non sunt quidem necessaria, sed tamen expeditiorem viam parant ad finem ultimum obtinendum: quod ergo quis omittat nubere, aut saeculi rebus uti tametsi non est ex lege praecipiente, tamen consentaneum est legi consulenti, ex eoque meriti rationem sortitur. Unde patet semper aliquam legem supponi ordini morali in actibus humanis.

PROPOSITIO III.

Ut eventus, qui omissionem consequitur censeatur imputabilis, vel etiam dumtaxat voluntarius tria requiruntur: Ut omittens eventum impedire potuerit: Secundo ut debuerit: Tertio ut impedire praetermiserit.

Prob. Quidquid est voluntarium tale est, quia aut a voluntate physice procedit, aut in voluntatem tamquam causam moralem reducitur. Atqui eventus, qui consequitur omissionem non procedit physice ab ipsa omittentis voluntate, ut antea vidimus. Igitur ut voluntarius censeatur oportet ipsum in voluntatem tamquam in caussam moralem reduci. Sed effectus non potest in voluntatem reduci tamquam caussam moralem, nisi ratione obligationis, vi cujus effectum illum ponere debeat. Igitus nisi quis debeat eventum praecavere, qui

sequitur omissionem, talis eventus nullo pacto est voluntarius.

Hinc intelligi facile potest, principem, aut magistratum, quum peccata non impediunt, quae impedire quidem possent, sed tamen justam habent caussam non impediendi, minime censendos esse velle illa peccata, nec eis ullo pacto illa imputari posse. Nam quum illis peccatis obsistere non teneantur, nequeunt haec in ipsos tamquam in caussam moralem referri. Ex quo dignoscitur perperam eos argumentari, qui concludunt approbari a magistratibus ea mala, quae tantummodo tolerantur.

Atque totam hanc doctrinam egregie illustrat Contensonius similitudine instituta inter eventum, qui omissionem consequitur, et effectum qui actionem sequitur, et comitatur, qui nimirum nec voluntarius, nec imputabilis censetur, si nulla sit ejus vitandi obligatio, et ipse idem effectus ex alia caussa procedat. Sic Deus concurrens ad actum peccati nullo modo est auctor deformitatis ejusdem, licet inseparabilis ab ipso actu, quia haec deformitas non inhaeret actui, ut est a Deo efficiente, sed ut est a creatura deficiente. Sic Mulier incedens per vias modeste ornata pro sui status conditione non est moralis caussa peccati eorum, qui ex ejus aspectu flagitiose delectantur; sic ille qui necessitate constrictus mutuum petit e foeneratore, vel communionem a parocho sacrilego, nec usurae caussa est, nec sacrilegii, dum utens jure suo sinit ea peccata non ex sua voluntate, sed ex aliena iniquitate prodire.

Atque haec etiam doctrina confirmatur auctoritate D. Thomae, qui secunda secundae quaest. 64. art. 7. docet, quod nihil prohibet unius actus esse duos effectus, quorum alter solum sit intentione, alter praeter intentionem. Unde hanc eruit regulam: quando caussa duos habet effectus unum bonum, et alterum malum, poni potest ex intentione solius effectus boni: solum permissive se habendo ad effectum malum. Hinc in eo, qui injuste invaditur, moderata sui defensio potest habere duplicem effectum, unum directum, nempe propriam conservationem, alterum indirectum, scilicet interfectionem aggressoris. Igitur ex regula D. Thomae numquam licet intendere mortem aggressoris, quia quum non liceat occidere hominem, nisi publica auctoritate, illicitum est, quod homo intendat occidere hominem, ut seipsum defendat. Sed

simul quia plus homo tenetur, ceteris paribus, vitae suae providere, quam alienae, non est necessarium, ut homo praetermittat actum moderatae tutelae ad evitandam occasionem alterius. In eo igitur qui ponit actum moderatae tutelae, primus solum effectus, qui est in intentione, nimirum conservatio sui censetur voluntarius, non autem ille qui sequitur praeter intentionem scilicet aggressoris occisio.

Similiter quum in bello justo dux exercitus hostilem civitatem expugnat, tormentisque bellicis moenia, turresque diruit, minime ipsi ad culpam imputatur, si quae inde sequitur innocentum caedes. Caussam enim adhibet, quae duplicem habet effectum, unum bonum, ipsam scilicet justam civitatis expugnationem, isque, utpote solus in intentione, solus etiam est voluntarius, alter vero, nimirum caedes innocentum quum sit praeter intentionem, nec voluntarius censetur. Non tenetur autem dux ad vitandam hanc caedem, civitatis justam, et necessariam expugnationem praetermittere.

Minime vero exinde sequitur licere puerum alioquin sine Baptismo moriturum projicere in puteum, unde nequeat emergere, non quidem occidendi animo, sed baptizandi, ut perperam nonnulli ex hac D. Thomae regula fieri posse autumarunt. In quo etiam mirum videtur auctorem Ethicae amoris affirmasse, sola ratione haud satis explorate percipi posse dissimilitudinem inter illam turris dejectionem superiori exemplo memoratam, et hanc pueri projectionem, quasi ratio humana dissolvere non posset paritatem, qua effici videtur tam licitam esse pueri projectionem, quam dejectionem turris. Videtur enim apertissimum esse discrimen. Nam pueri projectio in puteum directe, et in se spectata prorsus est illicita, utpote in qua inest pravitas homicidii: numquam propterea boni finis obtinendi animo adhiberi potest, quia non sunt facienda mala, ut eveniant bona. Contra vero expugnatio turris directe, et in se spectata est licita. Etiamsi ergo ex ea sequatur per accidens occisio innocentis longe abest a conditione superioris casus in quo adhibetur turpe medium ad bonum finem, ubi in expugnanda turre dux exercitus utitur jure suo, quod ex se licitum est nec vitiosum fit propter mala, quae per accidens consequuntur, et praeter intentionem.

Ad voluntarium directum, et indirectum revocatur etiam voluntarium expressum, et tacitum. Illud est, quod verbis exprimitur, aut alio quovis signo consensum significante, hoc

vero, quod sine ullo hujusmodi signo, ex facto, vel facti omissione, consideratis circumstantiis merito colligitur. Quo spectat regula 43 juris in sexto: *Qui tacet consentire videtur:* quae tamen regula pro circumstantiarum diversitate multis est exceptionibus obnoxia, quas breviter indicasse operae pretium fuerit.

Primo itaque communi theologorum, et jurisconsultorum sententia valere illa censetur in favorabilibus, non in odiosis. Itaque si cui quid promittis, ille vero taceat, consentire putatur. Contra si ab eo quid molestum exigis, et difficile, ut pro te fide jubeat, taceat autem, silentium tunc dissentientis potius, quam consentientis animi indicium habetur. Secundo qui expresse profiteri, aut reclamare tenetur, consentire censetur si tacet. In quo tamen subtilis est adhuc distinctio facienda. Nam quum aliud sit actionis malitia, contra quam reclamare tenetur, aliud effectus ejusdem, ex silentio eruitur consensus in actionem ut malam, quin praesumatur pro effectu actionis. Sic in capitulo canonicus non obsistens iniquae electioni vel costitutioni, ex silentio suo reus arguitur, quod, connivere censeatur iniquitati ejus actionis, fitque adeo propter silentium, et culpae, et poenae obnoxius. Quod vero attinet ad valorem electionis, et costitutionis, silentium non habetur pro consensu: quia in re communitati grave damnum inferente taciturnitas non censetur consensui aequivalere. Hinc tertio non valet allata regula, ubi jura expressum consensum requirunt. Quarto nec etiam ubi ex circumstantiis consensus praesumi non potest, nec tamen est obligatio reclamandi; velut si quis obmutescit ad sententiam contra se latam, nec ei contradicit. Quippe potest animo ita esse affectus, ut velit intra tempus jure concessum appellatione sibi prospicere. Hinc quinto remotis circumstantiis ex quibus capi potest indicium consensus, vel dissensus, taciturnitas nihil prorsus significat; unde merito statuitur regula 44. juris in sexto: *Is qui tacet non fatetur, sed nec utique negare videtur.*

QUAESTIO II.

De libero.

CAPUT I.

Multiplex affertur notio libertatis.

Libertas generatim sumitur pro immunitate ab iis rebus, quae aut violentiam, aut necessitatem, aut molestiam inferre possunt. Libertas enim dicitur a Cicerone ex communi hominum sensu: *Potestas vivendi ut velis.* Jam illi qui sunt in alterius ditione positi, quorum corpus expositum est violentiae, quum hac potestate careant vivendi ut volunt, ex hac parte censentur esse non in libertate, sed in servitute, et subjectione. Libertas prout est immunitas a violentia externa designatur Jerem. 33. ubi legimus: *Jeremias libere ambulabat in medio populi, non enim miserant eum in custodiam carceris.* Ex hac libertatis notione pendet alia ejus vocis significatio, quae designat animum immunem, et vacuum timore, et sollicitudine, quam externa violentia inferre solet; sic lib. 1. Esdrae 7. *Imperitos docete libere*, id est absque ulla formidine. Secundo: quod infert necessitatem non solum impedit exercitium exterius ejus potestatis, prout facit violentia, sed hanc ipsam potestatem labefactat, ac penitus adimit. Nam qui necessario impetu animi fertur in suos actus non habet eo tempore se, suosque actus in sua potestate, unde quoque dicitur impos sui. Tertio: praeter externam violentiam, quae cohibet actus imperatos, et internam necessitatem, quae facit ne actus eliciti sint in elicientis potestate positi, sunt gravia quaedam, et molesta, quae homini moram, et impedimentum afferunt in agendo, quae impediunt scilicet, aut ne ex ratione, et consilio deliberet, quo maxime continetur potestas ea, quae libertas dicitur, neve rite, et expedite exequi valeat, quae deliberata, et constituta fuerint, tales sunt vehementes praesertim mentis perturbationes, pravi habitus, imbecillitas corporis, et sensuum, quae quatenus officiunt potestati vivendi ut velis, faciunt, ut immunitati ab ejusmodi impedimentis libertatis nomen tribuatur.

Ex his facile intelligi poterit celebris divisio libertatis pro-

posita a D. Bernardo De Gratia, et libero arb. cap. 3. « Triplex, inquit, est nobis proposita libertas, a peccato, a miseria, a necessitate. Hanc ultimo loco positam nobis contulit in conditione natura; in prima restauramur a gratia; media nobis reservatur in patria. Dicatur ergo prima libertas naturae, secunda gratiae, tertia gloriae. Primo nempe in liberam voluntatem, et voluntariam libertatem conditi sumus nobilis Deo creatura; secundo reformamur in innocentiam nova in Christo creatura; tertio sublimamur in gloriam perfecta in spiritu creatura. »

Libertas itaque a miseria duplex intelligitur, una a servitute mortis, et corruptionis, quae dicitur libertas gloriae, de qua apostolus ad Rom. 8. *Creatura liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei.* Altera a servitute peccati quae dicitur libertas gratiae, de qua idem apostolus ad Rom. 6. *quum servi essetis peccati, liberi facti estis justitiae.* Per hanc, ut inquit D. Bernardus, reformamur in innocentiam, innuens quemadmodum ea libertas in prima hominis conditione splendida prorsus illuxerit; nam primus homo non solum sine peccato conditus fuit, sed etiam ornatus integritatis, et originalis justitiae dono nullum partis inferioris conflictum sentiebat adversus superiorem, nec ei luctandum erat cum motibus concupiscentiae inclinantis ad peccatum, ut proinde omne peccatum non mortale tantum, sed etiam veniale summa facilitate vitari posset. Nunc vero in statu naturae per gratiam reparatae non plane homo eximitur a lege peccati, seu a concupiscentia inclinante ad peccatum, et licet adjuvetur gratia, nihilominus difficultatem aliquam experitur in ea cohibenda, et quamvis omne peccatum veniale singillatim vitare queat, non tamen collective sine singulari privilegio, quale B. Virgini concessum est. Ex quo intelligi potest, quo sensu dixerit Augustinus in Enchirid. « quod libero arbitrio male utens homo, et se perdidit, et ipsum » ibi enim libertatem sumit pro plena immunitate a lege peccati, et integra facilitate boni operandi; et se se, mentemque suam explicat contra duas epist. Pelagianorum his verbis: « Libertas quidem perit per peccatum, sed illa, quae in paradisu fuit habendi plenam cum immortalite justitiam, propter quod natura humana indiget gratia praeparante: » Nam advertendum est quamquam in primo statu indigeret gratia ex Augustino, non tamen gratia, ut est medicinalis.

Libertas porro naturae, de qua praecipue moventur quaestiones, duplex est: Una quae dicitur a *coactione*, altera quae *a necessitate.* Prior excludit vim agentis exterioris impellentis ad agendum. Hac potitur quisquis actum elicit ex propria, et intrinseca voluntatis determinatione, quamvis eum necessario eliciat; sic actus, quo beatitudinem nostram expetimus, tametsi necessarius, nihilominus liber, et immunis a coactione intelligitur; non enim inviti, sed libentissimi beati esse volumus. Posterior excludit omnem naturalem, et necessariam determinationem ad unum, unde per eam homo est indifferens ad agendum, vel non agendum, ad hoc, vel illud agendum, seque active, et pro libitu ad unum, vel alterum determinat.

Haec libertas indifferentiae, seu a necessitate alia est *contradictionis*, alia *contrarietatis.* Illa est, qua homo indifferens concipitur ad agendum, vel non agendum. Talis autem dicitur, quia agere, et non agere contradictorie opponuntur. Dicitur etiam libertas *exercitii*, quatenus per eam in potestate est hominis actum exercere, vel non exercere, contrarietatis autem dicitur libertas, qua homo ex duobus oppositis potest unum prae alio eligere, ex. c. elicere actum amoris, vel odii circa propositum objectum. Dicitur autem contrarietatis, eo quod illi actus contrarie opponuntur: prout vero fertur ad opposita, vel diversa objecta dicitur libertas specificationis, eo quod actus speciem sumunt ex objectis. In hac libertate indifferentiae sita est ea vis, quam liberi arbitrii nomine donamus, quae sui determinatrix esse intelligitur. Dicitur autem arbitrium, quatenus sequitur proprium rationis judicium, liberum vero, quatenus non aliqua antecedente, aut naturali necessitate determinatur, sed utpote sui juris se se ex proprio judicio determinat.

CAPUT II.

Referuntur varii errores contra liberum arbitrium, variaeque de ipsa liberi arbitrii natura opiniones.

Triplex hic nobis est potissimum commemorandus error adversus libertatem. Primus eorum; qui liberum arbitrium nullum esse posse in homine, aut omnino in rerum natura

putarunt. Tales inter Ethnicos quicumque vi fatali hominum voluntates adstringebant, velut qui mathematici olim dicebantur, seu astrologi judiciarii, et genethliaci: quorum est haec loquendi ratio ex Eusebio lib. 5. De praeparatione cap. 6. « Ad quod haec tua mihi monita bone vir? Nec enim inte« grum mihi est mentem hanc consiliumque mutare, quando « jam fatum occupavit. Quid me porro juvet contendere, ubi « ne optandi quidem facultas, arbitriumque relinquatur, ni« si optare fatum quoque mihi sit? optabo vero si fatum « erit, licet nihil praecipias; ipsamet fati necessitate addu« ctus. » Hujusmodi fuere inter haereticos Priscillianistae, et Manichaei. De Priscilliano constat auctoritate concilii Bracharensis 2. cap. 3. « Si qui animas, et corpora fatalibus stel« lis credit astringi, sicut Pagani, et Priscillianus dixerunt, « anathema sit ». Manichaei vero duas in homine animas inesse censebant unam bonam, alteram malam, quae sic confligerent, ut si bona vinceret, necessario ad bonum impelleret, si mala etiam pari necessitate in malum adigeret: bonam scilicet animam boni Dei particulam, malam Dei mali fragmentum esse delirabant, proptereaque illam ad bonum, hanc ad malum necessario determinatam. Quae constant ex Augustino in libris adversus Manicheos, et lib. 1. Retract. cap. 15. Duobus vero ab hinc saeculis potissimum plurimi extitere homines impotenti cogitandi licentia famosi, quos inter agmen ducere videntur Benedictus Spinosa, et Collinius, qui libertatem a necessitate omnem evertere studuerunt, idque argumentis ductis ex ipsa humanae mentis natura, et conditione, in qua libertatem a necessitate repugnantiam involvere contendunt.

Secundo vero loco se se offert error Lutheri, et Calvini, qui liberum arbitrium velut consentaneam facultatem hominis naturae per se convenire non diffitentur, sed perperam detortis divinarum litterarum testimoniis pugnant id arbitrium per primi hominis peccatum penitus extinctum esse. Lutherus namque in colloquiis pag. 42. quum liberum hominis arbitrium per primi parentis praevaricationem extinctum esse dixisset, adjungit nomen liberi arbitrii *odiosissimum fuisse omnibus patribus, et hominem dicendum non arbitrio liberum, sed peccati servum.* Martinus Bucerus in lib. de concordia scribit, referente Bellarmino, libero arbitrio solam coactionem repugnare. Et quoniam Lutherani non negant liberum arbitrium, si sola

requiratur libertas a coactione, ideo se viam ad concordiam reperisse per hanc distinctionem Bucerus existimat. Idem docet Calvinus cum multis locis, tum lib. 1. Institutionum cap. 15. §. 8., ubi liberum arbitrium asserit homini pro statu innocentiae, sed illud peccando perdidisse contendit, eosque delirare, qui in homine perdito arbitrium adhuc quaerunt, tum etiam lib. 2. cap. 2. §. 7., ubi ait « liberi ergo arbitrii hoc « modo dicetur homo, non quia liberam habeat boni aeque, « ac mali electionem, sed quia male voluntate agit, non « coactione.

Tertio loco prodiit Jansenii error, qui tertia damnata propositione continetur, scilicet: *ad merendum, et demerendum in statu naturae lapsae non requiri in homine libertatem a necessitate, sed sufficere libertatem coactione.* Neque est quod querentur Jansenistae falso hunc errorem impositum Jansenio. Quid enim sibi vult Jansenius, quum affirmat Augustino libertatem maxime versari circa finem; quum etiam lib. 6. cap. 6. testatur solam necessitatem coactionis adimere libertatem? Quod repetit lib. 8. cap. 12. « Nulla necessitas acti- « bus voluntatis liberis formidanda est, sed sola vis, coactio, « et necessitas violentiae. » Praeterquamquod omne mihi videtur effugium praecludere Jansenianis, quod in historia generali Jansenismi, (quae ab homine Jansenista prodiit typis Ludovici de Lorme in quinque tomos distributa Amstelodami ut refert, sed verius Lugduni anno 1701.) memoratur de primis hujus sectae concertationibus (tom. 1. pag. 82. scilicet ad annum 1642) quum nondum prodiisset Bulla Urbani VIII adversus Jansenium, multoque antea, quam extractae essent, ac damnatae quinque famosae propositiones. In hunc modum loquitur scriptor ejus historiae, vanosque celebrat Jansenistarum triumphos: « Ad id tempus, inquit, novas in se « turbas concitavit idem Sckinchelius. (Is erat doctor Lova- « niensis Jansenismo maxime adversus) praeerat disputationi « qua propugnabatur voluntatis libertatem consistere in in- « differentia, seu in potestate ad agendum vel non agendum. « Quidam porro theologus, qui se se addictum profitebatur « doctrinae Augustini Yprensis, quam eamdem esse putabat, « atque Augustini Hipponensis, hanc propositionem oppugna- « vit validissima usus auctoritate, et argumentis Augustini, « ostendens nimirum Deum esse perfectissime liberum, se se- « que diligere liberrime, et quidquid vere bonum dici potest;

« tametsi Deus nec sit, nec possit esse indifferens erga seipsum, et erga id, quod vere bonum est; quod scilicet nec « possit non se se amare, nec amare malum, ex quo fit, « ut peccare nequeat. » Hactenus historicus, cujus verba ex Gallicis latina fecimus. Patet igitur primos ipsos Jansenii asseclas ejus doctrinam de libertate sic intellexisse, ut ad libertatem nulla prorsus requireretur indifferentia, vel immunitas a necessitate, libertatis quippe quam tuebantur, perfectissimum exemplar ponebant in amore, quo se se Deus diligit, quem amorem liberum esse libertate proprie dicta, sed solum voluntarium, et libentissimum, seu immunem ab omni coactione jam constat inter omnes. Perperam ergo Jansenistae post damnatam Jansenii doctrinam conclamarunt detortas fuisse in alienum sensum ejus sententias, quum ecclesia non aliud in Jansenio damnarit, quam quod in ipso videbant primi ejus fautores, et tamquam sinceram ejus doctrinam acerrime defendebant.

Sic ergo praestat nostram de libertate disputationem instituere, ut primo contra illos, quos memoravimus religionis omnis contemptores Spinosam, Collinium aliosque, spectata humanae mentis natura, et conditione demonstremus, eam tamquam propria, et nativa facultate arbitrii libertate pollere, qua homo habet suos actus in sua potestate, nulla, sive ad agendum, sive ad non agendum sive ad aliud agendum necessitate determinatus. Secundo evincamus adversus Lutherum, et Calvinum hanc arbitrii libertatem propriam humanae conditionis primi parentis peccato non penitus corruptam, aut extinctam fuisse. Unde tertio via patebit expedita ad Jansenii errorem profligandum negantis libertatem a necessitate requiri ad merendum, vel demerendum in statu naturae lapsae.

Antequam autem ad libertatem adstruendam progrediamur, breviter exponendae sunt praecipuae doctorum scholasticorum de natura illius opiniones. Nam, etsi omnes fatentur liberi arbitrii hanc vim esse, ut sit sui determinatrix, omnemque necessitatem excludat, tamen disputant, quae sit veluti propria sedes hujus facultatis in animo: quae innuere operae pretium est, ne theologiae studiosi summorum theologorum de hac re placita penitus ignorent, quod non decet, atque ut constet scholasticas illas dissensiones nihil detrahere de vi argumentorum, quibus vim ipsam liberi arbitrii sumus adversus impios ejusdem oppugnatores propugnaturi.

Prima itaque sententia est Hervaei, qui Quodlibeto primo, quaestione prima docet liberum arbitrium consistere non in habitu, vel potentia, sed in iis actibus tum intellectus, tum voluntatis, qui deliberationem, et deliberationis conclusionem antecedunt, quia per hos actus habet homo in sua potestate ipsam deliberationem, ex qua consequentes actus proficiscuntur. Altera est D. Bonaventurae, qui liberum arbitrium in habitu quodam naturali consurgente ex ratione, et voluntate constituit. Nempe quum a magistro sententiarum liberum arbitrium dicatur facultas rationis, et voluntatis, videtur hoc facultatis nomen facilitatem potius, et habitum agendi significare, quam potentiam. Huic sententiae consona est opinio Alberti, qui docet liberum arbitrium esse potentiam perfectam per habitum superadditum non quidem acquisitum, sed naturalem.

Tertia est eorum, qui liberum arbitrium inesse in ratione, et voluntate constituunt, sic tamen ut Durandus illud in ratione non solum formaliter, sed etiam praecipue inesse censeat: Scotus in voluntate tantum formaliter, licet ejus principium, et velut radicem in intellectu agnoscat, teste Claudio Frassen in philosophia morali, vel saltem ipsum intellectus judicium ponat ut conditionem, sine qua voluntas libera non esset, ut mentem ejus interpretatur Bellarminus de gratia, et libero arbitrio lib. 3. cap. 7. D. Thomas denique, cujus sententiam verissimam sibi videri profitetur idem Bellarminus, statuit liberum arbitrium esse quidem potentiam unam, et particularem, ipsam videlicet voluntatem, sed radicem libertatis esse in ratione. et voluntatem pendere. ac determinari a judicio ultimo practicae rationis.

Neque vero forte difficile esset ostendere illas opiniones in unam, eamdemque recidere, atque per alias obscurius disputari, quod D. Thomas majori cum perspicuitate declaravit. Nam Hervaeus memorat actus, quibus liberum arbitrium actu vim suam exercet, qui actus plane supponunt indifferentiam judicii circa objecta deliberationis, et potentiam, quae inde oritur, tales actus eliciendi, quod aperte recidit in sententiam D. Thomae. Secundo habitus naturalis subtili potius distinctione, et penes diversum considerandi modum, quam ipsa re differt a potentia, quare secunda opinio voce potius, quam re differre a tertia censenda est. Tertio quod inter Durandum, Scotum, et D. Thomam intercedere discrimen ap-

paret ex eo nasci videtur, quod uni propria esse volunt rationis, quae alii voluntati tribuunt; in summa tamen totius disputationis convenire videntur, nimirum, quod animus ipse polleat indifferentiae judicii circa ea, de quibus deliberare potest, et ex ea indifferentia vis oriatur, qua praeditus est, se se determinandi, ut proinde immerito Collinius propter disputationes ejus generis arguat libertatis defensores, quasi nescirent, quae sit haec libertas quam defendunt, et nomine potius, quam ipsa re convenirent.

CAPUT III.

Homini asseritur libertas arbitrii, seu indifferentiae, et a necessitate.

Quum nemo hominum neget voluntatis actus a voluntate ipsa pendere, ut nisi vellet minime hos actus homo eliceret non saits nobis probatur consilium eorum, qui primum generatim demonstrare aggrediuntur hominem pollere libertate, deinde inquirunt, an ad hanc libertatem requiratur indifferentia. Nam si in asserenda libertate praescindis ab indifferentia, non aliud efficis, quam demonstrare nos voluntarie velle quidquid volumus; de quo sane nulla est dubitatio. Vindicanda igitur libertas, quam adversarii oppugnant, quae omnem volendi, aut nolendi, hoc, vel illud volendi necessitatem excludat. Ad veritatis ostensionem.

Animadvertendum ex D. Thoma, hominem naturaliter, ac necessario appetere suam beatitudinem; ex appetitione autem beatitudinis, tamquam ultimi finis, et summi Boni moveri ad inquirenda media, quibus eam consequi possit.

Hinc porro sequitur nihil hominem expetere posse, nisi prout id boni speciem praeseferet: nam quum homo necessario tendat ad felicitatem, quidquid expetit, id expetit aut ut consummatum, perfectumque bonum, quod ipsum prorsus expleat, aut velut inchoationem quamdam ejus perfecti boni, quodque adeo aliquam boni rationem habeat.

Animadvertendum insuper ex peculiaribus bonis, quae se se homini offerunt nullum explere sic posse beatitudinis appetitionem, ut non aliud ei praeterea expetendum supersit;

nullum quippe peculiare, ac finitum bonum continere potest amplitudine totam boni universalis, et perfecti, quo beatitudo continetur, quae sola vim appetendi perfecte satiare valet.

Hinc porro patet rectissime dictum a S. Thoma prima parte quaest. 82. art. 1. Finem ita se habere in operativis, sicut principium in speculativis; unde etiam existit mira prorsus convenientia quaedam, et ad hanc explicandam quaestionem utilis inter voluntatem, et intellectum, quam multis locis S. Doctor exponit. Nam primo, ut intellectus naturaliter ex necessitate inhaeret primis principiis, ita voluntas inhaeret ultimo fini. Et sane quum verum sit objectum intellectus, quidquid tale est, ut in eo perfecti veri ratio eluceat, qualia sunt prima principia, quae evidenter cognoscuntur, necesse est, ut intellectus omnino acquiescat, quia nihil amplius circa illorum veritatem indagandum superest; sic etiam quum objectum voluntatis sit bonum, necesse est, ut in id, quod summi boni rationem habet, voluntas vi sua generatim tendat, et quum id complexa fuerit, ei prorsus inhaereat. Secundo quemadmodum intellectus ex principiorum cognitione procedit ad eliciendas conclusiones, ita etiam voluntas ex appetitione summi boni, seu finis extremi movetur ad inquirenda media, quibus id obtinere queat, sive ad persequenda bona, quibus aliquo modo valet beatitudinis appetitioni satisfacere. Tertio ut intellectus duo sunt munera, simpliciter intelligere, et deinde ratiocinari, sic etiam duo sunt munera, voluntatis, nimirum velle simpliciter quod refertur ad finem, sicut simplex intellectio refertur ad principia, et eligere, quod refertur ad media, sicut ratio seu ratiocinatio ad conclusiones, prout luculenter explicat S. Doctor 1. part. quaest. 83. art. 4. ubi concludit: « Sicut « se habet intellectus ad rationem, ita se habet voluntas « ad vim electivam, sive ad liberum arbitrium, et quemadmo« dum ejusdem est potentiae intelligere, et ratiocinari, sic « etiam ejusdem est potentiae velle, et eligere. » Quarto denique ut mens nulla necessitate adstricta tenetur ad assentiendum conclusionibus, sive, ut loquitur D. Thomas quaest. 82. art. 2., rebus intelligibilibus, quae non habent necessariam, et evidentem connexionem ad prima principia, quales sunt contingentes propositiones, quia quamdiu sunt contingentes, aliquid semper de illis inquirendum, et cognoscendum superest; sic etiam animus non adstrictus tenetur iis

bonis, quibus Beatitudo non cumulatissime continetur; eo quod in illis non possit conquiescere felicitatis appetitio, sed semper aliquid aliud expetendum supersit; ubi hoc etiam est accurate observandum, bona omnia particularia prout deficiunt a summi Boni plenitudine necessario involvere aliquem defectum, et privationem boni, atque adeo aliquam mali speciem ostentare, ex quo fit, ut cujuscumque particularis boni acquisitio plerumque repugnet alterius boni consecutioni quod voluntatem allicere potest ad sui prosecutionem. His praemissis expeditior jam fiet libertatis defensio.

PROPOSITIO

In his quae cadunt sub electionem voluntas nulla necessitate determinatnr, extatque adeo in homine liberum arbitrium, seu libertas indifferentiae, et a necessitate.

Prob. Si voluntas in suis electionibus aliqua necessitate ad unum adstricta teneretur, sive ad eligendum, vel non eligendum, sive ad unum prae alio eligendum, hoc fieret, vel quia ex objecto, sive ex ipsa objecta boni specie necessario moveretur ad ipsum prosequendum, vel quia in omni deliberatione ipsum ultimum rationis practicae judicium quod semper voluntas sequitur, esset necessario determinatum. Atqui utrumque repugnat humanae mentis naturae, et conditioni, ergo talis est humanae mentis vis, et natura, ut nulla necessitate moveatur ad eligendum. Major constat: nam quum electio consistat in actu, quo animus deliberatione facta de bonitate objecti, illud prosequendum, et amplectendum decernit, profecto si nec bonitas objecti necessario allicit voluntatem, nec judicium de illo amplectendo est necessario determinatum, necesse est, ut in eo judicio, et electione insit libertas a necessitate. Probatur vero minor. Nam primo quod attinet ad obiectum sive illud particulare bonum, quod subest electioni, sic evincitur: quidquid deficit a ractione summi boni, et perfecti, illud nec tam late patet, quam ipsum voluntatis objectum, et simul potest menti repraesentari, ut non bonum: sed repugnat, ut voluntas necessario inhaereat bono, quod non totam exaequat objecti sui amplitudinem; nam hoc adepto bono, vel adhuc

ei aliquid expetendum superest, vel nihil. Si nihil ei dicatur superesse ad expetendum; ergo per illud bonum tota ejus expletur vis appetendi, atque adeo illud objectum non deficeret a ratione boni summi, et perfecti contra suppositionem. Si aliquid ei adhuc expetendum superest, ergo virtus voluntatis non est ad illud objectum ex necessitate determinata; quandoquidem ad ea converti potest, quae sibi expetenda supersunt: deinde quum objectum voluntatis sit bonum, voluntas potest repudiare quidquid repraesentari menti potest ut non bonum: sed quidquid deficit a ratione boni summi, et perfecti, repraesentari semper menti potest ut non bonum, ergo potest id voluntas repudiare. Non igitur ei necessitate inhaeret, siquidem id non est necesse, quod aliter haberi potest.

Quod porro attinet ad alteram partem, videlicet ad ultimum judicium rationis practicae, facile quoque ostendi potest illud nulla in electione necessario esse determinatum. Primo enim hoc judicium de bono particulari eligendo non est necessario determinatum quoad exercitium, si hoc judicium quoad exercitium est a voluntate imperante, et ex alia parte voluntas non necessario determinatur illa objecti boni specie. Atqui ex una parte hoc judicium, quoad exercitium, est a voluntate imperante, ex alia parte voluntas ipsa boni specie non est necessario determinata; ergo judcium illud non est necessario determinatum quoad exercitium. Ex quo sequitur neque determinatum esse quoad specificationem, ubi agitur de diversis, bonis, quae non valent explere vim appetendi. Sed ut melius revincantur adversarii, hoc pacto velut ad hominem procedimus.

Judicium, quod cohiberi potest, quodque locum relinquit novae semper inquisitioni, ac deliberationi, non est necessario determinatum; sic non est necessario determinatum judicium, quo quis assentitur propositioni, quae non praeseferat evidentiam, sed probabilibus tantummodo rationibus innitatur, nam quo tempore unam prae alia opinionem eligit, tamen sentit non adhuc sibi liquido constare de rei veritate, sicque proinde acquiescit, ut possit assensum suspendere, atque propositionem novo examini subjicere. Sic etiam quum animus deliberat de re hic, et nunc eligenda, sic judicat unum esse hic, et nuc alio melius, uti si ad alias rationes attenderet, illud idem minus bonum, mi-

nusque cum felicitatis appetitione cohaerere deprehenderet: neque enim hic agitur de judicio generali, et speculativo, quo quis ex caussa potest evidenter cognoscere honestum esse utili praeferendum, sed de judicio practico, quo judicatur hic, et nunc melius esse pecuniam largiri pauperi, quam eam retinere, ant contra. Itaque quum quis eligit pecuniam potius sibi servare, judicat pro illa temporis conditione hoc sibi melius esse, quia magis attendit rationibus, quae utilitatem suadent: attamen quum haec utilitas non habeat necessariam connexionem cum felicitate, ex hoc ipso amore felicitatis moveri potest animus ad hoc judicium suspendendum, et inquirendum, num in parte opposita non sit major quaedam cum felicitate convenientia, idque quum in omni electionis exemplo, et eventu fieri possit, patet judicium practicum quo aliquid hic, et nunc melius judicatur semper subesse voluntatis arbitrio, neque ulla necessitate determinatum esse. Quum ergo nec vi objecti voluntas necessario in suis electionibus determinetur, nec ipsum practicae rationis judicium, quod illa sequitur, sit necessario determinatum, sequitur voluntatem nulla necessitate adstrictam teneri ad eligendum, aut non eligendum, aut ad unum prae alio eligendum, hominemque adeo pollere vera, et propric dicta libertate arbitrii, et indifferentiae.

Prob. Secundo ex ipso sensu intimo; nam certe animus illis est affectionibus praeditus, quarum sibi est sensu intimo conscius; neque enim fieri potest, ut animus non sit calore affectus, quum sentit se calore affectum, aut non cogitet, quum suae sibi est cogitationis conscius. Atqui animus revera sibi est conscius, arbitrio se uti in eligendo, nec aliqua necessitate in eligendo determinari. Ergo etc. Minor evidentissime constabit, si quis attendere voluerit, et apud se reputare, quam diversa sit conditio actus quo suam beatitudinem expetit, atque actus quo eligit aut in Schola sedere, aut foras inambulare. Nam profecto si animus se ispum interroget, num beatus esse velit, sentit nullam sibi moram sumendam esse ad deliberandum, sed insuperabili quodam appetitu ferri se se, et inclinari ad suam volendam felicitatem, neque sibi facultatem ullam superesse deliberandi utrum beatus esse velit, nec ne; contra vero quum auditor ex una parte vocatur ad Scholam, ex alia parte ab otioso sodali revocatur ad jocos, sentit profecto sibi facultatem inesse deliberandi,

atque ita uni parti assentiri, ut si velit, assensum statim revocare queat, rursumque deliberare, seque ad aliam partem adjungere. Longe ergo dispar est conditio actus, quo quis beatitudinem expetit, atque actus, quo animi gratia eligit inambulare. Sed in primo necessario se determinari sibi conscius est ad volendam beatitúdinem potius quam ad illam respuendam: in secundo vero nullam sentit ejusmodi necessariam determinationem. Ergo revera sensu intimo constat ipsa immunitas a necessitate. Igitur ea immunitate pollet homo in suis electionibus.

Prob. Tertio ex universali consensu generis humani, qui sane oritur ex illo intimo sensu, cujus quisque sibi est conscius. Est enim constans haec, et universalis consensio, dignos esse homines laude, et praemio, vel vituperatione, et poena, quia in his, quae bene, vel male agunt non solum sunt immunes a coactione, sed etiam a necessitate. Hinc quidquid aut bene, aut male agunt amentes, et furiosi, nullo modo ipsis imputatur ad laudem, aut ad culpam, licet sponte omnino, et voluntarie agant quod bene, aut male agunt. Nun ergo ut actus censeatur imputabilis, atque adeo situs in potestate agentis, sufficit libertas a coactione, sed praeterea requiritur immunitas a necessitate, quam furiosis, et amentibus deesse omnes intelligunt, eo quod sit in ipsis usus rationis omnino praepeditus, atque adeo, quae sibi proponuntur non valeant per rationem comparare, atque ex rationis judicio unum prae alio eligere.

Objicit jam vero Collinius. Primo, quatuor sunt, inquit, actus hominis, qui ad hanc quaestionem de libertate pertinent, scilicet perceptio idearum, judicium, quod fit de propositionibus; ipsum velle, et agere, quod volumus. Atqui nullus est ex his quatuor actibus, qui non sit omnino necessarius. Ergo etc. Primo, perceptio idearum est actio necessaria, nam ideae, vel sunt ex sensatione, vel ex consideratione, vel reflexione animi. Priores creantur ipsa necessaria impressione objectorum in sensum: sunt ergo necessariae. Deinde fieri non potest, ut non sentiamus nos cogitare dum cogitamus, sunt ergo posteriores etiam ideae prorsus necessariae. Secundo quod attinet ad judicium, quaelibet propositio necesse est ut appareat aut evidens, aut probabilis, aut improbabilis, aut dubia, aut falsa, nec magis fieri potest ut non probabile judicem quod mihi probabile videtur,

quam ut judicem non rubrum apparere quod rubrum apparet. Judicium ergo est etiam necessarium. Tertio ipsum velle occurrit, seu determinatio voluntatis ad aliquod agendum, seu electio, qua unum praefert alteri. De hoc, inquit Collinius, institui possunt duae quaestiones, utrum simus liberi in volendo, et nolendo; secundo utrum ex duobus propositis objectis nobis liberum sit alterutrum perinde eligere. Porro, pergit idem Scriptor, manifestum est nullam hominis libertatem inesse circa ipsum velle, et nolle. Nam si homini aliquid agendum proponatur quod sit positum in ejus potestate statim agere, illico etiam efficietur in eo voluntas id aut agendi, aut non agendi, neque solvitur difficultas, si dicatur posse ipsum voluntatem sustinere, quia haec ipsa suspensio est actus voluntatis electionem de re proposita prorogantis; unde semper debebit voluntas quidquid sibi proponitur hic, et nunc aut velle, aut nolle. Jam vero unum ex his duobus necessario est determinatum. Determinatur enim majoris boni specie, quae in uno elucet prae altero; quum autem eligere, sive unum alteri praeferre nihil sit aliud, quam judicare unum esse alio praestabilius, hoc autem judicium ex ipsa objecta majoris boni specie sit necessario determinatum, sequitur voluntatem nullam in electione retinere libertatem a necessitate. Quarto denique si nulla est in electione libertas, patet nullam quoque inesse in actione, quae sequitur electionem. Nihil est igitur in humana mente, in quo libertas a necessitate queat consistere.

Huic argumento, in quo sibi multum plaudit Collinius, haud est difficile occurrere. Nam primo, quod attinet ad repraesentationem idearum, duo sunt distinguenda, ipsa idearum perceptio, et attentio animi ad eas contemplandas. Licet autem simplex perceptio sit necessaria, tamen attentio, qua mens magis, aut minus defigitur in rerum consideratione pendet ab ipsa voluntate. Ex quo efficitur ut repraesentatio idearum quae pendet ex attentione nullo modo sit necessaria. Nam, ut inquit D. Thomas prima 2. quaest. 10. art. 2., *potest aliquis de quocumque objecto cogitare, vel non cogitare.* Stat ergo contra Collinium primum fundamentum libertatis: si enim potest mens de quocumque obiecto non cogitare, consequens est, ut possit illud non velle. Nullum est igitur objectum, quod necessario voluntatem moveat quantum ad exercitium actus.

Secundo quod attinet ad judicium non potest quidem non judicare animus aliquid aut evidens, aut probabilius, dum sibi tale videtur. Sed hoc interest discriminis inter evidentiam, et quamcumque probabilitatem, quod ubi elucet evidentia, non potest animus non assentiri, ubi vero tantum locum habet probabilitas, licet hic et nunc judicem unum esse alio probabilius, adhuc est in potestate animi, aut ei rei, quae probabilior videntur assentiri, aut assensum sustinere, velut in illa questione theologica: Utrum Minores Ordines sint vere, et proprie dicta Sacramenta, profecto ille, cui sententia D. Thomas videatur esse probabilior, non potest non judicare talem sententiam utique esse probabiliorem: verum, etiamsi eam agnoscat ut probabiliorem, nulla necessitate adstrictus tenetur ad ei assentiendum, sed est in ipsius potestate aut assentiri, aut assensum cohibere, atque animum convertere ad rem penitius investigandam. Labitur ergo Collinius in hoc, quod non distinxerit inter judicium, quo animus aliquid probabile judicat, et judicium, quo in eo quiescit quod sibi probabile videtur. Primum est aliqua ex parte necessarium: nam fieri non potest, ut non probabile judicem, quod mihi probabile videtur, sed quod acquiescam in eo quod probabile tantum judico, nulla est necessitas naturalis, et physica, sed pendet ex arbitrio animi.

Hinc tertio quod pertinet ad electionem, utique quum aliquid hic, et nunc proponitur voluntati necesse est ut id velit, aut nolit ex vi contradictionis, sed hoc non officit libertati, quia nulla necessitate movetur ad unam potius, quam ad alteram partem contradictionis. Nam licet unum alio melius esse videatur, tamen in eo, quod melius apparet semper potest animus aliquam mali rationem, vel defectus animadvertere, ex quo efficitur, ut judicium practicum de illo amplectendo suspendere valeat, quin etiam in ipsius potestate est facere, ut quod statim melius esse videbatur, jam minus bonum apparere incipiat, applicando scilicet intellectum ad majorem considerationem motivorum, quae ab amplectendo objecto deterrere possunt. Unde quemadmodum in eo, quod a perfecta veri ratione deficit, quod videlicet est solum probabiliter verum, non evidenter tale, potest animus vel acquiescere propter probabilitatem rationum, vel assensum cohibere ob defectum evidentiae, sic etiam in objecto, quod a perfecti boni ratione deficit, potest animus aut conquiescere pro-

pter ipsam boni speciem, quae in eo elucet, ipsumque allicit, aut idem repudiare, prout a boni perfecti ratione deficit, seque ad aliud bonum convertere. Ex quo fit, ut judicium practicum de aliquo eligendo, etsi quando ponitur, semper sit de eo, quod melius apparet, non semper tamen ponatur, quoties melius aliquid apparet.

Hinc quarto fit manifestum quam parum considerate Lokius, cujus doctrinae de libertate inhaeret Collinius, et cujus verba hoc loco refert, laudatque, tamquam absurdam traducere voluerit ipsam, quae de libertate instituitur quaestionem: « Quaerere, ait ille, num sit homini liberum velle aut « inambulare, aut sedere prout sibi placet, perinde est, ac « si roges num homo possit velle, quod vult, aut sibi pla- « cere in eo, quod sibi placet: quaestio scilicet, quae nulla « responsione indiget »; sed profecto Lockius nimium inconsulte deceptus est verbi aequivocatione. Potest adolescens dicere: ludo, quia ludus mihi placet, potest item dicere, ludus mihi placet, sed non ludo, ut sapientiae studiis incumbam. Illic verbum *placere* refertur ad praesentem voluntatis electionem, quae certe semper est de eo, quod placet: istic idem verbum refertur ad speciem oblectationis, quae movet animum ad electionem, ipsamque adeo electionem antecedit. Equidem esset absurdum quaerere num homini placeat deambulatio, dum actu sibi placet in deambulando: sed etiam mirum, Lockium non vidisse, quam alienum id sit a quaestione, quae instituitur de libertate. Dum enim quaeritur utrum sit homini liberum deambulare, an sedere prout sibi placet. verbum istuc, *placere* refertur ad oblectationem antecedentem voluntatis consensum, animique deliberationem, et perinde est, ac si quaeratur, num stante delectatione, quam excitat in animo ipsa deambulationis species, eumque movet ad eam eligendam, adhuc liberum sit homini ei delectationi consentire, an ab eadem abstinere propter considerationem alterius boni, quo privaretur per ipsam deambulationem: uno verbo quaestio ad id reducitur, num proposito quocumque bono finito polleat animus facultate sibi repraesentandi motiva, propter quae illud aut eligat, aut repudiet; qua in quaestione nihil aliud est absurdi, quam quod audaces homines perversa ejus facultatis oppugnatione illius quaestionis instituendae occasionem praebuerint.

Alterum hoc est argumentum Collinii contra libertatem.

Quaelibet hominis actio habet aliquod initium; quidquid autem habet initium, habet et caussam, e qua oriatur. Omnis porro caussa necessaria est. Nam caussae si non sunt necessariae, nec habebunt peculiarem relationem cum suis effectis seu non erunt alligatae certis effectis producendis, poteruntque adeo quemlibet effectum producere, ex quo sequetur, quod Epicurus inducere magnopere voluit, ut fortuita concursione atomorum Mundus ipse sit genitus.

Hoc fere argumentum jam a Cicerone proponitur lib. de Fato ex persona Chrysippi Stoici Philosophi, qui mentem hominis libera voluntate spoliatam necessitate fati devinciebat. Contendebat hic etiam omnia fieri caussis antegressis; ubi autem caussa esset antegressa, effectum necessario sequi; secus non omnis enunciatio vera esset, aut falsa, deficiente scilicet relatione, qua effectus ex caussa nexus est. Porro ille quoque, ut recentiores, qui libertate cogitandi gloriantur, caussas eas antecedentes repetebat ex natura coeli, et solis, aliisque similibus. Verum totam hanc subtilitatem praeclare jam Tullius evertit. « Haec disserens Chrysippus, qua de re agatur, inquit Ci« cero, et in quo caussa consistat non videt: non enim si « alii ad alia propensiores sunt propter caussas naturales, et « antecedentes, idcirco etiam nostrarum voluntatum, atque « appetitionum sunt caussae naturales et antecedentes: nam « nihil esset in nostra potestate, si res ita se haberet: nunc « vero fatemur acuti, hebetes ne, valentes, imbecilli ne si« mus, non id in nobis. Qui autem ex eo colligi putat, ne « ut sedeamus quidem, aut ambulemus voluntatis esse, is « non videt quae quamque res consequatur. » Praeclare deinceps ostendit, quemadmodum concedi oporteat, nullum esse motum sine caussa, sive ut loquitur Collinius, nullam esse actionem sine initio, et caussa, quin tamen ex eo sequatur voluntatis adesse caussas naturales, et antecedentes, quae necessitatem injiciant. « Quum, inquit, sine caussa animum « moveri dicimus, sine antecedente, et externa caussa mo« veri, non omnino sine caussa dicimus. » Ut enim de corpore gravi dicitur, quod gravitate sua, et pondere fertur in centrum, quin ulla sit caussa, quae accedat extrinsecus, sed quod haec ejus sit natura, ut pondere et gravitate moveatur, eaque ipsa sit caussa, cur ita feratur; « Similiter ad animo« rum motus voluntarios non est requirenda externa caussa. « Motus enim volontarius eam naturam in seipso continet,

« ut sit in nostra potestate, nobisque pareat: nec id sine « caussa. Ejus enim rei caussa ipsa natura est. »

Breviter itaque ad argumentum Collinii: omnis actio humana utique initium habet, et caussam; sed actionis humanae duplex caussa distingui potest, una excitans appetitionem estque species bonitatis, quae se prodit in objecto, talisque caussa est omnino antecedens, et necessaria, altera, quae proprie est efficiens, nimirum vis ipsa voluntatis se se determinans ad prosecutionem objecti, haecque libera est, ut superius demonstravimus. Neque ex hoc sequitur futurum, ut debita connexio deficiat inter caussam, et effectum, et ex qualibet caussa quilibet effectus indifferenter prodire queant.

Nam ipsa caussa libera nihil potest extra latitudinem sui objecti, unde voluntas non potest odisse bonum, ut bonum, nec velle malum, ut malum, sed necessario est ad bonum determinata. Quod autem ad nullum peculiare bonum sit necessario adstricta, id ex hoc efficitur, quod vi sua tendat in bonum universale, et perfectum: unde fieri non potest, ut tota ejus virtus alligata maneat bono particulari, et finito. Itaque sive voluntas eligit, sive non eligit, semper effectus habet debitam proportionem cum sua caussa; nam eligendo voluntas sequitur ipsam speciem boni, quae apparet in objecto: et non eligendo recedit a defectu, qui semper sequitur conditionem boni particularis, habetque rationem mali, unde semper manet intra latitudinem sui objecti.

Tertium argumentum Collinii aggreditur vulgarem hominum persuasionem existimantium libertatem pertinere ad animi perfectionem, eamque hac de caussa propugnantium. Contra Collinius contendit libertatem semper futurum maximam imperfectionem animi. Nam primo, ut inquit ille, sive libertas definitur facultas diversa judicia ferendi de rebus non evidentibus, haec facultas revera est imperfectio. Etenim si est rationi consentaneum, pertinetque ad perfectionem mentis, ut necessario determinetur per ea, quae videntur evidenter vera; non minus est rationi consentaneum, ut determinetur necessario per id, quod probabile apparet, vel improbabile essetque imperfectio non determinari in tali eventu. Secundo sive libertas definitur facultas volendi malum cognitum ut tale, non secus ac bonum; haec libertas foret, ut patet, maxima hominis imperfectio. Tertio sive definitur facultas eligendi unam potius, quam alteram ex pluribus rebus indiffe-

rentibus, et similibus, haec quoque libertas est imperfectio: nam res, quae dicuntur indifferentes, et similes dupliciter considerari possunt, vel quatenus res illae, tametsi revera differant in se se, tamen propter defectum perspicientiae nobis videntur esse similes, quia earum differentias perspicere non possumus, talisque libertas manifeste oritur ex limitatione nostrarum facultatum, estque adeo imperfectio. Secundo vel res ipsae sunt revera indifferentes, et similes, tumque nulla est perfectio in hoc, quod alterutram animus eligere valeat, quandoquidem in similibus vim suam exercebit.

R. Immunitatem a necessitate in iis rebus eligendis, quae non habeat cum ultimo fine perspicuam, et necessariam connexionem, in qua sita est potissimum essentia libertatis, omnino perfectionis rationem sibi vindicare. Nam quum natura intelligentiae, et rationis particeps solo universali, et perfecto bono espleri cumulate valeat, sane pertinent ad illius perfectionem, ne alicui peculiari bono necessitate quadam inhaereat, sed ab eo abstrahere se possit, atque ad alia bona contendere. Quo posito ruunt argumenta Collinii, in quibus multa etiam sunt absurde posita. Nam primo, quid absurdius fingi potest, quam quod ait aeque pertinere ad perfectionem animi, ut non minus probabilitate oblata, quam perspecta evidentia necessario determinetur? Quod primum experientiae repugnat; deinde quum haud raro falsum latitet sub probabilitate, si ad probabilia sequenda necessario animus determinaretur aliquando in falsum ipsa necessitate duceretur, quod longe abhorret ab ejusdem perfectione. Igitur quum propter obscuritatem rerum, et judiciorum infirmitatem in multis difficile sit verum explorate cognoscere, pertinet sane ad perfectionem animi in his, quae probabilia videntur sustinere se posse; ut penitius rem explorando, vel veritatem reperire, vel ad eam, quam prope fieri potest accedere valeat.

Secundo perperam Collinius disserit contra libertatem acceptam pro facultate malum eligendi cognitum ut malum. Quippe nemo est, qui talem notionem libertatis defendat. Equidem saepius accidit, ut deceptus homo apparens bonum sequatur, quod est revera malum, velut si qui divitias per furtum, delectationes per intemperantiam prosequuntur. Hoc autem non ad vim ipsam, et perfectionem libertatis pertinet, sed potius ad ejusdem defectum, ut perspicue D. Thomas

explicat in secundam dist. 25. quaest. 1. art. 1. ad 2. « Ad ra-
« tionem liberi arbitrii pertinet, ut indeterminate se habeat ad bo-
« num, vel ad malum, quia liberum arbitrium per se in
« bonum ordinatum est, quum bonum sit objectum volunta-
« tis, nec in malum tendat, nisi propter aliquem defectum
« quia apprehenditur ut bonum: quum non sit voluntas,
« aut electio nisi boni, aut apparentis boni. Et ideo ubi per-
« fectissimum est liberum arbitrium, ibi in malum tendere
« non potest. Sed hoc ad libertatem arbitrii pertinet, ut ac-
« tionem aliquam facere, vel non facere possit: et hoc Deo
« convenit: bona enim, quae facit potest non facère, nec
« tamen malum facere potest. »

Hinc tertio merito Scholastici statuunt solam indifferentiam contradictionis, et exercitii pertinere ad essentiam, et perfectionem libertatis, non autem eam indifferentiam contrarietatis, seu quoad specificationem ad bonum scilicet, et ad malum, quae est potestas peccandi. Quod proinde, ut egregie docet Cardinalis Gotti, intelligendum est de indifferentia contrarietatis ad media eligenda solum apparenter ordinabilia ad finem, non vero de indifferentia ad media, quae licet sint inter se contraria, sunt tamen vere, et debite ordinabilia ad finem. Unde potentia, quam habet homo ad seipsum dirigendum in ultimum finem sive per virginitatem, sive per castitatem conjugalem non est indifferentia ad bonum, et ad malum, nec defectus libertatis, quia in utroque servat debitum ordinem ad finem, et utrumque in finem ultimum est ordinabile, quod confirmatur ex D. Thoma prima parte quaest. 62. art. 8. ad 3. « Quod liberum arbitrium diversa eligere possit servato « ordine finis, hoc pertinet ad perfectionem libertatis ejus; « sed quod eligat aliquid divertendo ab ordine finis, quod « est peccare: hoc pertinet ad defectum libertatis. » Quod vero attinet ad casum, licet metaphysicum, qui proponi solet, num ex duobus mediis perfecte similibus voluntas posset alterutrum eligere libere, quum nulla esset ratio sufficiens, cur potius unum eligeret, quam aliud, sapienter difficultatem dissolvit S. Thomas. 1. secundae quaest. 13. art. 6. ad 3. « Dicendum nimirum quod nihil prohibet, si aliqua duo ae- « qualia proponantur secundum unam considerationem, quin « circa alterum consideretur aliqua conditio, per quam eveniat, « ut magis flectatur voluntas in ipsum quam in aliud. » Et revera fieri non potest, ut animus dum de illis duobus me-

diis cogitat, aequalem semper alterutri attentionem praestet: poterit ergo inter deliberandum in unius consideratione magis attentionem defigere, unde fiet, ut sub aliqua ratione magis eligibile appareat.

Sed adhuc difficultas manet de ipsa Dei libertate. Nam in Deo est vera libertas, et tamen in eo non datur judicium indifferens, quia omne judicium Dei est determinatum; nec tamen judicium Dei determinatum tale est, ut id voluntas necessario sequi debeat, secus non posset Deus eligere minus bonum, omisso meliore, ex quo sequeretur, Deum non posse facere meliora quam quae facit.

Huic difficultati sic respondet Cardinalis Gotti: in Deo adesse ab aeterno judicium indifferens circa ea, ad quae habet libertatem, indifferentia tamen non subjectiva, sed terminativa. Tum adesse etiam in Deo judicium nostro intelligendi modo proponens, et determinans voluntatem suam ad hoc potius, quam illud medium ordinandum in finem, qui est bonitas sua; non supponendo illud in se melius, sed illud melius efficiendo: ut enim docet D. Thomas prima parte quaest. 20. art. 4. « Deum diligere magis aliquid, nihil « aliud est, quam ei majus bonum velle: voluntas enim Dei « est caussa bonitatis in rebus, et sic ex hoc sunt aliqua « meliora, quod eis Deus majus bonum vult: unde sequitur, « quod meliora plus amet. » Voluntatem quoque divinam suo modo determinari per judicium intellectus docuit S. Thomas primo contra Gent. cap. 88., ubi ait: « Voluntas divi- « na in his ad quae non secundum naturam suam determi- « natur, inclinatur quodammodo per suum intellectum. »

Quod autem urget Leibnitius, Deum pro sua infinita sapientia, et bonitate debuisse inter omnes mundos possibiles eligere mundum perfectissimum, cui existentiam tribueret, secus non egisset ex bonitate, et sapientia, quod cogitari non potest: respondendum primo Leibnitium id assumere, quod repugnat, seu laborare falso supposito; nimirum dari posse mundum perfectissimum. Nam quum divina bonitas nulla creaturarum complexione possit exhauriri, potest quidem in infinitum una complexio alia perfectior cogitari, quin tamen deveniatur ad unam, quae sit perfectissima, et qua non aliquid perfectius cogitandum supersit (1), unde subtilius, et ve-

(1) Plenius hac de re dictum est in Dissert. *de Sensu Morali* edit. hujus vol. II.

rius quam Leibnitius de hac re disputat S. Thomas, 1. part, quaest. 25. artic. 5. ubi relata eorum opinione qui dixerunt: « quod potentia divina determinatus ad hunc cursum rerum « propter ordinem sapientiae, et justitiae divinae, sine quo « Deus nil operatur: « eam hoc pacto refellit: « Sed tamen « ordo a divina sapientia rebus inditus (in quo ratio justi-« tiae consistit) non adaequat divinam sapientiam sic, ut di-« vina sapientia limitetur ad hunc ordinem. Manifestum est « autem, quod tota ratio ordinis, quam sapiens rebus a se « factis imponit, a fine sumitur. Quando igitur finis est pro-« portionatus rebus propter finem factis sapientia facientis li-« mitatur ad aliquem determinatum ordinem. Sed divina bo-« nitas est finis improportionabiliter excendens res creatas. Unde « divina sapientia non determinatur ad aliquem ordinem re-« rum, ut non possit alius cursus rerum effluere. » Cur autem Deus hunc potissimum ordinem inter infinitos alios ordines elegerit, id si dixerimus effectum esse ex certo, eodemque rectissimo, sed prorsus humanae intelligentiae impervio consilio, quid quaeso. habeant audacissimi etiam homines quod prudenter opponant? Deinde si operae pretium foret Leibnitiano more Leibnitianis subtilitatibus occurrere, quid ille respondere habeat his qui dixere eum ordinem a Deo delectum esse, in quo cum maxima simplicitate mediorum existeret maxima foecunditas effectuum, in quo plurimum elucet sapientia facientis? Unde intelligatur quemadmodum Deus melius aliquid facere possit, si melius referatur ad res ipsas, non autem si melius importet modum ex parte facientis, quia scilicet non potest Deus facere ex majori sapientia, et bonitate, ut docet S. Thomas art. 6. ad primum.

Instaurari difficultas potest argumento theologico. Christus adimplendo praecepto moriendi certe liber fuit, quum eo implendo meruerit: tamen non potuit illud praeceptum non implere quum esset impeccabilis. Minime igitur libertas consistat in indifferentia ad eligendum, vel non eligendum.

Respondent nonnulli, inter quos Claudius Frassen Christo factum esse a patre praeceptum moriendi non absolutum, sed conditionatum, ejusque arbitrio subordinatum, quod significare videtur Christus his verbis Joan. 10. « Propterea me diligit « pater, quia ego pono animam meam, ut iterum sumam « eam. Nemo tollit eam a me, sed ego pono eam a me « ipso, et potestatem habeo iterum sumendi eam. Hoc man-

« datum accepi a Patre meo » Unde S. Cyrillus Alex. lib. 12. in Joan. *In negotio mortis paterna dicitur consilia executus*, ubi consilii nomine intelligendum quidem est mandatum, sed Christo libere acceptanti praescriptum. Aliter cardinalis Gotti respondet, nimirum Christum fuisse liberum in adimplendo praecepto de morte, non tamen sine omni indifferentia, et potestate ad non moriendum, esto non ad transgrediendum praeceptum (quia haec esset indifferentia ad peccandum, quae non est de essentia libertatis) sed ad non moriendum absolute, et praecisive a praecepto de morte. Quare Christus non poterat non mori, sumpta non morte privative, et ut conjungenda cum praecepto de morte quia sic non mori esset violatio praecepti: poterat autem non mori sumpta non morte mere negative, et ut ponenda absolute, et praecisive a praecepto. Hoc enim ex una parte sufficit ad salvandam indifferentiam potestatis ad non moriendum, et ex alia Christi impeccabilitatem.

Quod autem attinet ad actus virtutum, velut temperantiae, quos Christus non elicere non potuit, quum urgere praeceptum legis naturalis, in cujus observatione non potuit esse indifferens, respondet laudatus Claudius Frassen, Christum in observatione talis praecepti non fuisse indifferentem quoad substantiam, fuisse tamen quoad modum, et motivum. Tametsi enim Christus non potuerit non observare praeceptum temperantiae simplicite, quando urgebat, potuit tamen illud non observare ex hoc determinato motivo, quia liberum fuit Christo abstinere ab omni voluptate corporea vel ex motivo charitatis, vel temperantiae, vel alterius virtutis: indifferentia enim motivi sufficit ad meritum, quia motivum informat intrinsece actum; eumque specificat, et distinguit, estque de substantia actus non physice, sed moraliter spectati. Quum ergo motivum Christi in observatione praecepti temperantiae fuerit liberum, debuit consequenter actus temperantiae esse liber intrinsece.

Quartum jam argumentum Collinii sumitur ex consideratione praescientiae divinae, quam rebus, quae sunt eventurae, necessitatem imponere contendit. Refert hac de re celebrem sententiam Tullii, quae hujusmodi est, ut eam expressius refert, egregieque refellit D. Augustinus lib. 5. de civitate Dei cap. 8. « Nimirum si praescita sunt omnia futura, « hoc ordine venient, quo ventura esse praescita sunt. Et si

« hoc ordine venient, certus est rerum ordo praescienti Deo:
« et sic certus est ordo caussarum. Non enim aliquid fieri
« potest, quod non aliqua efficiens caussa praecesserit. Si
« autem certus est ordo caussarum, quo fit omne quod
« fit . . . nihil est in nostra potestate, nullumque est arbitrium
« voluntatis. » Tum subdit: « In has angustias Cicero coar-
« ctat animum religiosum, ut unum eligat ex duobus aut
« esse aliquid in nostra voluntate, aut esse praescientiam
« futurorum, quoniam utrumque arbitratur esse non posse.
« Itaque ut Vir magnus, et doctus, et vitae humanae plu-
« rimum, et peritissime consulens ex his duobus eligit libe-
« rum voluntatis arbitrium. Quod ut confirmaretur, negavit
« praescientiam futurorum; atque ita dum vult facere libe-
« ros, facit sacrilegos. » Antequam argumentum solvatur, diligenter animadvertendum esse censeo, difficultatem quam expertus est Cicero in concilianda libertate cum Divina praescientia totam fuisse non de libertate a coactione, sed de libertate a necessitate. Nam qui negabant arbitrium proprie dictum, voluntatem necessitati subjicientes, non propterea negabant voluntarie omnino: et sine coactione homines velle quidquid volunt, nec ulla unquam difficultas fuit in concilianda hujusmodi immunitate a coactione cum divina praescientia. Siquidem talis immunitas haud excludit necessitatem quam per divinam praescientiam Cicero putavit importari. Quum ergo Cicero sustulit divinam praescientiam ut liberum arbitrium assereret, liberum intellexit libertate a necessitate, nec aliter intelligere potuit. Jam videamus quid Augustinus de libero arbitrio sentiat. Sunt nimirum haec ejus verba, quae proxime nectuntur superioribus: « Religiosus autem animus
« utrumque eligit, utrumque confitetur, et fide pietatis utrum-
« que confirmat. » Ergo D. Augustinus utrumque fide pietatis confitendum esse duxit, quod utrumque simul non posse consistere Cicero putavit, nimirum Dei praescientiam, et arbitrium liberum a necessitate. Ex quo uno luculentissime patet mens Augustini in hoc lib. 5. de civ. Dei, quam inepte Jansenistae, ut mox videbimus, hoc libro abutantur, ut demonstrent Augustino idem fuisse liberum, atque voluntarium nempe quidquid fit voluntate, licet voluntas necessitate adstricta teneatur. Hoc posito jam afferenda est solutio, quam Ciceronis argumento D. Augustinus adhibet. « Non est autem
« consequens, ut si Deo certus est omnium ordo caussarum,

« ideo nihil sit in nostrae voluntatis arbitrio: et ipsae quippe « nostrae voluntates in caussarum ordine sunt qui certus est Deo, ejusque praescientia continentur: quoniam et humanae « voluntates humanorum operum caussae sunt: atque ita, qui « omnes rerum caussas praescivit, profecto in eis caussis « etiam nostras voluntates ignorare non potuit, quas nostro- « rum caussas esse praescivit ». Hoc responsum illustrat D. Thomas 1. part. quaest. 14. art. 18. ad 3. distinctione inducta inter sensum divisum, et compositum, quae quum notissima sit; nec ad rem nostram proprie pertineat, eam copiosius declarare supersedemus.

Quintum, et sextum argumenta Collinii vix digna sunt, quae referantur. Ait primo, nisi homo esset agens determinatum necessario per delectationem, et dolorem, perperam praemia, et supplicia sancirentur. Nam si mercedis, et poenae cogitatio non posset voluntatem determinare, sique fieri posset, ut homo dolorem eligeret ut dolorem, nihil proficeret legislator decernendis praemiis, et supliciis. Secundo, nisi homo esset necessario determinatus per delectationem, et dolòrem nullam haberet notionem virtutis, aut vitii, careretque omni motivo virtutis amplectendae, et vitii fugiendi. Nam ex Lokio virtus, et vitium consistit in illis actionibus, quae omnibus spectatis, plurimum afferunt aut delectationis, aut doloris. Ergo si homo esset indifferens ad delectationem et dolorem, nec posset virtutem distinguere a vitio, nec ulla ratione impelli posset ad illam prosequendam, istudve fugiendum.

Ad primum respondeo libertatem non officere, quia utiliter praemia, et supplicia proponantur. Nam ad libertatem minime pertinet, ut homo dolorem eligere possit ut dolorem, seu gratia ipsius doloris, adeoque malum eligere ut malum prout ineptissime Collinius supponit. Nec libertati adversatur, quod homo delectationis, et doloris consideratione incitetur ad agendum. Sed aliud est, quod bonum finitum moveat voluntatem ad sui prosecutionem, aliud quod eum necessario determinet. Primum satis est, ut praemia, et supplicia utiliter decernantur, quod invitus agnoscit ipse Collinius dum ait, quod si mercedis, et poenae cogitatio non posset voluntatem determinare, inutilia essent praemia, et supplicia, in quo supponit sufficere igitur, ut possit determinare. Jam qui libertatem defendunt, aud negant mercedis, et poena cogitationem

posse voluntatem movere ad se determinandum, sed solum inducere necessariam determinationem.

Ad secundum absurdissime constituitur a Lockio, et Collinio notio virtutis, et vitii. Nam aliud est, quod per virtutem homines ad felicitatem perveniant, qua summa delectatio continetur, et vitium eosdem in summam miseriam ex Dei providentia conjiciat; aliud est, quod ipsa essentia virtutis, et vitii collocetur in efficentia voluptatis, et doloris. Haec enim ipsissima est Epicuri de virtute, et vitio sententia. Absurde quoque colligit Collinius ex inducta libertate futurum, ut nullum motivum suppeteret homini ad virtutem prosequendam, et vitium fugiendum. Nam ut satis patet ex dictis, licet consideratio boni, quod virtutem consequitur, non necessario voluntatem determinet, plurimum tamen eam allicere potest, ut ipsam virtutem libere amplectatur: praeterquamquod ipsa boni species, quam honestas prae se fert, valet per sese animum ad sui prosecutionem allicere, atque, a vitii turpitudine deterrere.

Benedictus quoque Spinosa homo impio perinde, atque absurdo systemate famosus libertatem a necessitate viribus omnibus oppugnare studuit. Sic enim statuit Ethicae parte secunda propositione 48. « In mente nulla est absoluta, sive « libera voluntas; sed mens ad hoc, vel illud volendum de- « terminatur a caussa, quae etiam ab alia determinata est, « et haec iterum ab alia, et sic in infinitum ». Cujus pro- « positionis hanc affert pseudodemonstrationem. « Mens certus, « et determinatus modus cogitandi est (per propositionem 11.) « adeoque per Corollarium secundum propositionis 17. par. « 1. suarum actionum non potest esse caussa libera, sive « absolutam facultatem volendi, et nolendi habere non po- « test; sed ad hoc, vel illud volendum determinari debet per « propositionem 28. part. 1. a caussa, quae etiam ab alia « determinata est, et haec iterum ab alia. »

Jam illud Corollarium, quo mentem esse modum cogitandi colligit, eruitur ex hoc principio, quod nulla praeter Deum substantia esse queat; eo quod substantia non plus una esse possit, eademque necessario existens, immutabilis, infinita, indivisibilis. Unde concludit reliqua omnia esse tantum modificationes divinae substantiae. Verum hoc principium manifeste repugnat evidentissimis ontologiae principiis, quamque absurde fuerit a spinosa constitutum ipsi demonstravimus se-

cunda Dissertatione addita ad librum de religione nuper a nobis editum. Dissert. de exsistentia Dei Edit: hujus vol. II.

Reliqua Spinosa repetit ex eo, quod Deus ex necessitate suae naturae, sive quod idem est per ipsum, ex naturae legibus determinetur ad agendum omniaque proinde a Deo necessario determinentur. Ex quo infert Deum non operari ex libertate voluntatis, res non alio modo, nec alio ordine a Deo produci potuisse, quam productae sunt, adeoque res summa perfectione a Deo fuisse productas. Verum haec omnia, et occupata jam, et invictissime rejecta esse vidimus a D. Thoma, ut proinde in his diutius refellendis immorandum non sit.

Postremo loco afferenda est ratio, qua idem Spinosa Epist. 62. eludere nititur vim argumenti e sensu intimo petiti ad libertatem adstruendam; quam rationem etiam instaurare plurimum conatus est Petrus Baelius. « Concipe, inquit, si « placet, lapidem dum moveri pergit, cogitare, et scire se « quantum potest, conari, ut moveri pergat. Hic sane la- « pis quandoquidem sui tantummodo conatus est conscius, « et minime indifferens, se liberrimum esse, et nulla alia de « caussa in motu perseverare credet, quam quia vult. At- « que haec humana illa libertas est, quam omnes habere « jactant. » Et scilicet ille lapis haberet sensum intimum suae libertatis, quia sibi conscius esset se moveri ex sua electione, et tamen non esset liber: quia non vi electionis, sed alia ignota sibi caussa moveretur. Ergo sensus intimus libertatis non probat inesse libertatem.

At nil Spinosa, et Baelius efficiunt. Quippe admisso illo etiam haud scio an satis eleganti lapidis exemplo, duo sunt in eo distinguenda, quae illi perperam confundunt, nimirum motus localis, quo fertur lapis, et actus quo motum velle, et eligere supponitur. Jam libertas in hac solum electione consistere posset, non autem in ipso motu; si quidem libertatis defensores ipsam libertatem in electionibus proprie constituunt, non in rebus, quae consequuntur electionem. Hoc posito sensus ille intimus libertatis, qui tribuitur lapidi, vel est sensus intimus ipsius motus localis, vel sensus intimus electionis, qua vult moveri. Profecto non potest sensus intimus libertatis referri ad ipsum motum localem, quia nec motus localis, nec alia quaevis affectio praeter ipsam electionem libertate pollere potest; unde si lapis judicaret hunc

motum non esse determinatum a necessaria caussa sibi ignota, non ex sensu intimo id judicaret; proptereaque si falleretur, non eum sensus intimus deciperet. Si vero sensus ille intimus refertur ad actum, quo lapis vellet, et eligeret moveri, neque deciperetur lapis, si ex hoc sensu intimo colligeret se libere velle moveri. Aliud est enim, quod motus localis esset necessarius, aliud quod voluntas ipsa esset necessario determinata. Nam etsi motus ille procederet a caussa impellente externa ignota lapidi, et motum necessario efficiente; tamen actus voluntatis, in quo inesset libertas, non propterea haberet caussam necessario determinantem. In eo ergo casu conjungeretur in lapide vis interna qua vellet libereque motum eligeret, et caussa externa, quae motum illum efficeret. Quo posito si lapis judicaret se liberum esse in volendo motu, recto indicaret, et ex sensu intimo judicaret. Si vero judicaret illum motum in se liberum esse, aut non aliam caussam habere, nisi electionem, deciperetur quidem, sed, ut patet, non ex sensu intimo id judicaret. Invictisssimum igitur manet argumentum, quo ex sensu intimo libertas confirmatur.

CAPUT IV.

Quod liberum arbitrium per peccatum non penitus extinctum fuerit.

Hactenus Sophistarum Religionis omnis contemptorum argumentationes contra libertatem rationibus discutere conati sumus. Jam SS. Litterarum, Patrumque Testimoniis demonstrandum, eamdem vim liberi arbitrii et concessam fuisse homini innocenti, et post peccatum mansisse, illam non quidem valentem, integram, ut antea, sed licet imminutam, revera tamen conservatam fuisse. Nam utrumque est contra Lutheranos, et Calvinistas constituendum. Tametsi vero illi praedicant liberum arbitrium peccato potissimum extinctum fuisse, nihilominus aliqua etiam proferunt adversus liberum arbitrium, quibus eam facultatem pro omni statu repugnare colligitur; velut Lutherus De servo arbitrio cap. 125. « Pugnant, inquit, ex Diametro praescientia, et omni-« potentia Dei cum nostro libero arbitrio.

PROPOSITIO.

Non solum vis arbitrii plena, et integra fuit homini innocenti concessa, verum et post peccatum permansit licet imminuta.

Prima pars probatur a SS. Patribus ex illis verbis Gen. 1. « Faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem no« stram, et praesit piscibus Maris etc. » Sic Irenaeus lib. 4. adversus haereses. « Homo vero rationabilis, et secundum « hoc similis Deo liber in arbitrio factus, et suae potestatis. » Tertullianus lib. 2. contra Marcionem cap. 5. « Libe« rum, et sui arbitrii, et suae potestatis invenio hominem « a Deo institutum; nullam magis imaginem, et similitudi« nem Dei in illo animadvertens, quam ejusmodi status for« mam. « Et cap. 6. » Tota ergo libertas arbitrii in utram« que partem concessa est illi, ut sui dominus constanter « occurreret, et bono sponte servando, et malo sponte vi« tando. » Sed haec prima pars confirmabitur etiam argumentis, quibus jam arbitrii libertatem mansisse post peccatum ostensuri sumus.

Prob. Itaque altera pars Gen. 4. Cainum sic Deus alloquitur: « Nonne si bene egeris recipies? Sin autem male « statim in foribus peccatum tuum aderit? sed sub te erit « appetitus ejus, et tu dominaberis illius. » Ergo est in potestate hominis suos affectus, et appetitus provocantes ad peccandum coercere. Non ergo necessitate ulla pertrahitur, sed potius potestatem habet sive ad bene agendum, et consentiendum gratiae, sive ad male agendum. Deuter. 30. Moyses ita populum alloquitur. « Testes invoco hodie « coelum, et terram, quod proposuerim vobis vitam, et « mortem, benedictionem, et maledictionem. Elige ergo vi« tam etc. » Porro, ut inquit D. Thomas prima 2. quaest. 3. art. 2. « Quum electio sit praeacceptio unius respectu al« terius, necesse est, quod electio sit respectu plurium, « quae eligi possunt. Et ideo in his, quae sunt penitus de« terminata ad unum, electio locum non habet. » Insignis est etiam locus ecclesiastici cap. 15. « Deus ab initio con« stituit hominem, et reliquit illum in manu consilii sui; « adjecit mandata, et praecepta sua, si volueris mandata

« servare conservabunt te . . . . Apposuit tibi aquam, et « ignem, ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante ho- « minem vita, et mors, bonum, et malum, quod placuerit « ei dabitur illi. » Quibus verbis luculentissime expressum liberum humanae voluntatis arbitrium agnovit Augustinus lib. de Gratia, et libero arbitrio cap. 2. Huc pertinent, quae ibidem leguntur Cap. 31. de viro justo. « Qui potuit tran- « sgredi, et non est transgressus, facere mala, et non fe- « cit, » quae profecto ex communi loquendi consuetudine, cui se Divinae litterae accommodant, libertatem arbitrii ab omni necessitate immunem luculenter exprimunt.

Prob. 2. SS. Patrum auctoritatibus. Cyprianus lib. 3. ad Quirinum ait: « Credendi, vel non credendi libertatem in « arbitrio positam in Deuteronomio. » Basilius hom. *Quod Deus non est auctor mali* de anima loquens ait: « Unde om- « nino mali capax est? Quoniam libero facta est arbitrio, « quod creaturae rationis participi maxime conveniebat. » Hier. lib. 2. adversus Jovinianum Cap. 2. « Liberi arbitrii « nos condidit Deus, nec ad virtutes, nec ad vitia necessi- « tate trahimur: alioquin ubi necessitas est, nec damnatio, « nec corona est. » Hanc arbitrii libertatem tribus libris de libero arbitrio conscriptis vindicavit Augustinus adversus Manichaeos. Nec vero e sententia decessit, quum subinde gratiae necessitatem adversus Pelagianos defendere aggressus est. Nam Augustino certum semper fuit eos errare, qui aut gratiam libero arbitrio, aut liberum arbitrium gratia everti putarunt. Quocirca librum de Gratia, et libero arbitrio conscripsit: « Quoniam, inquit, sunt quidam, qui sic gratiam « Dei defendunt, ut negent hominis liberum arbitrium, aut « quando gratia defenditur, negari existiment liberum arbi- « trium, hinc aliquid scribere ad vestram charitatem cura- « vi. » Hinc lib. 2. de Nuptiis, et concupiscentia cap. 3. refellit Juliani calumniam, Pelagianos accusari ab Augustino dicentis, quod liberum arbitrium tuerentur. « Nam inquie- « bat Julianus, si quis aut liberum in hominibus arbitrium, « aut Deum esse nascentium conditorem dixerit, Coelestia- « nus, et Pelagianus vocatur: cui respondet Augustinus li- « berum in hominibus arbitrium, et Deum esse nascentium « conditorem, utrique dicimus, non hinc estis Coelestiani, « et Pelagiani. »

Opponunt haeretici primo illud Ezech. 36. « Auferam

« a vobis cor lapideum, et dabo vobis cor carneum: Spiri-
« tum meum in medio vestri, et faciam ut in praeceptis
« meis ambuletis. » Ibi porro cordis lapidei nomine malam voluntatem significari animadvertunt. Quemadmodum igitur nulla intelligi potest in lapide libera cooperatio, si verti debeat in carnem, sic nulla in voluntate libertas, et cooperatio agnoscenda, quum ex mala in bonam mutatur: ideo non dixit Deus: faciam, ut in praeceptis meis ambulare possitis, sed ut ambuletis.

Resp. Cum Bellarmino liberum arbitrium non esse cor lapideum, neque cor carneum, sed vim quamdam mediam, et naturalem, quae et peccati duritiem quasi formam quamdam lapidis, et gratiae teneram affectionem quasi formam carnis suscipere potest. Quod significat Augustinus lib. de Spiritu, et littera cap. 33., ubi dicit liberum arbitrium, et naturaliter attributum creaturae rationali esse vim illam mediam, quae intendi ad fidem, et inclinari ad infedelitatem potest. Neque, ut recte ait Bellarminus, obstat similitudo lapidis; non enim similitudines debent convenire in omnibus. In eo tantum similitudo locum habet, quod sicut lapis ex se non habet ut cooperetur si forte convertatur in carnem, sic etiam liberum arbitrium ex se non habet ut cooperetur ad suam ipsius conversionem; potest tamen a Deo recipere potestatem operandi per gratiam praevenientem, quod non potest lapis; atque ad hanc dissimilitudinem forte significandam idem Propheta Ezechiel cap. 18. dicit. *Faciam vobis cor novum, et spiritum novum.* Neque possunt Kemnitius, et Calvinius hanc disparitatem negare, quum ipsi fateantur non excludi in conversione peccatoris actionem voluntatis humanae qui tamen lapidi non concederent talem actionem, si vere in carnem convertendus esset.

In eo vero, quod additur: *Faciam, ut in praeceptis meis ambuletis*, ostenditur quidem efficacitas Divinae gratiae: sed hanc efficacitatem minime officere libertati arbitrii plane convincit haec manifestissima ratio D. Thomae 1. 2. quaest. 10. art. 4. ad 1. « Voluntas Divina non solum se extendit, ut
« aliquid fiat per rem, quam movet, sed ut etiam eo modo
« fiat, quo congruit naturae ipsius, et ideo magis repugna-
« ret Divinae motioni, si voluntas ex necessitate moveretur
« libere prout competit suae naturae. » Hinc patet responsio ad reliqua loca, quae afferunt Heterodoxi e SS. litteris,

quibus in his quae pertinent ad salutem omnia fieri a Deo in homine, nil hominem cooperari persuadere nituntur. Legitur quidem Joan. 6. *omnis qui audivit a Patre, et didicit venit ad me*, sed etiam Psalm. 94. legitur: « Si vocem ejus « audieritis, nolite obdurare corda vestra. » Legitur ad Philipp. 2. *qui operatur velle, et perficere pro bona voluntate.* Sed idem Apostolus ait: « Cum timore, et tremore salutem « vestram operamini: » quibus admonemur Divinam operationem non excludere, sed sancire potius liberi arbitrii cooperationem.

Opponunt secondo Augustinum, qui libro de Correptione, et Gratia cap. 14. ait: « Non est dubitandum voluntati Dei « voluntates humanas resistere non posse. »

Resp. Textum Augustini intelligendum esse ex hypothesi non absolute; ut sensus sit non posse fieri, ut is Deum vocantem non sequatur, quem Deus vocavit eo modo, quo praevidit eum secuturum, tamen absolute posse non sequi. Quos ergo Deus hoc modo vocat, eos certe praevidet libere secuturus. Quum autem falli nequeat praescientia Dei, fieri non potest in sensu composito, ut is non sequatur, quem sic vocavit, ut praevideret eum secuturum, simulque adstruitur libertas, quum is sequitur, ut Deus eum praevidit secuturum, nimirum libere.

Opponunt tertio illud ex Enchirid. cap. 30. *libero arbitrio male utens homo, et se perdidit, et ipsum:* et ex libro de perfecta justitia cap. 4. « Victa enim vitio in quod cecidit, « voluntate, caruit libertate natura. »

Resp. His locis intelligendum Augustinum de libertate a peccato, et a miseria, non de libertate a necessitate, seu indifferentiae. Unde libro primo contra duas Epistolas Pelagianorum cap. 2. ait: « Quis autem nostrum dicat, quod « primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de huma- « no genere? Libertas quidem periit per peccatum, sed illa « quae in Paradiso fuit, habendi plenam cum immortalitate « justitiam. »

Rectissime proinde ad assequendam Augustini mentem docet Card. Gotti observandum, vocem liberi arbitrii aliquando ab eo usurpari pro naturali facultate eligendi utrumlibet, positis omnibus requisitis: aliquando pro eadem facultate, ut expedita, instructa nempe omnibus iisdem requisitis, maxime ad agendum bonum, ut oportet ad salutem. Priore

modo liberum arbitrium usurpat, quum agit contra Manichaeos, qui naturalem illam facultatem negabant. Posteriori vero illud accipit, quum agit contra Pelagianos, qui liberum arbitrium per sua naturalia contendebant esse sufficienter instructum ad agendum bonum etiam ut oportet, nec egere auxilio gratiae. Contra quos proinde, quum dicit hominem per peccatum liberum arbitrium perdidisse, est intelligendus de facultate omnino expedita, nec indigente auxilio gratiae medicinalis; hinc dum libro de perfecta justitia cap. 5. ait: *Quia peccavit voluntas secuta est peccatum peccandi dura necessitas*; exponendus de necessitate non physica, sed morali, et de necessitate quadam vage, et indeterminate, et pro omni tempore, quia licet homo lapsus possit singula vitare peccata, non tamen omnia collective.

CAPUT V.

De necessitate libertatis a necessitate ad moralem actuum humanorum imputationem.

Error fuit Jansenii, ut ante vidimus a sancta Sede proscriptus: « In statu naturae lapsae ad merendum, vel de« merendum non requiri libertatem a necessitate, sed sufficere libertatem a coactione. » Quum itaque hactenus demonstratum fuerit vigere in homine, et ex ipsa facultate rationis, et voluntatis prodire libertatem arbitrii, seu a necessitate, talemque libertatem non penitus per peccatum extinctam, et corruptam fuisse, jam contra Jansenianos demonstrandum eam ad moralem humanorum actuum imputationem omnino requiri.

PROPOSITIO.

Ut actus humani sint boni, vel mali moraliter, seu laudabiles, aut vituperabiles, meritorii vel demeritorii non sufficit libertas a coactione, sed prorsus requiritur libertas indifferentiae, seu a necessitate.

Prob. Propositio primo Summorum Pontificum, et Conciliorum definitionibus. Damnatae sunt videlicet a S. Pio V. et Gregorio XIII propositiones Baji 32. *quod voluntarie fit*,

etiamsi necessario fiat, libere tamen fit. 41. « Is libertatis « modus, qui est a necessitate, sub libertatis nomine non « reperitur in scripturis, sed solum nomen libertatis a pec- « cato. » 66. *Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.* 67. « Homo peccat etiam damnabiliter in eo quod « necessario facit. » Secundo quod in constitutione Innocentii X memorata tertia propositio Jansenii uti haeretica declaretur, et damnetur.

Nec porro dicant Janseniani damnatas Baji propositiones nil valere adversus Jansenii doctrinam, propterea quod illae damnatae sunt in senso Baji, qui volebat omnes actus voluntatis etiam primo-primos, et indeliberatos esse nihilominus liberos, non autem in sensu Jansenii, qui solis motibus deliberatis libertatem tribuit. Nam haec responsio refellitur ipsa damnata propositione 75. Baji expresse affirmantis motus pravos concupiscentiae, etsi prohibitos, non tamen deputari ad peccatum homini non consentienti. Ergo dum idem Bajus affirmat propositione 67. hominem damnabiliter peccare in eo, quod necessario facit, non loquitur de motibus primo-primis, sed de motibus deliberatis, in quibus non secus atque Jansenius supponit voluntatem necessario determinatam.

Tertio Concilium Constantiense Sess. 8. hunc Vicleffi 27 proscripsit articulum: *Omnia de necessitate absoluta eveniunt.* Profligata igitur absoluta necessitate constituta manet aliqua libertas indifferentiae, seu a necessitate. Quarto Concilium Trident. Sess. 6. cap. 5. docet libere hominem consentire Divinae inspirationi, quippe quam rejicere potest: et can. 4. dicit liberum arbitrium concurrere in dispositione ad justificationem, quia sicut consentire, ita etiam dissentire potest. Quo loco sane Concilium definire aliquid voluit adversus exortos recens errores. Nullus porro fuit, qui negaret libertatem a coactione. Igitur Concilio Tridentino propositum fuit vindicare, et asserere libertatem a necessitate.

Hinc licet Janseniani videri volunt admodum recedere ab erroribus Lutheri, et Calvini, tamen in eos apertissime recidunt. Nam Calvinus lib. 2. Instit. cap. 2. num. 7. « Li- « beri arbitrii, ait, hoc modo dicitur homo, non quia li- « beram habeat boni aeque, ac mali electionem, sed quia « male voluntate agit, non coactione. » Et Synodus Dordrectana apud Calvinistas generalis: « Libertas non pugnat

« cum omni necessitate, et determinatione, violentiae, et « coactionis. » Stanislaus etiam Hosius Cardinalis Legatus in Tridentino Concilio refert a Melanctone Lutheri Discipulo instauratum errorem Vicleffi jam proscriptum a Synodo Constantiensi, nempe: « quod omnibus omnia de necessitate « absoluta evenire dixerit. »

Prob. Insupere SS. Patrum auctoritate. S. Hilarius in Psalt. 118. « Aliis gloriam saeculi eligentibus, Sanctus iste « mandata Dei elegit. Elegit autem non naturali necessitate, « sed voluntate pietatis, qui unicuique ad id, quod vult, « via est proposita vivendi, et appetendi, atque agendi per- « missa libertas; et ob id uniuscujusque, aut poena aut praemiis afficientur electio » D. Chrysostomus hom. 22. in Gen. « Nonne manifestum est sua quemque voluntate, vel « virtutem vel malitiam eligere? Nec nisi ita esset, et na- « turae nostrae potestas eligendi insita esset, neque illos pu- « niri, necque istos virtutum retributiones accipere portebat. « Verum quia in nostra voluntate totum post Dei gratiam « relictum est, ideo peccantibus supplicia proposita sunt, et « bene operantibus retributiones. » D. Hieronymus lib. 2. adversus Iovinianum cap. 2. cujus locum superius recitavimus. D. Augustinus lib. de vera Religione cap. 14. « Et « quoniam peccari non dubium est, ne hoc quidem dubitan- « dum video, habere animas liberum voluntatis arbitrium. « Tales enim servos suos meliores esse Deus judicavit, si « ei servirent liberaliter quod nullo modo fieri posset, si « non voluntate, sed necessitate servirent. » Et deinceps de Angelo malo = *Si necessitate id fecisset nullo peccati vinculo teneretur.*

Denique S. Thomas quaest. 6. de malo rem plane conficit his verbis: « Quidam posuerunt quod voluntas hominis « ex necessitate movetur ad aliquid eligendum; nec tamen ponebant, quod voluntas cogeretur. » Hic sane apertissime D. Thomas errorem memorat, quem suum deinceps Janseniani fecerunt. « Haec autem, inquit, opinio est haeretica; « tollit enim rationem meriti, et demeriti in humanis acti- « bus. Non enim videtur esse meritorium vel demeritorium « quod aliquis sic ex necessitate agit, quod vitare non pos- « sit. Est etiam adnumeranda inter extraneas philosophiae « opiniones, quia non solum contrariatur fidei, sed subver- « tit omnia principia philosophiae moralis. »

Objicitur Primo D. Augustinus qui cap. 105 Enchiridii haec habet: « Nec culpanda est voluntas, aut voluntas non « est, aut libera dicenda non est, qua Beati esse sic volu- « mus, ut esse miseri non solum nolimus, sed nequaquam « prorsus velle possimus. » Quod confirmat lib. 22. de Civit. Dei cap. 30. de libertate Beatorum in altera vita sic loquens: « Nec ideo liberum arbitrium non habebunt, quia « peccata eos delectare non poterunt: magis quippe erit li- « berum a delectatione peccandi usque ad delectationem non « peccandi indeclinabilem liberatum. » Insuper lib. de Natura, et Gratia cap. 46. « Perquam absurdum est, ut ideo „ dicamus non pertinere ad voluntatem nostram, quod Beati „ esse volumus, quia id omnino nolle non possumus. Nec „ dicere audemus Deum non voluntatem, sed necessitatem „ habere justitiae, quia non potest velle peccare. „

Resp. Illis locis D. Augustinum hoc unum voluisse, in actionibus nimirum, quae non subjacent externae violentiae, sed a voluntate producuntur sponte operante speciem quamdam libertatis elucere, quae dicitur immunitas a coactione. Verum praeter hanc libertatem a coactione compertum est ex locis superius prolatis, Augustinum indifferentiae quoque libertatem agnovisse. Vel etiam dici potest cum Bellarmino ex Augustini mente, eum, qui vult beatitudinem, constringi quidem necessitate quoad specificationem, quia non potest velle miseriam, tamen non ideo privari libero arbitrio, quia potest quoad exercitium velle, et non velle beatitudinem. Pari ratione Deum velle justitiam ex necessitate quoad specificationem, quia non potest velle iniquitatem: sed non ideo privari libero arbitrio, quia potest, et quoad exercitium quaedam justa facere, et non facere, et quoad specificationem ex multis justis unum alteri praeferre illudque eligere. Hanc proinde fuisse mentem Augustino posse voluntatem liberam remanere, licet in aliqua re, vel aliquo genere voluntatis libera non sit. Propterea demum, quod attinet ad beatos, Augustinum minime censere illos habituros liberum arbitrium ad peccandum, vel non peccandum; id enim pugnaret cum eo, quod dicit eos tales futuros, ut non possint ulla ratione peccare; sed indicare voluisse per necessitatem non peccandi non tolli liberum arbitrium beatorum, sed potius confirmari. Qui enim peccare non possunt liberrimi sunt in eligenda bona, et possunt eligere hoc, aut illud bonum,

vel unum, et idem eligere, vel non eligere sine ullo periculo errandi. Posse autem eligere malum non est virtus liberi arbitrii, sed defectus: nihil enim aliud est, nisi posse in eligendo falli, et errare. Itaque hoc defectu remoto non perit, sed fortius, liberiusque efficitur liberum arbitrium beatornm.

Caeterum animadvertimus ex eodem loco, scilicet ex cap. 30. lib. 22. de Civit. Dei suppetere sententiam, qua luculenter mentem suam declarat Augustinus, et Jansenianam doctrinam prorsus evertit: „ Servandi autem, inquit, gradus „ erant Divini muneris, ut primum daretur liberum arbi- „ trium, quo non peccare posset homo; novissimum, quo „ peccare non posset: atque illud ad comparandum meritum, „ hoc ad recipiendum praemium pertineret. „ Duplex hic Augustinus distinguit liberum arbitrium, unum, quo potest homo non peccare, sed quod nullam inducit necessitatem non peccandi, estque adeo arbitrium indifferentiae, et a necessitate: alterum, quod habet adjunctam felicem necessitatem non peccandi, et hoc solum futurum est in altera vita. Expresse autem significat hoc postremum valere tantum ad praemium, sed ad meritum fuisse tributum illud primum, quod est a necessitate. Igitur ex Augustino manifestum est in hoc statu naturae lapsae ad merendum, vel demerendum non sufficere libertatem a coactione, sed requiri libertatem a necessitate.

Ob. Secundo celebris Textus ex lib. 5. de Civit. Dei cap. 10. „ Si illa definitur necessitas, secundum quam dicimus „ necesse esse, ut ita sit aliquid, vel ita fiat, nescio cur „ eum timeamus ne nobis libertatem auferat voluntatis. Ne- „ que enim, et vitam Dei, et praescientiam Dei sub neces- „ sitate ponimus, si dicamus necesse esse Deum semper vi- „ vere, et cuncta praescire. „

Respond. Non aliud eo loco propositum fuisse Augustino, quam ut ostenderet praescientiam Dei tametsi necessitatem hypotheticam, et consequentem inducat, non proptera officere libertati. Disputat enim adversus eos, qui ex eo, quod praescientia Dei falli nequeat, concludebant omnia sic evenire, ut aliter evenire non possint, nilque adeo liberum esse sed omnia pendere ex certo ordine caussarum, ipsosque adeo actus voluntatis ex caussis externis voluntatem necessario adstringentibus repetebant. Contra quos Augustinus demonstrat

nec semper necessitatem supponere influxum caussae externae, et adstringentis. Hoc postremum demonstrat exemplo vitae, praescientiae, et perfectionis in Deo. Neque enim, inquit, vitam Dei, et praescientiam Dei sub necessitate ponimus, idest servituti, et caussarum externarum influxui obnoxiam facimus, juxta mentem adversariorum, qui servitutem, vel dependentiam, et necessitatem confundebant, si dicamus necesse esse Deum semper vivere, cuncta praescire. Sic etiam contendit Augustinus, licet aliquo sensu dicatur necesse esse, ut aliquid velimus, non propterea tamen subjici voluntatem nostram caussarum antecedentium ordini, et absolutae necessitati; quae ex actione talium caussarum inducitur. Sic enim ait: „ Si enim necessitas nostra illa di-
„ cenda est, quae non est in nostra potestate, sed etiam,
„ si nolumus, efficit quod potest, sicut est necessitas mortis
„ manifestum est voluntates nostras, quibus recte vel per-
„ peram vivitur, sub tali necessitate non esse. „ Hoc pacto excludit Augustinus a voluntate, qua recte vel male vivitur, necessitatem absolutam, et qua fiat, ut quod volumus non sit in nostra potestate. Tamen ex praescientia Dei negare haud poterat Augustinus, quin aliqua species necessitatis oriretur. Sed simul ostendit eam esse necessitatem, quae dicitur consequens, et ex sensu composito exurgit; sic enim ait:
„ Sic etiam quum dicimus, necesse est esse, ut quum vo-
„ lumus, libero velimus arbitrio, et verum procul dubio di-
„ cimus, et non ideo ipsum liberum arbitrium necessitati
„ subjicimus, quae adimit libertatem. „ Quum ergo, concludit Augustinus, Deus praesciverit, quod futurum erat, ut libero vellemus arbitrio, hoc quidem necessario futurum est, ut velimus, non tamen ut necessario velimus, sed libere, quamadmodum est a Deo praevisum. „ Quocirca nullo mo-
„ do cogimur aut retenta praescientia Dei tollere libertatis
„ arbitrium, aut retento voluntatis arbitrio Deum, quod
„ nefas est, negare praescium futurorum, sed utrumque am-
„ plectimur, utrumque fideliter et veraciter confitemur; il-
„ lud ut bene credamus; hoc ut bene vivamus. „ Ac dein-
„ ceps. „ Neque enim ideo peccat homo, quia Deus illum
„ peccaturum esse praescivit: immo ideo non dubitatur
„ ipsum peccare, cum peccat, quia ille cujus praescientia
„ falli non potest, non fatum, non fortunam, non aliquid
„ aliud, sed ipsum peccaturum esse praescivit. Qui si nolit,

„ utique non peccat. Sed si peccare noluerit, etiam hoc ille „ praescivit. „ Quod ipsum est, quod Theologi *sensus compositi* nomine, brevi, aptissimaque formula comprehendunt. Caeterum, ut saepius admonuimus in refellenda Ciceronis opinione negantis libertatem cum praescientia Divina posse consistere, manifestum est Augustinum non solam libertatem a coactione, quam haud negabat Cicero, posse conciliari cum Divina praescientia, sed libertatem indifferentiae, et a necessitate, de qua tantum erat difficultas, voluisse adstruere.

Ob. Tertio D. Bernardus sermone 81 in cantica: « Nescio quo pravo, et miro modo ipsa sibi voluntas peccato « quidem in deterius mutata necessitatem faciat, ut necessitas, quum voluntaria sit, excusare non valeat voluntatem, « nec voluntas, quum sit illecta, excludere necessitatem. »

Resp. Bernardum loqui de necessitate consequente, conditionata, et morali, orta ex pravis, et culpabilibus affectibus non de necessitate physica, absoluta, et antecedente, quae repugnat libertati. Quam parum vero faveat Bernardus Jansenianis, liquido constat ex lib. de libero arbitrio, cap. 2. « Caeterum, quod sui liberum non esse cognoscitur, quo « pacto vel bonum ei, vel malum imputatur? Excusat nempe « utrumque necessitas. Porro ubi necessitas est, libertas non « est, ubi libertas non est, nec meritum, ac per hoc nec « judicium. »

Ob. Quarto. D. Thomas quaest. 10 de Potentia art. 2. ad 5. qui expresse docet naturalem necessitatem minime repugnare libertati, sed solam coactionem. Unde fatetur etiam libere Spiritum Sanctum procedere a Patre.

Resp. S. Thomam ibi loqui de voluntate simplici, non de voluntate ut est principium electionis, quae sola liberum arbitrium nominatur. Porro D. Thomas expresse distinguit libertatem voluntatis, quae solam excludit violentiam, et coactionem, a libertate arbitrii, quae insuper necessitatem excludit, velut quaest. 24 de veritate art. 1 ad 20, ubi quum dixisset nos de primis principiis judicare, non ea examinantes, sed naturaliter assentientes, et similiter de fine ultimo nos non judicare judicio discussionis, sed naturaliter approbantes, proptereaque de eo non electionem, sed voluntatem tantum esse: tum subjicit: « Habemus ergo respectu ejus « (nempe ultimi finis) liberam voluntatem, quum necessitas « naturalis inclinationis non repugnet libertati secundum S.

« Augustinum de civ. Dei, non autem liberum judicium pro-
« prie loquendo, quum non cadat sub electionem. »

Ob. Quinto idem D. Thomas, qui in 2 sentent. dist. 25 quaest. 1 art. 4 *Liberum*, inquit, *arbitrium dicitur ex eo quod cogi non potest.* Et prima parte quaest. 83 art. 2 ad 3 ait per peccatum periisse libertatem a culpa, et a miseria, non libertatem naturalem, quae est a coactione.

R. D. Thomam coactionem ibi sumere pro necessitate. Nam in 2 sent. duplicem in loco allato coactionem distinguit, unam externae violentiae, quae se tenet ex parte subjecti, alteram quae petitur ex objecto, quaeque non violentiam infert, sed necessitatem. Quibus distinctis ait: « Vo-
« luntas autem neque subjecto cogi potest, quum non sit
« organo affixa; neque objecto: quantumcumque enim ali-
« quid ostendatur esse bonum, in potestate ejus remanet
« eligere illud, vel non eligere ». Ex quo patet sub generali coactionis nomine D. Thomam a voluntate rejicere non solum violentiam, sed etiam necessitatem in eligendo. Patet etiam D. Thomam in alio textu coactionem accipere pro necessitate, seu determinatione ad unum. Nam eo articulo probat liberum arbitrium non esse habitum, sed potentiam, quia per habitus inclinamur ad unum, liberum autem arbitrium indeterminatum est etiam ad multa opposita. Ex quo patet ibi libertatem a coactione non aliud significare, quam immunitatem a determinatione ad unum, id est libertatem a necessitate, et indifferentiae.

Ob. Denique ex eodem Angelico doctore locus ex 3 sent. dist. 18 quaest. 1 art. 2 ad 5, ubi de libero arbitrio Christi loquens ait: « Quod si etiam determinatum esset ad unum
« numero, sicut ad diligendum Deum, quod non facere non
« potest: tamen ex hoc non amittit libertatem, aut rationem
« laudis, sive meriti, quia in illud non coacte, sed sponte
« tendit: et ita est actus sui Dominus ».

Huic difficultati satis fieri puto prima responsione tradita a card. Gotti nempe D. Thomam ibi dare duplicem responsionem: „ Primam, quod liberum arbitrium Christi non erat
« determinatum ad unum secundum numerum, sed ad unum
« secundum genus, scilicet ad bonum, quia in malum non
« potest, et tamen hoc potest facere et non facere. Et hoc
« non excludit libertatem arbitrii: quia posse peccare non
« est libertas arbitri, nec pars libertatis, ut dicit Anselmus ».

Et hanc responsionem proferre ex mente sua. Secundam vero ab arguente allatam proferri ab eodem S. doctore ad abundantiam, et potius ex mente aliorum, recitando potius, quam asserendo: cujus signum est quod in tertia parte quaest. 18 art. 4 ad 3 ex praefatis duabus responsionibus primam tradit, secundam vero praetermittit. Caeterum nemo nescit ex summa potius, quam ex commentariis in libros sententiarum perspici posse germanam mentem, et doctrinam S. Thomae.

Et hactenus quidem de libertate, de qua vereor, ne quibusdam longior, quam par est instituta fuisse a nobis oratio videatur; sed si spectabitur argumenti dignitas, et difficultas, metuo ne potiori jure brevior etiam existimetur.

QUAESTIO III.

De caussis involuntarium efficientibus.

Voluntario adversatur violentia, et metus prout voluntarium a principio intrinseco esse, et ex voluntatis inclinatione intelligitur; adversatur ignorantia prout inclinatio voluntatis cognitionem praerequirit; voluntario denique ut se se prodit in electionibus conjunctum cum indifferentia arbitrii officit vis cupiditatis, prout eam indifferentiam imminuit. De his proinde jam singillatim agendum, ut appareat quemadmodum per ea voluntarium aut minuatur, aut omnino tollatur.

CAPUT I.

De Violentia.

Animadvertendum primo violentum definiri *id, cujus principium est extra, nihil conferente eo, qui cogitur.* Ita Aristoteles lib. 3. Ethicae cap. primo, et post eum D. Thomas. 2. 2. quaest. 175. art. 1. et quaest. 22. de Verit. art. 5. Ita etiam Damascenus lib. 2. de Fide cap. 24. Hinc ad violentum duplex conditio requiritur; prima ut principium violentiae sit extra. Quod enim est intra ipsum operans, tametsi necessitatem injiciat, non tamen infert violentiam: principium enim intrinsecum naturale, et proprium est. Secunda, ut cui vis adhibetur, nil conferat, sive nullo modo consentiat actioni externi principii, nec eam adjuvet; immo, quod

bene advertendum est, ei actioni vel expresso conatu, vel interpretativo saltem obsistat. Nam, si sufficeret ad violentiam, ut is qui a principio extrinseco patitur, nihil cooperaretur, parvulos, dum per baptismum justitiam accipiunt pati violentiam, quod est absurdissimum. Unde recte D. Thomas ait: « Non semper esse motum violentum quando passivum immutatur a suo activo, sed quando hoc fit contra « interiorem inclinationem passivi: » propter eam caussam, qui dormientem hominem praecipitem ageret in flumen, ei violentiam afferret: nam etsi homo dormiens expresso conatu non resistat, tamen interpretativa, et *virtualis ejus, et secundum ractionem inclinatio esset contraria*, ut ait Silvius.

Animadvertendum secundo actus humanus alios esse elicitos, alios imperatos, prout superius explicatum est; sed hinc insupere animadvertimus eam esse vim voluntatis, ut non solum imperet actus per alias potentias exercendos, verum etiam actus ab ipsa eliciendos, ut quum ex intentione finis imperat electionem mediorum. His positis.

PROPOSITIO I.

Quoad actus, quos voluntas imperat, nec elicit, potest voluntas pati violentiam.

Prob. Actus, quos voluntas imperat, nec elicit, exercentur per aliam potentiam, quae interdum obnoxia esse potest actioni externi agentis renitente ipsa voluntate, velut quum voluntate imperante inambulationem, compedes injiciuntur, quibus inambulatio praepeditur: aut quum manus violenter adhibetur ad aliquod opus exercendum, voluntate obsistente quoad potest. Sed tum interveniunt duae conditiones, quibus violentiam constituitur, nimirum actio extranei principii, et conatus contrarius ejus, cui vis adhibetur. Ergo in illis actibus homo violentiam patitur, et quatenus tales aetus natura sua subsunt imperio voluntatis, dici potest aliquo sensu etiam vim inferri voluntati eo quod per actionem externi principii vel non exercentur actus quos imperat, vel quos non imperat, ea obsistente exerceantur.

PROPOSITIO II.

Quoad actus elicitos voluntas cogi haudquaquam potest.

Prob. Actus eliciti voluntatis necessario profluere debent a principio intrinseco, nimirum ab ipsa voluntate eos eliciente; secus non essent eliciti. Ergo violenti esse non possunt; quum prima conditio violenti sit, ut actus per actionem principii externi exerceatur. Secundo actus eliciti numquam esse possunt contra efficacem voluntatis inclinationem; secus, quod voluntas actu vult per suum actum elicitum, id simul actu nollet propter contrariam, et efficacem inclinationem. Sed repugnant, ut voluntas nolit, quod actu vult: quum igitur actus quilibet voluntaris elicitus sit actualis quaedam inclinatio ejusdem, non potest actus elicitus esse contra efficacem ejusdem inclinationem, nec adeo violentus ratione secundae conditionis ad violentum requisitae.

At inquies, si haec ratio valeret, sequeretur nec alias potentias vitales cogi posse in suis actibus, hoc enim proprium est cujuslibet actus vitalis, ut sit a principio intrinseco, et sine ulla ejusdem repugnantia.

Resp. Potentias alias vitales spectari posse vel secundum se, vel ut subsunt imperio voluntatis. Potentiae vitales spectatae secundum se, et ut versantur circa proprium objectum nullam utique violentiam pati possunt in suis actibus elicitis, pati vero possunt, prout naturali ordine subsunt imperio voluntatis, quo fit ut actus elicitus, qui non est contra peculiarem inclinationem potentiae vitalis erga suum objectum, sit tamen contra generalem inclinationem, qua movetur ad obediendum voluntati, et ad bonum totius hominis.

Ob. Insuper primo, deum fortiorem esse voluntate, adeoque posse illam cogere, quod significare videtur illud Proverb. 21. *Cor Regis in manu Domini, quocumque voluerit inclinabit illud.* Secundo deum posse voluntati necessitatem afferre: ergo, et coactionem, par enim videtur ratio. Tertio quum voluntas uno modo est inclinata erga suum objectum, posse deum illi contrarium actum infundere, vel concursum subtrahere ad actum eliciendum consentaneum; quod est violentiam afferre.

Resp. Deum certe fortiorem esse voluntate, ipsamque posse inclinare quocumque voluerit; sed hoc potest Deus immutando voluntatem, efficiendoque, ut jam velit, quod antea nolebat; non autem per coactionem proprie dictam, quae repugnantiam involvere ostenditur. Secundo non par est ratio necessitatis, et coactionis. Nam quod est necessarium potest esse a principio intrinseco, et secundum naturalem inclinationem ipsius: violentum est a principio extrinseco, et contra inclinationem patientis. Propterea necessarium repugnat quidem libertati, sed non voluntati; violentum etiam voluntati repugnat. Ad tertium respondet Silvius posse quidem Deum infundere voluntati quidquid sibi placuerit, non tamen actus volitionis, aut nolitionis, quia hjusmodi actus utpote vitales necessario esse debent a principio intrinseco. Quod porro additur de subtractione concursus, eo casu nullus daretur actus elicitus. Objectio igitur vagatur extra quaestionem, quae est, utrum actibus elicitis inferri violentia possit.

PROPOSITIO III.

Simplex, et absoluta violentia reddit actum prorsus involuntarium.

Prob. Voluntarium est, quod profluit a principio intrinseco, et ex inclinatione illus, atqui simplex, et absoluta violentia facit, ut actus sit a principio extrinseco, et contra inclinationem patientis. Violentia igitur tollit penitus voluntarium, eique omnino repugnat, facitque adeo actum involuntarium.

Objici tamen solet primo Tyrannos violentiam Christo, et Sanctis Martyribus intulisse, quum illos occiderunt, attamen haec violentia, qua mortem intulerunt non efficit, ut mors illis esset involuntaria: voluntarie quippe mortem passi sunt, unde meritum habuere. Secundo si quis vi impelleretur ad falsum numen colendum, idque coleret externo signo, voluntate intus repugnante, violentiam pateretur: nihilominus talis cultus utpote culpabilis esset ei voluntarius. Tertio qui per violentiam coguntur baptismum suscipere, valide sunt baptizati. Ergo etiam voluntarie. Antecedens constat ex Concilio Toletano quarto, ubi definitum est, valide baptizatos

fuisse Judaeos, qui cogente Sizebuto baptismum acceperunt.

Resp. Ad primum, violentiam quam intulerunt tyranni Christo, et Martyribus spectandam esse vel ex parte agentis, prout est ab ipsis tyrannis profecta, vel ex parte patientis, prout scilicet a Christo, ejusq. Martyribus suscepta fuit. Priori modo vis illata fuisse dici potest, quum illi Christi, et Martyrum corpora lacerarunt. Siquidem, et hoc fuit a principio extrinseco, et contra naturae inclinationem, quae ex se se alienatur ab interitu: simul etiam contra ipsam Christi, et Martyrum rationalem voluntatem, quatenus eis displicebat nefaria, et impia crudelitas occidentium. Prout vero eadem mors, et cruciatus spectatur ex parte Christi, et Martyrum perferentium, non proprie violenta dici potest, quia licet nihil conferrent ad actionem, conferebant tamen ad passionem, voluntarie illam excipientes. Unde S. Thomas: « Quum actio, inquit, infertur ab aliquo exteriori manente in eo qui « patitur voluntate patiendi, non est simpliciter violentum, « quia licet ille, qui patitur non conferat agendo, confert « tamen volendo pati: unde non potest dici involuntarium. »

Ad secundum qui terroribus adductus aliquam externam cultus significationem tribuit idolo, licet idolum mente non colat, revera tamen consentit ei externae significationi, eamque praestare potius eligit quam mori: unde est illi voluntaria, nec absolutam, et simplicem violentiam patitur.

Ad Tertium propter eamdem rationem valide baptizati sunt Judaei, quos minis, ac terroribus induxit Sizebutus, ut baptismum susciperent: neque enim illi attractis pedibus violenter sunt in aquam demersi: verum illis propositum fuit, num baptismum, an intentatum malum eligere mallent. Baptismum porro eligere maluerunt, in quo apparet verus consensus: unde nec illi simplicem, et absolutam violentiam perpessi sunt, sed solum conditionatam, ut vocant.

CAPUT II.

De Metu.

Metus ex lib. 4. Digest. tit. 2. definitur, *instantis, vel futuri periculi caussa mentis trepidatio.* Dividitur in levem, et justum: Levis est quum aut malum leve timetur, aut

grave malum ex levi caussa: justus quum grave malum ex gravi caussa, vereque probabili timetur: unde etiam definitur, *certa, vel probabilis expectatio mali magni.* Et quia hujusmodi metu graves etiam viri, et constantes moventur, ideo vocatur metus gravis, et cadens in constantem virum. Mala porro gravia censentur mors, mutilatio, enormia verbera, durus carcer, exilium, servitus, damnatio ad triremes, infamia, proscriptio bonorum, vel omnium, vel notabilis eorumdem partis. Spectanda vero est etiam conditio personae cui metus incutitur: nam propter imbecillitatem sexus, vel aetatis metus, qui levis in viro judicaretur, justus esse potest in muliere, vel puero.

Notandum porro etiam, alio modo violentiam alio metum influere in ea, quae fiunt. Violentia efficit actionem in eo, qui patitur, nihil eo conferente: velut quum violenter manus hominis adducitur ad aliquid offerendum idolo: metus vero non efficienter actionem producit: sed objective inclinat voluntatem, ut aliquis eam actionem eliciat. His positis.

PROPOSITIO I.

Quod per metum fit simpliciter voluntarium est: secundum quid autem involuntarium.

Quod est a principio intrinseco cum cognitione, et efficaci inclinatione hominis, id profecto est simpliciter voluntarium. Sed tale est, quod fit per metum: nam quum homini proponitur, ut faciat jacturam auri, ne vitae jacturam perferat, ille hanc jacturam auri cognoscit tamquam medium necessarium ad vitam conservandam; adeoque ex intentione vitae conservandae, sponte, et ex efficaci inclinatione hoc medium eligit. Est ergo talis actio a principio intrinseco cognoscente, et ex efficaci ejus inclinatione: atque adeo voluntaria simpliciter est censenda.

Est tamen secundum quid involuntaria: nam jactura auri spectata secundum se, et sejuncta ab illis circumstantiis repugnat inclinationi voluntatis; adeoque semper mali aliquam speciem praefert, quod proinde voluntas non eligeret nisi majoris vitandi mali caussa moveretur. Est ergo aliqua ex

parte involuntaria, seu secundum quid, prout repugnant conditionatae inclinationi, qua vellet quis aurum servare, si posset sine discrimine vitae, quia tamen positus in eo singulari casu non potest, hinc fit, ut absolute, et simpliciter velit jacturam auri ad vitam conservandam.

Quod si aliqua testimonia proferentur sive D. Thomae, sive aliorum affirmantium, ea quae fiunt ex metu non esse simpliciter voluntaria, facile conciliabuntur vocis explicatione: ibi enim *simpliciter* idem significat, ac pure, et sine admixtione involuntarii: non autem, ut hinc sumitur, pro eo, quod est absolute voluntarium.

PROPOSITIO II.

Metus gravis quantumcumque numquam excusat a tota culpa in his quae sunt intrinsece mala.

Prob. Nam quae sunt intrinsece mala talia sunt, a quibus numquam sejungi pravitas potest, secus non essent intrinsece, et ex natura sua mala. Nullo ergo metu fieri potest ut non malum in se remaneat, quod est natura sua, et intrinsece malum. Jam quidquid fit ex metu per propositionem antecedentem simpliciter, et absolute est voluntarium. Ergo etiam quod est intrinsece malum quum fit ex metu est voluntarium: sed actus malus, et simul voluntarius semper culpabilis est. Igitur metus gravis non eximit a tota culpa in his, quae sunt intrinsece mala.

Quia vero, ut patet etiam ex praecedente propositione, metus gravis (nam levis non est habenda ratio, utpote qui justus non est) aliquo modo voluntarium minuit, et libertatem, idcirco ille metus licet non totam culpam auferat, eam tamen elevat, ac minuit ut constat etiam ex capite: *In primis* caussa 2. quaest. 1. ubi pontifex decernit, ut episcopis, qui metu in injustam alterius depositionem consenserunt, levior poenitentia imponatur. Et cap. *Sacris* tit. *de his, quae vi metus etc.* expresse dicitur metum attenuare culpam, etsi eam non prorsus excludat. Ceterum quod dicitur, metum culpam minuere, non est ita intelligendum, quasi eam, aut ex mortali venialem, aut ex veniali nullam efficiat, sed sic ut peccatum relinquens intra limites mortalis, si sit ex se mortale, illud efficiat levius, quam alioquin futurum fuisset.

In his porro, quae non sunt intrinsece mala, metus justus interdum excusat a tota culpa, interdum vere minime, quum scilicet violatio legis positivae etiam humanae vergeret in scandalum, vel contemptum legitimae auctoritatis, vel perniciem reipublicae.

Nunc vero, quod attinet ad contractus, qui per metum injustum, et gravem extorquentur, nec jurejurando confirmantur, nobis persuasum fuit quum philosophiae moralis institutiones traderemus, eos simplici spectato jure naturae irritos esse, sed tamen in societate jure, ac merito habendos ex se ut validos, quousque irritentur a magistratu, a quo irritari debent, eo quod nemo privatus in propria caussa Judex esse debeat: adeoque ligatus maneat ipsa velut exteriori forma contractus, quousque metu legitime probato per legitimam potestatem solvatur.

Contra docent multi, gravesque theologi, inter quos Silvius, ejusmodi contractus ipso naturae jure validos esse, hac ratione ducti, quod consensus tametsi metu extortus sit tamen simpliciter, et absolute voluntarius, ac liber. Verum nihil ex ea ratione concludi posse nobis videbatur. Equidem consensus metu extortus voluntarius est, et, ut ajunt Jurisconsulti, *coacta voluntas tamen est voluntas.* Verum in contractu duo sunt distinguenda: et actus ipse consensus, et obligatio quae inde oritur. Libertas physica indifferentiae, et a necessitate, quam metus non tollit, facit quidem, ut actus ille sit vere actus humanus, et proinde natura sua imputabilis ad laudem, vel culpam, verum ad obligationem inducendam ex tali actu humano plus aliquid requiritur: nempe libertas ab injuria, et ab ea externa coactione, qua coactam voluntatem, tamen voluntatem esse affirmant jurisconsulti. Nam obligatio, et jus sunt correlata: ita ut intelligi nequeat in uno esse obligatio erga alterum, quin etiam intelligatur in hoc jus erga illum exurgere. Jam qui Latroni terrores injustos incutienti promittit se daturum 100. aureos Latrone promissionem acceptante, profecto init contractum promissionis: et quia liber fuit a necessitate, talis promissio revera fuit actus humanus: atqui tamen talis promissio nullam obligationem parere videtur: quia si promittens revera obligatione adstrictus teneretur, in Latrone daretur jus verum 100. illos aureos exigendi, quod absurdissimum videtur, quum injuria nemini debeat suffragari. Quod si nullum

in Latrone jus, nulla quoque in promittente obligatio. Ergo tametsi promissio illa sit actus humanus, quia liber libertate physica, et a necessitate: non tamen firmum efficit contractum, quia deest libertas ab injuria.

Neque hic locum habet, quod ait Silvius, ut demonstret Latronem teneri restituere aurum extortum per metum, quod nimirum ille, qui tradit, non intendit inire donationis contractum: sed solum tradere pecuniam eo modo, quo tradi solet injuste extorquentibus, idest pecuniam exterius tradere, non transferre dominium. Nam, quidquid sit de intentione transferendi dominii, semper constat, eum, qui promittit 100. aureos consentire in promissionem ejus pecuniae, saltem exterius tradendae: unde revera teneretur illam tradere: et Latro jus haberet ejus traditionis exigendae, quod nihilominus absurdum videtur. Praeterquamquod, si, qui tradit pecuniam ex metu non init contractum donationis ex Silvio, quia non intendit trasferre dominium, tametsi consentiat in externam formam, et ritum donationis, nullus ergo revera ibi est contractus. Et quum in omni contractu inito per vim, consensus tantum feratur in exteriorem ritum, non in rem ipsam, quae est secundum se involuntaria, pari ratione nullus erit, atque ideo invalidus ex se se quilibet contractus per metum initus.

Quin etiam videtur Silvius in nostram sententiam recidere, eamdemque confirmare hac propositione, quam recitabimus. « Probabile est, ait, eos contractus qui per metum « injuste incussum extorquentur, sed juramento non confir- « mantur, posse (quod ad forum attinet conscientiae) re- « scindi, et in irritum revocari ab eo, qui injuste passus « est: quia alter fecit ipsi injuriam: ideoque tenetur eum « in pristinum statum restituere, et qui eam injuriam pas- « sus fuit jus habet illam restitutionem exigendi. » Hinc est, quod Alexand. III. cap. *Abbas*, tit. *De his, quae vi*, dicit: *quae vi, et metu fiunt, de jure debent in irritum revocari.* Et Innoc. III. cap. *Ad audientiam*, ibid. *quae vi metusve caussa fiunt carere debent robore firmitatis.* « Quapropter « pergit Silvius, venditiones, emptiones, translationes, con- « cessiones, promissiones, donationes, contractus, et contra- « ctuum rescissiones per metum gravem extortae possunt in « irritum revocari: et is, qui ex aliquo tali contractu quid- « piam est consecutus, tenetur in conscientia restituere,

« etiamsi non ipse, sed alius metum incusserit: adeo ut injuriam passus possit rem suam occulte recuperare, vel etiam compensatione uti, si non pateat alia via, et vitetur scandalum. » Hactenus Silvius.

Nunc vero, si, fatente Silvio, qui injuriam passus est, potest in irritum revocare contractum per metum gravem extortum. Ergo nulla in eo concipi potest vera obligatio ex eo contractu orta: quia obligatio, quia quis solvere seipsum potest, nulla est. Si, fatente Silvio, potest ille idem rem suam occulte recuperare: ergo in eam semper jus retinuit, quod habebat ante contractum. Igitur post contractum in eodem juris statu manet erga rem illam, atque erat antea, nulla ergo vera obligatione adstrictus fuit. Si potest rem eam occulte recuperare, vel compensatione uti: a fortiori potuit non eam tradere. Nullo ergo tempore ex tali contractu fuit vere obligatus.

Neque dicas eum ex Silvio id tantum posse, quum non patet alia via, quae potissimum est intelligenda de recursu ad legitimum Tribunal. Nam et nos fatemur, immo contendimus in statu Reipublicae contractus per metum injustum extortos habendos esse tamquam validos, quousque legitima potestate irriti declarati fuerint, quia hoc interest Reipublicae, pertinetque ad publicum bonum, ne quis in propria caussa judex sit. Verum in sententia Silvii, si tales contractus ex se, et jure naturae validi essent antequam illa via patuisset, profecto privata auctoritate in irritum revocari non possent, quia obstaret vinculum juris naturalis, quod vinculum si vim habuit in ipso actu contractus, adstringendi, eam vim retinere debet, quamdiu non aliud jus interveniat. Et si qui metu coactus potest ex Silvio rem suam occulte recuperando, vinculum illud solvere per se se, non ergo in actu contractus juris naturalis vinculo adstrictus fuit. Num enim major est ratio, cur possit illud vinculum solvere post contractum initum, quam in ipso contractu. Ex quo patet simplici spectato jure naturae ex se se validos non esse contractus per vim injustam extortos, tametsi in statu Reipublicae habendi sint ut validi, quousque per legitimam potestatem irriti fuerint declarati.

Ceterum haec quaestio, quae satis magni momenti haberi potest in philosophia morali, parum admodum confert ad praesens institutum. Nam quod attinet ad praxim perinde

est statuere contractus per metum injustum extortos jure naturae validos esse, atque statuere illos tantum habendos esse ut validos quousque irriti declarentur. Notabimus autem eum qui metum injuste intulit teneri ex contractu; si postea voluerit ille, cui metus est illatus. Nam qui metum intulit, libere omnino consensit in contractum; accedente ergo consensu plene libero alterius nihil amplius deest stando in jure naturae ad valorem contractus.

Sunt autem quidam contractus ex metu gravi, et injusto, qui vel ipso positivo jure nulli habentur, atque in primis matrimonium cap. *veniens* tit. de sponsalibus 2. Promissio, et solutio Dotis similiter extorta lib. 4. Digest. tit. 2. Lege *Si mulier*, ubi dicitur: « Si dos metu promissa sit, non « puto nasci obligationem, quia est verissimum, nec talem « promissionem dotis ullam esse. »

Tertio vota solemnia: nam vota simplicia, etsi metu facta, si per ea interius intendit quis se obligare, jure naturae obligant. Siquidem ipsa voti promissio prout deum respicit, non est obnoxia exceptioni metus. At vero votum solemne non solum habet id, quod est interioris consensus, sed etiam quod exterioris mancipationis, et traditionis, seu solemnitatis, quia fit per modum contractus cum Ecclesia, et spiritualis Matrimonii, et servitutis; unde voluit jus, ut pari modo libere fieret, et sine metu, sicut matrimonium, quod non solum perficitur interiori consensu, sed exteriori traditione. Quarto jurisdictio data, et propagata ex metu nulla est. Idemque statuitur de electione Praelati. Quinto Absolutio a censura metu extorta, et alia pauca, de quibus passim doctores.

Quoad juramentum autem haec statuit D. Thomas 2. 2. quaes. 89. art. 7. ad 3. « In juramento quod quis coactus „ facit duplex est obligatio. Una quidem qua obligatur ho- „ mini, cui aliquid promittit, et talis obligatio tollitur per „ coactionem, quia ille, qui vim intulit, meretur ut ei pro- „ missum non servetur. Alia autem est obligatio, qua quis „ Deo obligatur, ut impleat, quod per nomen ejus promisit: „ et talis obligatio non tollitur in foro conscientiae; quia „ magis debet damnum temporale subire, quam juramentum „ violare. Potest tamen repetere in judicio quod solvit etc. » Et quest. 98. art. 3. ad 1. « Coactio non aufert a juramen- „ to promissorio vim obligandi respectu ejus, quod licite fieri

„ potest, et ideo si aliquis non impleat, quod eo actu jura-
„ vit, nihilominus perjurium incurrit, et mortaliter peccat.
„ Potest tamen per auctoritatem summi Pontificis ab obliga-
„ tione juramenti absolvi; praesertim si coactus fuerit tali
„ metu, qui cadere posset in constantem virum. »

Hic sane videtur S. Thomas admodum favere nostrae superius propositae sententiae. Nam docet obligationem erga eum, qui metum injustum intulit, tolli per coactionem; ex quo sequitur eam ex se se propter coactionem nullius valoris esse. Neque enim dici potest ex mente D. Thomae, illam tolli per coactionem, quia qui coactus est jus habet, ut per ligitimum superiorem ab obligatione solvatur; secus nulla esset differentia inter obligationem ortam ex promissione, et obligationem ortam ex juramento: siquidem hac etiam obligatione solvi potest, qui injuriam passus est per auctoritatem Summi Pontificis. Igitur vult D. Thomas obligationem juramenti tenere jure naturae, quousque quis absolutus fuerit; obligationem vero ex promissione per vim facta ex se se non tenere, sed tolli per coactionem, adeoque simplici spectato jure naturae nullam esse.

Demum, quod attinet ad metum levem, communis est sententia tam positivo, quam naturali jure validos esse contractus, qui ex tali metu fiunt, neque contra eos dari actionem in foro externo. Addunt Silvius, et Gotti, si metus ille fuerit per injuriam ad aliquid extorquendum incussus, posse illos in foro conscientiae rescindi ab eo, qui injuriam est passus: sive quia, quae per injuriam extorquentur obnoxia sunt restitutioni; sive quod qui talem metum passus est injuste fuit sua libertate privatus, atque adeo restitui debet in pristinum statum. Excipitur tamen votum, et matrimonium, quae ex metu levi contracta valida sunt, nec possunt propria voluntate rescindi. Porro illud etiam rescindi posse contendunt, quod per metum reverentialem, ut vocant extortum sit, velut si uxor verens offensionem, et jurgia mariti pro eo fidejubeat, potest consensum revocare, et qui inde aliquid acceperit, debet restituere. Idem Silvius docet praeterea de eo, qui per importunas praeces quidpiam donavit, quum dare non teneretur, nec aliter poterat importunitatem repellere, si maneat invitus, non solum quando importunitatem patitur, verum etiam postea. Sed vereor ne forte hoc loco longius progressus sit hic auctor, quam par est. Nam preces

importunae (nisi aliunde gravem molestiam ac vix ferendam afferant) nullam injuriam continent, nec libertate quemquam spoliare quum censeantur, profecto deest ratio, propter quam quae ex metu fiunt rescindi possint, ac restituere teneatur, qui extorserit.

CAPUT III.

De Concupiscentia.

Sumitur hoc loco concupiscentia pro vehementiore quodam impetu sentientis appetitus in aliquod objectum ut prosequendum. Dupiex est, una antecedens, quae praevertit omnem actum voluntatis, altera consequens, quae ex praecedente quodam actu voluntatis excitatur, velut si quis legens obscoenos libros, ex ea lectione inflammet cupiditatem rerum turpium: aut si quis voluntarie repetens memoriam injuriae acceptae acriorem in se ipso efficiat ulciscendi libidinem.

PROPOSITIO.

Concupiscentia antecedens auget spontaneum, minuit liberum.

Prob. prima pars. Spontaneum in eo esse intelligitur, quod profluit a principio intrinseco ex inclinatione ipsius. Igitur quidquid auget inclinationem idem augere spontaneum necesse est: atqui antecedens cupiditas est ipsa vehementior quaedam inclinatio appetitus erga objectum. Ergo cupiditate antecedente augeri spontaneum intelligitur.

Prob. altera pars. Per antecedentem cupiditatem minuitur indifferentia judicii circa propositum objectum: siquidem quo plus intenditur inclinatio erga ipsum, minus certe manet indifferentiae ad oppositum. Atque etiam ex vehementiore commotione sentientis appetitus perturbatur ratio, ne judicio suo expedite uti valeat. Sed liberum oritur tamquam a radice ab indifferentia judicii, et rationis. Ergo per concupiscentiam antecedentem minuitur liberum.

Dices liberum esse voluntarii speciem quamdam. Non potest autem minui species, quin minuatur genus. Ergo si concupiscentia minuit liberum, minuit etiam voluntarium.

Resp. Divisionem voluntarii in voluntarium liberum, et non liberum non esse divisionem generis in species, sed potius divisionem subjecti in sua accidentia. Non repugnat autem, ut per incrementum unius accidentis minuatur aliud accidens in subjecto.

Hinc concupiscentia antecedens minuit gravitatem peccati, concupiscentia vero consequens, licet etiam directe minuat liberum, quia tamen ex praecedenti culpa voluntatis oritur, nullo modo valet minuere gravitatem peccati, sed eam potius auget, quemadmodum fusius explicatur tract. de Peccatis.

CAPUT IV.

De Ignorantia.

D. Thomas agit de ignorantia primo quidem breviter prima 2. quaest. 6. art. 8. ubi sermo est de actibus humanis, et singillatim de voluntario, et involuntario: deinde in Tractatu de peccatis copiosius per totam quaestionem 76. de caussis peccati. Superiore loco tantum inquirit S. Doctor quemadmodum ignorantia efficiat involuntarium. Inferius vero quemadmodum haec eadem se habeat ad peccatum. Idem nos institutum sequentes tractatu de peccatis disputamus de ignorantia ut caussa peccati, ut eximente a peccato, ut ipsa est peccatum, hinc breviter dicturi de ignorantia simpliciter, ut efficit involuntarium.

Ignorantia generatim dicitur defectus debitae cognitionis. Spectari potest vel ratione objecti, vel ratione personae ignorantis, vel ratione actionis, cui caussam praebet. Ignorantia ratione objecti alia est juris, alia facti. Ignorantia juris est quum ignoratur lex aliquid jubens, vel vetans. Ignorantia facti quum ipsum opus, vel aliqua circumstantia operis ignoratur: velut si quis ignoret legem vetantem detentionem rei alienae invito domino, haec est ignorantia juris: si autem ignoret rem, quam penes se habet, alienam esse, ignorantia est facti.

Ratione personae ignorantis alia est ignorantia invincibilis, alia vincibilis: illa est ignorantia rei quam quis nec tenetur scire, quamque adhibita debita diligentia expellere non potest. Vincibilis est ignorantia rei, quam scire quis

potest, ac tenetur, et etiam dicitur consequens, et voluntaria, quod in voluntatem tamquam caussam merito referatur; haec porro iterum duplex est, nimirum vel directe voluntaria, vel indirecte voluntaria est, quam quis expressa voluntate, et data opera consectatur, ne officii sui notitia a pravis cupiditatibus retrahatur, iisque licentius indulgeat: atque haec ignorantia dicitur affectata, qualis eorum est, qui consilium petere omittunt, ne forte audiant illicitum esse quod ipsis collibitum est facere, qui sacras conciones refugiunt propter eamdem rationem, qui admonentibus silentium indicunt, ajuntque nolle sibi scrupulos injici. Ignorantia indirecte voluntaria est, quam quis, licet non quaerit de industria, non tamen adhibet diligentiam, quam tenetur adhibere ad eam expellendam.

Demum ignorantia prout ad actionem refertur, alia est antecedens, alia concomitans, alia consequens. Prima dicitur quae nullo modo est a voluntate, simulque est ei caussa volendi, quod alias penitus nollet: velut, inquit S. Thomas, quum aliquis diligentia adhibita nesciens aliquem transire per viam jacit sagittam, quae interficit transeuntem. Ignorantia concomitans dicitur, quae ita est conjuncta cum opere, quod patratur, ut tamen non sit caussa ejus patrandi, eo quod licet non foret haec ignorantia, nihilominus idem opus fieret, quod fit cum ipsa ignorantia: velut si quis violet legem jejunii qua die ignorat indictum esse jejunium, ita tamen animo affectus, ut si cognosceret, nihilominus ipsum jeiunium violaret. Ignorantia consequens dicitur, quae ex praecedente quodam motu voluntatis oritur; unde est vel directe, vel indirecte voluntaria.

Ignorantia, quae omnem antecedit actum voluntatis quae scilicet nec oritur ex praecedente negligentia, et caussam praebet actioni, eam reddit prorsus involuntariam: nam voluntarium sine cognitione consistere nequit: voluntarium directe sine cognitione, quae actu habeatur, indirectum sine cognitione, quae haberi potuerit, ac debuerit. Atqui ignorantia simpliciter, et absolute antecedens utramque cognitionem excludit, ut patet ex ejus definitione, igitur tollit prorsus voluntarium, facitque actionem, cui caussam praebet omnino involuntariam.

Ignorantia concomitans non efficit actionem voluntariam, nec involuntariam, sed solum non voluntariam: nam ut ex

ejus definitione patet, haec ignorantia non inducit ad volendum, nec ad nolendum, sed ita est conjuncta cum actu, ut nihil influat ad eum ponendum, aut non ponendum; non igitur actum reddit voluntarium, quandoquidem actus, prout cadit sub ignorantia non procedit cum cognitione. Nec illum reddit involuntarium, quia nil est involuntarium, nisi quod est contra voluntatis inclinationem, quod autem fit ignorantia concomitante non adversatur inclinationi voluntatis. Igitur solum facit actum esse non voluntarium.

Ignorantia consequens actum non efficit simpliciter involuntarium. Nam ignorantia consequens directe, aut indirecte est voluntaria, igitur et voluntarium, quod ex illa procedit, utpote quod ultimo refertur in caussam voluntariam; ignorantia autem indirecte voluntaria reddit actum secundum quid involuntarium, in quantum, ut ait S. Thomas, praecedit motum voluntatis ad aliquid agendum, qui non esset scientia praesente.

At, inquies, ignorantia consequens sequitur motum voluntatis: quomodo ergo nunc dicitur eum antecedere? Respondet Silvius quod alium motum sequitur, alium praecedit. Sequitur eum, quo quis directe, vel indirecte vult ignorare: praecedit autem illum, qui fit ex ignorantia, et qui non fieret, si haberetur cognitio.

Hinc patet quemadmodum ignorantia vincibilis quandoque sit quodammodo antecedens, prout refertur ad actum, qui ex ea sequitur, et simul consequens, prout refertur ad negligentiam voluntatis unde procedit. Reliqua, quae pertinent ad ignorantiam disputantur in tractatu de peccatis.

PARS SECUNDA

De Moralitate actum humanorum.

Actus humanus prout ab agente libero procedit, in ipsius potestate, et imperio positus esse intelligitur, atque adeo imputabilis ipsi agenti: fit autem haec imputatio vel ad laudem, vel ad vituperationem, prout actus aut bonus est, aut malus. Haec porro bonitas, et malitia humani actus, prout imputabilis constituit moralitatem ejusdem, de qua multa, magnique momenti disputantur a theologis, de quibus jam distincte nobis est, et ex ordine disserendum.

CAPUT I.

Unde repetenda moralitas humanorum actuum.

Libertatem quidem requiri ad moralitatem actuum humanorum, ejusdemque fundamentum esse patet ex eo, quod nullus actus in genere moris constituitur, nisi prout est aut laudabilis, aut culpabilis, nec sine libertate actus ullo modo possit imputari ad laudem, meritum, vel ad culpam, et poenam.

Minime tamen in sola libertate consistere ipsam moralitatem, ut perperam nonnulli existimarunt, ex eo etiam evincitur, quod ut actus ad laudem, vel culpam imputetur, requiritur non solum, ut quod fit, libere fiat, sed etiam bene, vel male fiat. Nam si actus liber nec bonus esset, nec malus, deesset ratio, cur imputaretur ad laudem, et culpam, nec propterea in ullo genere moris constitui posset.

Manifestum est propterea ex eo repetendam esse moralitatem actus humani, ex quo intelligitur actus liber bene, aut male fieri. Quum autem actus liber consistat in electione, omnis autem electio sit a ratione dirigente, profecto illa censeri debet aut bona, aut mala electio, quae rationem aut recte, aut prave judicantem consequitur.

Quum autem omnis motus voluntatis aliquo modo tendat in ipsam felicitatem, seu bonum, quo felicitas continetur, tamquam ultimum finem, hinc fit, ut per actionem omnem deliberatam assumi debeant media ad hunc ultimum finem conducibilia, seu referibilia: secus aberrat ratio, et falsa boni specie decepta eligit velut medium ad felicitatem aliquid, quod revera est alienum, et impediens a consequenda felicitate. Actus ergo ille merito bonus vel malus censetur, qui est ex recto, vel pravo rationis judicio de rebus eligendis, et fugiendis.

Atque hoc quidem mirifice explicat D. Thomas prima 2. quaest. 18. art: 1. ubi docet: « Ita loquendum esse de bo-
« no, et malo in actionibus, ut de bono, et malo in re-
« bus. Porro in rebus bonum, et ens convertuntur, ut pro-
« inde quantum res habet de esse, tantumdem habeat boni.
« Jam vero soli Deo convenit, ut totam essendi plenitudi-
« nem habeat secundum aliquid unum, et simplex. Res vero

« creatae plenitudinem quamdam essendi habent sibi conve-
« nientem sed secundum diversa. » Hinc contingit, ut res creatae, quantum ad aliquid quidem esse habeant, sed tamen aliquid ipsis deficiat ad plenitudinem, et perfectionem sibi debitam, velut in homine pertinet ad ejus naturae perfectionem, et plenitudinem, ut quum animo constet, et corpore, vires omnes habeat, et instrumenta cognitionis, et motus. Unde si aliquid horum deest homini, velut si privatur facultate videndi; homo quidem existet, et quantum habebit de ente, tantumdem habebit boni; verum quod ei deficit de perfectione suae naturae, tantum etiam ei deest boni, idque malum dicitur: quare homo coecus id habet boni, quod vivit, sed ei malum est, quod privetur facultate sibi conveniente. Si vero nihil haberet de ente, et bonitate, neque malum, neque bonum dici posset. Quum autem ipsa plenitudo, et perfectio pertineat ad rationem boni, quidquid non habet hanc plenitudinem, et perfectionem, dici non potest simpliciter bonum, sed solum secundum quid, eique malum inest, prout aliquid ei deesse de sua perfectione intelligitur. Eodem pacto, pergit S. Doctor, omnis actio in quantum habet aliquid de esse, in tantum habet de bonitate, in quantum vero deficit ei aliquid de plenitudine essendi, quae debetur actioni humanae, in tantum deficit a bonitate, et sic dicitur mala, puta si deficiat ei determinata quantitas secundum rationem, vel debitus locus, vel aliquod hujusmodi.

Ex hoc porro loco D. Thomas patet quemadmodum sit distinguenda bonitas physica in actibus humanis a bonitate morali. Nam bonitas physica ipsis actibus convenit prout sunt a voluntate tamquam a potentia physica. Bonitas vero moralis sumitur ex complexione horum, quae actui humano convenire debent secundum rationem. Ex dictis porro patent sequentes propositiones.

PROPOSITIO I.

Actus moraliter bonus, vel malus censeri debet prout est rectus, vel pravus.

Prob. Actus humanus censetur moralis, prout subest rationi dirigenti. Ergo ex ratione recte, vel prave dirigente fit bonus, vel malus. Nam si erit secundum rationem recte

dirigentem, nihil ei deerit eorum, quae secundum rectam rationem ei conveniunt, eritque adeo bonus ex superiore doctrina D. Thomae, secus vero si erit ex ratione prave dirigente. Atqui actus prout est ex ratione recte, vel prave dirigente, rectus est, aut pravus. Igitur actus censeri debet moraliter bonus, vel malus prout est aut rectus, aut pravus.

PROPOSITIO II.

Actus rectus, vel pravus censeri debet ex conformitate, vel repugnantia cum regulis morum.

Nam directio rationis non aliunde recta, aut prava intelligi potest, nisi prout conformis, aut difformis concipitur cum aliqua regula, e qua petendum sit judicium de agendis, vel fugiendis. Sed talis est regula morum. Ergo recta, vel prava directio, et consequenter actus eam directionem consequens rectus, vel pravus censeri debet ex conformitate, vel repugnantia cum regulis morum.

PROPOSITIO III.

Duplex est regula voluntatis humanae, una remota, et extrinseca, nimirum lex aeterna: altera proxima, et homogenea, scilicet participatio legis aeternae in humana mente, unde existit recta ratio.

Prob. prima pars. Rectum judicium de eligendis, atque adeo bonitas moralis electionum, ut patet ex antea dictis, sumitur ex relatione ad ultimum finem humanae vitae. Atqui lex aeterna est ratio in mente divina existens gubernationis rerum, et directionis earum in ultimum finem. Ergo ex aeterna lege primario pendet rectum judicium de agendis, et fugiendis, atque, adeo lex aeterna primaria est regula moralitatis actuum humanorum.

Prob. secunda pars. Nam illa est proxima regula moralitatis, quae virtute primae, et tamquam ejus participatio dirigit actus morales, sive per quam ipsa aeterna lex, et prima regula manifestatur. Atqui tale est dictamen rectae rationis. Deus enim utpote primum dirigens unumquodque ad finem dirigit ratione convenienti rei cujusque naturae, tribuens

scilicet ipsis rebus vim accommodatam earum naturae, quasi participationem quamdam primae, et aeternae regulae in ipsius mente existentis, quae participatio fit in ipsis proxima et homogenea regula operandi. Ideo naturalibus caussis vim indidit, naturalemque inclinationem, ratione cujus in proprios fines aguntur. Naturae vero intellectu praeditae tales sunt, ut in eis haec divinae directionis participatio non possit in simplici quadam inclinatione naturali consistere, quia non sunt ad unum determinatae, sed ad plura indifferentes, earumque proprium est, ut agant ex consilio, et ratione, se seque in finem dirigant. Igitur in eis legis aeternae participatio debet consistere in rationis rectae dictamine, quo ipsis manifestetur lex aeterna velut per imaginem quamdam, ut loquitur D. Thomas.

Objiciunt nonnulli formalem regulam moralitatis esse naturam ipsam rationalem, ut antecedit omne judicium rationis, et omnem legem. Nam, inquiunt, dictamen ipsum rationis, nonnisi ex ipsa rationali natura certitudinem suam repetere potest. Est ergo haec prima regula moralitatis. Deinde per solam convenientiam aut repugnantiam cum natura humana multa bona esse, aut mala intelliguntur, antequam ulla lege praecipiantur, vel prohibeantur; quod luculentius etiam ex eo patet, quod, etsi nulla esset lex aliquos jubens, aut prohibens actus humanos, nihilominus homo moraliter agere censeretur, bene quidem eleemosynam largiendo, male autem furando, vel mentiendo.

At brevi explicatione objectio dissolvitur. Ex convenientia quidem, vel repugnantia cum natura rationali oritur quidem judicium practicum, seu dictamen rationis de agendis, et fugiendis; sed hoc judicium practicum vim habet regulae, quatenus subest ordini legis aeternae jubentis ea, quae sunt convenientia rationali naturae, contraria vetantis. Nam lex aeterna est ratio in divina mente existens, unumquodque ad finem dirigens modo convenienti suae naturae, ut antea dictum est ex D. Thoma. Cujus etiam haec sunt verba quaest. 12. art. 4. « Quod autem ratio humana sit regula voluntatis « humanae, ex qua ejus bonitas mensuretur, habet ex lege « aeterna, quae est ratio divina. Unde in psalm. 4. dicitur: « *Multi dicunt quis ostendit nobis bona? Signatum est super* « *nos lumen vultus tui Domine.* « Quasi diceret lumen ratio- « nis, quod in nobis est, in tantum potest nobis ostendere

« bona, et nostram voluntatem regulare, in quantum est « lumen vultus tui, idest a vultu tuo derivatum. Unde ma« nifestum est, quod multo magis dependet bonitas volun« tis humanae a lege aeterna, quam a ratione humana. » Hinc patet, ea quae nulla lege positiva praecipiuntur, vel prohibentur, bona, aut mala censeri ex ordine ad legem Dei aeternam, et legem naturalem, quae ex ea derivatur. Ea autem sunt intrinsece, et ex natura sua bona, et mala, quia incommutabilem habent, ac naturalem ordinem ad eam legem. Si vero prorsus nulla supponeretur haec lex aeterna, ex hoc absurdo, et impossibili sequeretur aliud absurdum, et impossibile, nimirum nullam esse moralitatem in actibus humanis.

Objiciunt insuper naturalem rationem non jubere, nisi quae sunt legis naturalis. At vero plures aliis sunt actus morales, qui non pertinent ad legem naturalem, sed ad positivam divinam, vel humanam. Ergo dictamen rationis non est sufficiens regula proxima moralitatis.

Resp. Rationem humanam ea etiam dictare, quae lege positiva sanciuntur non quidem primario, et directe, sed secundario, et ex consequenti. Nam quum ratio, et lex naturalis dictet parendum esse legitime praecipienti, statim atque lex aliqua positiva quidquam praecipit, vel prohibet, hoc ipso recta ratio, et lex naturalis dictat illud esse faciendum vel non faciendum. Quum ergo dicitur dictamen rationis proxima esse regula morum, id est intelligendum non de ratione in se se solum considerata, sed ut informata praeceptis legis divinae, vel naturaliter, vel per doctrinam, vel per infusionem, ut inquit S. Thomas quaest. 2. De malo art. 4.

CAPUT II.

De principiis moralitatis speciem actui tribuentibus, et primum de objecto.

Tria sunt ex D. Thoma, quae speciem moralem bonitatis, vel malitiae actibus humanis tribuunt, objectum, finis, et circumstantiae. Omnino porro est animadvertendum, duplex objectum distingui, unum, quod vocant materiale, estque res ipsa, circa quam facultas, vel actio versatur, alte-

rum formale, estque ratio, seu modus, quo facultas vel actus attingit objectum materiale. Jam vero quum dicitur actus moralitatem suam sortiri ex objecto, intelligendum est non de re in se se, et absolute considerata, sed de ipsa ut habet quemdam ordinem ad rectam rationem, cui dicitur esse consentanea: aut secus, prout actus circa eam versatur modo rectae rationi consentaneo, vel alieno. Sic in actu temperantiae, objectum vi cujus actus ille est bonus, non est ipse cibus, vel potus secundum se, sed est cibus, vel potus prout attingitur, seu sumitur modo conveniente rectae rationi. Similiter objectum, vi cujus furtum est malum, non est res aliena in se se spectata, quae nec bona, nec mala moraliter dici potest, sed modus eam attingendi, qui quum in furto sit a recta ratione alienus, facit, ut furtum sit ex objecto malum.

Animadvertendum secundo finem intrinsecum, qui etiam dicitur operis, unum, eumdemve esse, atque ipsum objectum formale. Sic in eleemosyna patet objectum formale esse indigentem ut sublevandum, et finem operis, atque intrinsecum esse hanc eamdem indigentis levationem. Nam in quocumque actu, qui versatur circa quodvis objectum, necesse est aliquid intelligi cujus gratia objectum illud per talem actum praecise attingatur: hoc autem simul est, et objectum formale, et finis intrinsecus, seu operis.

PROPOSITIO.

Actus humanus primam, et specificam bonitatem, vel malitiam sortitur ab objecto, ut rectae rationi accommodato, vel alieno.

Prob. Nam ut in naturalibus prima, et specifica bonitas rei naturalis sumitur ex forma, quae dat illi speciem, sic etiam in moralibus prima, et specifica bonitas moralis sumenda est ex forma, quae dat speciem actui humano. Nam, ut inquit D. Thomas quaest. 18. art. 5. « Unicuique rei est « bonum, quod convenit ei secundum suam formam, et ma- « lum, quod est ei praeter ordinem suae formae: » sed objectum est veluti forma tribuens actui suam speciem: siquidem omnis motus tendens in aliquem terminum speciem sumit ex eo termino, velut a forma quadam, quatenus se

habet ad ipsum terminum, velut determinabile ad determinativum. Porro actus est veluti motio quaedam voluntatis in objectum tamquam terminum, et ex objecto determinatur actus, ut sit talis actus, et non alius. Igitur actus speciem suam sumit ex objecto, et consequenter etiam specificam bonitatem, quod autem de bonitate dictum est, idem valet propter contrariam rationem de malitia; ut docet S. Thomas quaest. 18. art. 2. « Sicut enim in naturalibus primum malum est si res « genita non consequitur formam specificam; puta si non ge- « neretur homo, sed aliquid loco hominis, ita primum ma- « lum in actionibus moralibus est, quod est ex objecto. »

Hanc autem bonitatem, et malitiam sumit actus ex objecto non absolute in se spectato, sed prout rationi accommodato, vel alieno. Nam, ut inquit D. Thomas quaest. 18. art. 5. « Differentia boni, et mali circa objectum considerata com- « paratur per se ad rationem, scilicet secundum quod obje- « ctum est ei conveniens vel non conveniens. » Etenim quum cuilibet rei bonum sit, quod ei convenit secundum suam formam, malum, quod est praeter ordinem formae, sequitur quod ait Dionysius 4. de Div. nominibus. « Bonum hominis « est secundum rationem esse, malum, quod est praeter ra- « tionem. » Igitur differentia boni, et mali circa objectum sumenda est ex comparatione ad rationem, vi cujus actus est bonus, vel malus. Unde intelligitur, quod ait S. Thomas quaest. 12. art. 3. nimirum: « Bonitatem voluntatis depen- « dere a ratione, eo modo, quo dependet ab objecto. »

Opponitur primo actus morales esse, qui nullam ab objecto, seu fine intrinseco trahunt bonitatem moralem, nisi praeterea referantur ad finem quemdam extrinsecum, talis est actus fortitudinis, qui ex objecto suo, nimirum tolerantia doloris, aut mortis nullam bonitatem habet, nisi propter fidem, aut justitiam exerceatur, atque adeo in alium finem referatur, teste D. Thoma 2. 2. quaest. 104. art. 3. Similiter actus virginitatis non est laudabilis ex se se, sive ex objecto, secus virginitas virtus fuisset in vestalibus, fitque proinde virtus, prout ad cultum Dei refertur, ut docet idem S. Thomas quaest. 152. art. 3. ad 3. Ergo bonitas moralis actuum humanorum non primario saltem pendet ab objecto.

Resp. Fortitudinem, ac virginitatem ex objecto suo nativam quamdam, et primariam bonitatem accipere. Nam fortitudines objectum formale, ex quo fortitudo virtus esse dicitur, non est

simplex doloris, aut mortis tolerantia, sed tolerantia rectae rationi consentanea: et similiter de virginitate dicendum, prout virginitas est ex objecto laudabilis, quemadmodum ex superioribus intelligi potest. Revera tamen, ut actus sit ex omni parte bonus, non sufficit, ut sit bonus ex fine operis, sed etiam ex fine operantis, quia bonum ipsum nisi bene fiat, nullius est pretii apud Deum. Unde finis etiam extrinsecus requiritur ut conditio. Hoc fine bono ex parte operantis quum careret, ut ait card. Gotti, fortitudo ethnicorum, virginitas vestalium, quibus aut inanis gloria, aut aut falsi numinis cultus proposita erant, ideo bona quidem, sed non bene agebant: nec alia est memoratis locis D. Thomae sententia, qui fortitudinem ex se se bonum facere habentem, et virginitatem laudis quamdam excellentiam habere docet, eademque est mens Augustini, quum tradit *officia esse a virtutibus discernenda*, et *virtutes finibus effici*. Vult enim id, quod est officium, atque ex objecto bonum, a virtutis ratione deficere, quum officio malus finis adjungitur. Ceterum non negamus aliqua opera infidelium, quae ipsi agunt non ex infidelitate, bona esse, non solum ex objecto, sed etiam ex fine operantis, cum scilicet honestum officium ex honesto fine sequuntur. Quin etiam et infideles ipsos praevenit Deus auxilio suae gratiae, vocatque ad fidem, et justitiam. Sed uberior hujus rei explicatio non est praesentis instituti.

Opponitur secundo actus indifferentes ex sua specie, bonos tamen aut malos in individuo non habere bonitatem, et malitiam ex objecto; non ergo ex objecto: petenda primario est bonitas, vel malitia humanorum actuum.

Resp. Eo argumento nostram potius sententiam confirmari: nam ut sunt actus indifferentes in specie, velut ambulare, ita sunt etiam actus in specie, et ex se se boni, aut mali, velut largiri eleemosynam, vel rapere rem alienam. Illa autem actuum sive bonitas, sive malitia, sive indifferentia pendet ex objecto, prout objectum est bonum, vel malum, vel indifferens. Stat ergo quod contendimus, nimirum actus ex se se boni, vel mali bonitatem, et malitiam ex objecto primario repetendam esse. Insuper actus indifferens in specie, quum in individuo fit bonus, aut malus propter finem, et circumstantias, hanc etiam boni, vel mali speciem sumit ex objecto, tunc enim finis, et circumstantia

movent voluntatem, eamque ad agendum sub tali ratione determinant, unde induunt objecti conditionem, quo fit, ut actus moralis semper suam primam speciem sumat ex objecto.

Opponitur tertio. Actus interior habet pro objecto exteriorem: atqui actus interior non accipit suam bonitatem, aut malitiam ab exteriore, sed potius exterior ab interiore, ut docet S. Thomas quaest. 20. art. 1. Ergo etc.

Resp. Actum externum spectari posse vel ut est in intentione, vel ut est in executione. Actus externus ut in intentione habet quidem rationem objecti erga interiorem actum. Furtum enim ut cogitatum movet voluntatem ad sui appetitionem, et speciem tribuit actui interiori, quo voluntas eligit furtum. Atque hoc pacto revera actus interior sumit speciem ab exteriore. Si vero actus externus spectetur in executione, et prout emanat ab actu interiore, hoc modo actus externus non est objectum, sed potius effectus actus interioris; atque in hunc sensum rectissime docet S. Thomas, malitiam ex interno actu in externum diffundi.

CAPUT III.

Utrum actus moralis speciem sumat a circumstantiis.

Circumstantiae dicuntur adjuncta, seu conditiones, quae actionem determinant, eamque comitantur, et circumstant; quae proinde non primario cadunt sub intentione, sed solum ex consequenti. Sic in eo, qui surripit rem alienam, ipsa rei alienae ablatio proprie constituit substantium actionis furti, et haec primario, et per se cadit sub intentionem. Quod autem furtum patretur hoc, vel illo loco, hoc vel illo tempore tales sunt conditiones, quae se furto adjungunt, dum actu patratur, et secundario solum cadunt sub intentionem, et ex consequenti, prout scilicet actionem determinant, et comitantur.

Septem enumerantur circumstantiae ex D. Thoma 1. 2. quaest. 6. art. 3., quae hoc versu comprehendi solent.

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur: quomodo, quando.

Quis pertinet ad circumstantiam, quatenus designat personam non secundum se spectatam, haec enim pertinet ad

substantiam actus, sed prout designat conditionem personae, utrum sit ex c. persona sui juris, Deo dicata per votum etc.

Quid pariter est circumstantia non prout ipsam essentiam actus significat, vel objectum, ex quo actus speciem accipit; nam in furto, quod res ablata sit aliena, ut ait D. Thomas, non est circumstantia furti sed ad ipsius substantiam pertinet. Dicitur proinde circumstantia, prout designat extraneam quamdam conditionem objecto adjunctam. Quod perspicuo exemplo docet S. Thomas. Nam quod aliquis perfundens alium aqua, et eum abluat, non est ablutionis circumstantia. Pertinet enim ad vim aquae, eidemque est proprium, et intimum, ut abluat: verum quod abluendo calefaciat, vel infrigidet, quod sanet, vel noceat, hoc advenit ex accidente, estque adeo circumstantia ipsius ablutionis.

Ubi est circumstantia loci, utrum videlicet furtum patratum fuerit in loco sacro, an profano, publico, an privato.

Quibus auxiliis circumstantia est, quae complectitur instrumenta, et administros actionis, velut si quis hominem occidat vel gladio, vel veneno, vel per mandatarium.

Cur denotat circumstantiam *finis* non quidem operis, sed operantis: « Non enim, inquit S. Thomas, finis qui dat « speciem actus est circumstantia, sed aliquis finis adjunctus. « Sicut quod fortis fortiter agat propter bonum fortitudinis non « est circumstantia: sed si fortiter agat propter liberatio- « nem civitatis, vel populi Christiani vel aliquid hujus- « smodi. »

Quomodo exprimit modum, seu qualitatem actionis, puta quod aliquis ambulat velociter, vel tarde, et quod aliquis percutit fortiter, vel remisse. Spectat ad hanc circumstantiam si quis attento animo, an evagato preces recitet.

Quando designat conditionem temporis, et diuturnitatem actionis. Sic opus servile culpabile est die festo, et eo culpabilius, quo diuturnius.

PROPOSITIO.

Bonitas, et malitia moralis actus humani etiam petenda est ex circumstantiis.

Prob. Ex eo petenda est bonitas actus humani, ex quo ejus efficitur integritas, et perfectio. Bonitas enim integram postulat complexionem eorum, quae cuique convenire possunt, ac debent. Velut in naturalibus bonitas hominis physica non in hoc tantum consistit, quod sit humana forma, et natura praeditus, verum etiam exurgit ex plerisque aliis accidentibus, ex firmitate corporis, membrorum convenientia, sensuum acumine etc. Ergo etiam in moralibus bonitas non ex objecto tantum, quod formam, et speciem dat actui, sed etiam ex aliis, quae actioni conveniunt, eamque circumstant, petenda erit bonitas actus, et a contrario malitia.

Deinde ex eo repetenda est bonitas, et malitia moralis actus humani, per quod intelligitur actus humanus rectae rationi convenire, vel repugnare. Atqui ex circumstantiis etiam fit, ut actus humanus sit regulis morum consentaneus, vel alienus, prout innumerabilibus exemplis S. Scripturae docent. Nam ex circumstantia personae vidua pauper dicitur Luc. 21, plusquam omnes misisse in Gazophylacium. Ex eadem circumstantia Ozias reprehenditur 2. Paralip. cap. 26, quod vellet sacrificium offerre. Ex circumstantia finis vitiosa efficitur liberalitas in pauperes, si fiat inanis gloriae caussa, ut habetur Math. 6. Israelitarum victimae Deo ingratae fuerunt propter circumstantiam modi, quod non debito modo offerrentur, ut habetur ex Is. cap. 1.

Ob primo. Ut aliquid bonitatem, vel malitiam actui tribuat, oportet, ut sit volitum: sed quod est volitum proprie est objectum actus voluntatis, non autem illius circumstantia. Ergo ut existimavit Durandus, quum circumstantia tribuit actui bonitatem, vel malitiam, transit in conditionem objecti, nec proinde ex circumstantiis, ut circumstantiae sunt, et secernuntur ab objecto, repeti potest bonitas, vel malitia moralis. Ita sentire quoque videtur S. Thomas quaest. 12. art. 2., ubi expresse docet actum interiorem voluntatis in sua bonitate tantum dependere ab objecto: cumque sic distinguit

ab actu externo, quem asserit in sua bonitate pendere ab objecto, et a circumstantiis.

Resp. Nihil equidem tribuere actui bonitatem, aut malitiam, nisi quod est aliquo modo volitum. Sed aliquid volitum esse intelligi potest vel directe, primario, et per se, vel secundario, et ex consequenti. Porro solum objectum cadit primario sub intentionem, circumstantiae vero licet sint volitae, secundario tantum, et ex consequenti; unde intelligitur nec opus esse confundere circumstantias cum objecto, et tamen circumstantias utpote aliquo modo volitas tribuere posse bonitatem, vel malitiam actui humano. Quatenus autem circumstantiae sunt aliquo modo volitae, aliquo modo etiam dici possunt objectum voluntatis. Quo sensu exponendus D. Thomas, qui eo loco nomine objecti complectitur quidquid cadit quocumque modo sub intentionem sive primario, sive secundario: unde merito ait bonitatem actus interioris a solo objecto dependere: et in hoc secernit actum externum ab interiore, quod illae quae sunt merae circumstantiae prout referuntur ad potentiam, qua exercetur actus externus, induunt aliquo modo rationem objecti, prout referuntur ad voluntatem imperantem, quae illas saltem secundario intendit.

Ob. secundo. Circumstantiae sunt aliquid extrinsecum actui humano. Non possunt ergo ei conferre bonitatem, vel malitiam.

Resp. Circumstantias tametsi extrinsecas efficere tamen, ut actus intimam obtineat relationem convenientiae, vel repugnantiae cum regulis morum, unde illius bonitas, vel malitia sumitur.

Ob. tertio. Circumstantiam dignitatis personae nullam tribuere posse actui bonitatem, vel malitiam, alioquin quum duo eliciunt unum eumdemque actum virtutis, aequali prorsus fervore animi, qui esset majori sanctitate praeditus meliorem actum, majorique praemio dignum fecisse discendus esset, quod tamen nemo dixerit. Similiter si vir eximiae sanctitatis peccat, non erit peccatum gravius propter majorem sanctitatem peccantis. Igitur circumstantia personae nullam superaddere potest actui bonitatem, vel malitiam.

Resp. Tunc solum conditionem personae tribuere actui bonitatem, vel malitiam, quum influit in actum, eumque afficit, non tamen quum se habet solum per accidens, et con-

comitanter, ut vocant. Hinc patet responsio ad exempla allata. Ceterum quum actus vi sua refertur ad conditionem personae, eamque connotat, revera ex dignitate personae moralitatem quamdam, atque adeo bonitatem, et malitiam contrahit. Hinc major sanctitas personae licet ex se spectata per accidens tantum se habeat ad ejus peccatum, potest nihilominus ratione alicujus adjuncti evadere in circumstantiam moralem peccati, illudque gravius efficere, velut ratione uberioris agnitionis, ingrati erga Deum animi, scandali etc.

Ob. quarto. Circumstantiam quantitatis nullam tibuere posse actui bonitatem, vel malitiam: quantitas enim quum augeri possit in infinitum, infinitam quoque tribueret actui bonitatem vel malitiam, velut in eo, qui aut infinitis indigentibus succurrere, aut infinitis hominibus nocere desideraret. Pariter si ex diuturnitatis circumstantia augeretur actus bonitas, vel malitia, in actu per horam continuato esset bonitas, vel malitia infinita, quum horae spatium infinita istantia complectatur.

Resp. Bonitatem, et malitiam actus augeri prout ipsa augetur bonitas, aut malitia objecti, non tamen ad aequalitatem quantitatis objecti, sed proportione quadam juxta modum, quo objectum attingitur a voluntate per talem, aut talem actum. Quantumcumque autem objectum sit infinitae quantitatis, modus tamen quo attingitur sive ex parte cognitionis, sive ex parte affectus semper est finitus, et proinde nunquam tribuit actui bonitatem, aut malitiam infinitam. Neque porro actus habet ex duratione infinitam bonitatem, vel malitiam. Nam etsi duratio dividi possit in infinitum, tamen partes, in quas actu dividitur semper sunt finitae, ac determinatae. Porro bonitas, et malitia ratione diuturnitatis augetur, prout augentur partes istae finitae, quas determinata cogitatione complecti animus valet.

Ob. quinto. Fervorem, seu intentionem actus referri ad circumstantiam modi: porro ex tali circumstantia nulla potest actui accedere bonitas, vel malitia. Nam nulla circumstantia potest moralitatem tribuere, nisi sit volita: nihil autem volitum nisi praecognitum. Jam vero intensionem sui actus nemo cognitam, et exploratam habet. Ergo etc.

Resp. Intensionem actus non innotescere cognitione clara, et distincta, vi cujus gradus intensionis aestimari valeat, eam tamen sensu intimo percipi, hoc vero sufficere, ut volita

esse censeatur, atque adeo bonitatem, vel malitiam actus augeat.

Ex probationibus autem, quae petitae ex D. Thoma superius allatae sunt, proclive est colligere ex circumstantiis alias bonitatem, et malitiam actui superaddere specie diversam ab ea quam habet ab objecto, alias illam solum augere intra eamdem speciem; nam quae circumstantiae involvunt specialem conformitatem, aut repugnantiam cum regulis morum, novam quoque adjiciunt actus speciem bonitatis, aut malitiae, ut patet in eo, qui furatur, ut habeat unde illicitis voluptatibus serviat. Circumstantiae vero, quae continentur sub eodem ordine covenientiae, vel repugnantiae cum regulis morum, nequeunt novam speciem moralitatis inducere, sed eam tantum augere, velut si quis actum amoris, vel odii ferventissimum eliciat. Quippe fervoris conditio non facit, ut actus in aliam morum regulam referatur praeter eam, quam jam respicit, ut est simpliciter actus amoris, vel odii. Sed haec uberius declarantur in Tract. de peccatis.

CAPUT IV.

Utrum ex fine moralitatem actus accipiat.

Sermo hic est non de fine operis, quem unum, idemque esse atque objectum diximus, sed de fine extrinseco, seu operantis, qui tametsi non differt a circumstantia *Cur*, tamen est momenti, ut peculiaris ei locus tribuatur a D. Thoma, et reliquis theologis.

PROPOSITIO.

Actus humanus habet a fine bonitatem, et malitiam aliquando specie diversam ab ea, quam habet ex objecto.

Prob. Nam, quod actus humani fiant boni, aut mali ex fine, constat auctoritatibus Matth. 6. « Si oculus tuus fuerit « simplex, totum corpus tuum lucidum erit, si autem oculus « tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit. » Quae verba sic interpretatur Augustinus lib. 2. de Sermone Domini in Monte cap. 13. « Oculum ergo hic accipere de-

« bemus ipsam intentionem, qua facimus, quidquid facimus: « quae si munda fuerit, et recta, et illud aspicietis, quod « aspiciendum est, omnia opera nostra, quae secundum eam « operamur, necesse est bona sint. » Sic etiam Greg. lib. 28. moralium cap. 11. nomine oculi intentionem intelligit, et nomine corporis ipsam actionem, quae scilicet intentionem, quasi intuentem oculum sequitur. Et D. Thomas 1. 2. quaest. 12. art. 1. ad 1. « Intentio nominatur oculus metaphorice, non « quia ad cognitionem pertinet, sed quia cognitionem praesup- « ponit, per quam proponitur voluntati finis, ad quem mo- « vet: sicut oculo praevidemus, quo tendere corporaliter de- « beamus. » Ergo ex intentione finis, quae per oculum significatur, ea quae facimus lucida sunt, vel tenebrosa, sive bona, vel mala. Sic etiam D. August. lib. 2. de Moribus manichaeorum cap. 13. jactantiam eorum comprimens gloriantium, quod abstinerent a carnibus, et vino, inquit: « Quod « quaero a vobis, quo fine faciatis? Finis enim quo referun- « tur ea, quae facimus, idest propter quem facimus, quid- « quid facimus, si non solum inculpabilis, sed etiam lauda- « bilis fuerit, tunc demum etiam facta nostra laude aliqua « digna sunt. Sin ille jure, meritoque culpabitur, quem spe- « ctamus, et intuemur, quum in aliquo versamur officio, id « quoque officium nemo improbandum, vituperandumque du- « bitaverit. De Catilina memoriae traditum est, quod frigus, « sitim, famem ferre poterat. Haec erant illi spurco, sacri- « legoque etiam cum apostolis nostris communia; unde ergo « discernitur parricida iste ab apostolis nostris, nisi fine illo, « quem diversissimum sequebatur? Namque ille ista tolera- « bat, ut immoderatissimas, et immanissimas expleret cupi- « ditates: illi e contra ut eas premerent, et dominanti rationi « servire cogerent ».

Pob. secundo. Nam ex eo sane actus bonitatis, aut malitiae speciem sumit, quod principaliter intenditur a voluntate, estque praecipuum illius objectum. Igitur actus voluntatis speciem bonitatis, aut malitiae sumit ex fine. Haec autem bonitas, aut malitia ex fine diversa est interdum a bonitate vel malitia, quam habet actus ex objecto, prout finis operantis includit specialem ordinem conformitatis, vel repugnantiae cum regulis morum diversum ab eo, qui spectatur in fine operis. Nulla autem ex fine operantis inducitur specie diversa bonitas, vel malitia, si finis operantis eodem spectet, quo

finis operis. Velut in eo, qui eleemosynam erogat ex motivo misericordiae, finis operantis idem est, atque finis operis; si vero eleemosynam facit in satisfactionem peccatorum, finis operantis alio refertur, quam finis operis, habetque adeo speciem bonitatis diversam ab ea, quam habet ex fine operis.

Diligenter proinde animadvertendum est in tali actu, qui refertur ad finem extrinsecum, haec duo spectanda esse, nimirum actum ipsum secundum se, prout elicitur, et intenditur a voluntate, deinde prout ulterius a voluntate ordinatur ad alium finem. Nam qui facit eleemosynam satisfactionis caussa, is revera intendit sublevare indigentiam pauperis; hoc enim est propositum actui misericordiae, quem elicit: simul autem per hanc sublevationem indigentis intendit satisfacere pro peccatis, prout scilicet in talem satisfactionem ordinat, ac refert ipsum actum misericordiae. Duplex ergo ibi occurit objectum popositum voluntati, unum scilicet voluntati, ut elicienti actum misericordiae, alterum eidem voluntati ordinanti actum misericordiae ad satisfactionem. Duplex proinde occurrit bonitas specie diversa. Idemque valet a contrario de malitia. Sapienter haec a D. Thoma declarantur 2. 2. quaest. 31. art. 1. ad 2. « Nil, inquit, prohibet actum, qui est « proprie unius virtutis elicitivae attribui alteri virtuti sicut « ordinanti, et operanti ad suum finem. » Exemplum profert quaest. 124. art. 2. ad 2. « Martyrium est actus « charitatis, ut imperantis, fortitudinis autem ut elicien- « tis. »

Animadvertendum insuper ex eodem D. Thoma prima 2. quaest. 18. art. 7. Duplici ratione fieri posse, ut actus voluntatis imperantis referatur ad finem propter quem imperatur; uno modo quum ex natura sua, et per se actus collimat in finem propositum, sicut fortiter pugnare, ut inquit S. Doctor, per se ordinatur ad victoriam. Hoc pacto bonitas, aut malitia, quae est ex obiecto, continetur sub bonitate, vel malitia, quae est ex fine, velut species sub genere. Alio modo actus qui imperatur, non vi sua, sed ex accidente refertur ad finem imperantis, velut surripere rem alienam non ex se, sed per accidens refertur ad largitionem eleemosynae, tumque bonitatis, aut malitiae species, quae est ex objecto non continetur sub alia, sed actus moralis, ut ait S. Doctor, est sub duabus speciebus quasi disparatis.

Denique animadvertendum minime repugnare, ut unus idemque actus physice spectatus sit in duplici specie morali constitutus: ut ait Angelicus quaest. 18. art. 7. ad 1. « Secundum substantiam suam non potest aliquid esse in duabus « speciebus; quarum una sub altera non ordinetur. Sed secun-« dum ea, quae rei adveniunt, potest aliquid sub diversis « speciebus contineri: sicuti hoc pomum secundum colorem « continetur sub hac specie, scilicet albi, et secundum odo-« rem sub specie bene redolentis. Et similiter actus, qui se-« cundum substantiam suam est in una specie naturae, « secundum conditiones morales supervenientes, ad duas spe-« cies referri potest.

Porro hactenus dictis occurrit Vasquesius hoc argumeuto. Quum opus licet ex objecto bonum ordinatur in alium finem, tunc illud opus eligitur, et assumitur ut medium utile ad eum finem consequendum, propter quem assumitur. Ergo in ipso amatur sola bonitas finis, et consequenter sola haec bonitas in eo elucet. Verum ex superius dictis patet responsum, nimirum quum aliquis opus ex objecto bonum elicit, idque refert in finem alterius virtutis, velut quum eleemosynam largitur, ut satisfaciat pro peccatis, utrumque placet eligenti, et ipsam sublevare indigentiam inopis, et per talem actum misericordiae Deo satisfacere. Amat ergo et bonitatem objecti, et bonitatem finis, licet unam referat ad aliam. In illius actu propterea elucet non solum bonitas finis, sed etiam objecti.

Reliqua, quae ad hanc quaestionem pertinent disputantur in Tract. de Peccatis.

CAPUT V.

Utrum unus, idemque actus simul moraliter bonus, et malus esse possit.

« In actione humana bonitas quadruplex considerari po-« test (ait D. Thomas 1. 2. quaest 18. art. 4, atque ex ha-« ctenus dictis intelligi facile potest.) Una quidem secundum « genus, prout scilicet est actio; quia quantum habet de « actione, et entitate, tantum habet de bonitate (haec est bonitas actionis physica, quae reperitur in omni actione quantumvis mala moraliter, quae in peccatis sequitur ipsum ma-

teriale, ut vocant, actionis). « Alia vero secundum speciem, « quae accipitur secundum objectum conveniens. Tertia secundum circumstantias, quasi secundum accidentia quaedam. Quarta secundum finem, quasi secundum habitudinem ad bonitatis caussam. Docet autem S. Doctor in responsione ad tertium. « Nihil prohibere actioni habenti unam praedictarum « bonitatum deesse aliam, et secundum hoc contingere actio« nem, quae est bona secundum speciem suam, vel secundum « circumstantias, ordinari ad finem malum, vel e converso. « Non tamen est actio bona simpliciter, nisi omnes bonitates « concurrant. Quia quilibet singularis defectus causat malum. « Bonum autem causatur ex integra caussa, ut ait Dionysius 4. cap. de div. Nominibus. » Hinc eruuntur sequentes propositiones.

PROPOSITIO I.

Actio ex objecto bona, si fiat prava intentione simpliciter mala est.

Propositio probata manet ex axiomate mox allato ex D. Thoma. Sed probatur insuper auctoritate Augustini lib. 4. adversus Julianum cap. 3. « Noveris, inquit non officiis, « sed finibus a vitiis discernendas esse virtutes. Officium au« tem est quod faciendum est; finis vero propter quod fa« ciendum est. Quum itaque facit homo aliquid, ubi peccare « non videtur, si non propter hoc facit, propter quod fa« cere debet, peccare convincitur. »

Addendum quod habet D. Thomas quaest. 19. art. 7. ad 2. « Voluntas non potest dici bona, si sit intentio mala « caussa volendi. Qui enim vult dare eleemosynam propter « inanem gloriam consequendam, vult id, quod de se est « bonum sub ratione mali: et ideo prout est volitum ab ip« so, est malum: unde voluntas ejus est mala. » Et in 2. distinct. 38. quaest. prima, art. 4. ad 4. « Quum aliquis « vult dare eleemosynam propter inanem gloriam, hinc est « unus actus voluntatis, et hic actus totus malus est, licet « nunquam ad omne id, quod in eo est malitiam habeat. »

Ob. Opus, quod meretur aliquod praemium in hac vita, certe est moraliter bonum, nec simpliciter malum dici potest. Sed opus ex objecto bonum, etsi fiat prava intentione,

meretur tamen aliquod praemium in hac vita. Igitur tale opus est moraliter bonum. Minor probatur ex Augustino lib. contra Mendacium cap. 2., ubi de Jehu loquens ait. « Quum « vero scriptum sit eum rectum cor non habuisse cum Deo, « quid ei profuit, quod pro nonnulla obedientia, quam de « domo Achab omnino delenda pro cupiditate suae domina- « tionis exhibuit, aliquantam mercedem transitoriam regni « temporalis accepit? » In delenda ergo Domo Achab, Deo praecipiente, Jehu opus edidit ex objecto bonum; illud vero edidit pravo fine, nimirum pro cupiditate suae dominationis, et tamen mercedem transitoriam accepit. Igitur opus bonum ex objecto, licet pravo fine patratum, est moraliter bonum.

Resp. Multiplices actus moraliter distingui posse in his, quae fecit Jehu contra Domum Achab. Potuit enim ad illam delendam moveri propter obedientiam Dei mandato praestandam. Et simul occasione illius praecepti satisfacere in ea delenda domo pravae cupiditati dominandi. Porro quatenus Jehu voluit Deo praecipienti obedire, in eo actio ejus fuit bona, et ex objecto, siquidem exequebatur Divinum praeceptum et etiam ex fine, ex motivo scilicet obediendi Deo. Idque significare videtur quod legitur 4. Reg. cap. 10. « Quia studiose « egisti, quod rectum erat, et placebat in oculis meis, et « omnia quae erant in corde meo fecisti contra domum « Achab; filii tui usque ad quartam generationem sedebunt « super Thronum Israel. » Quatenus vero in exequendo Divino mandato locum dedit pravae cupiditati dominandi, peccavit certe Jehu, nec ob id mercedem obtinuit. Quia vero haec cupiditas non omnino efficienter se habuit ad executionem praecepti, sed concomitanter per modum actus moraliter distincti, idcirco efficere non potuit, ut actus elicitus ex motivo obedientiae Deo praestandae non esset moraliter bonus: idque colligi videtur ex eodem loco scripturae, ubi reprehenditur Jehu propter disparata vitia, quae conjunxit cum obedientia, licet in ipsa obedientia recte se gesserit: dicitur enim: « Porro Jehu non custodivit, ut ambularet in lege « Domini Dei Israel in toto corde suo: non enim recessit a « peccatis Jeroboam, qui peccare fecerat Israel. » Ex quo patet responsio ad locum Augustini.

PROPOSITIO II.

Actus ex objecto malus, licet fiat ex bono fine non moraliter bonus evadit, sed simpliciter malus est censendus.

Prob. Ratione, et auctoritate D. Thomae, qui quaest. 2. de malo art. 4. ad 3. « Non est, iniquit, actio bona sim-« pliciter, nisi omnes bonitates concurrant; quia quilibet sin-« gularis defectus causat malum: bonum autem causatur ex « integra caussa. » Unde concludit 1. 2., quaest. 19. art. 7. ad 3. « Unde sive voluntas sit ejus, quod est secundum se « malum, et sub ratione boni; sive sit boni sub ratione « mali semper voluntas erit mala. » Ergo ex D. Thoma non minus malus est actus ex objecto malus (salva majori vel minori gravitate suis ex locis petenda,) accedente bono fine, quam actus ex objecto bonus accedente pravo fine. Secundo auctoritate Augustini lib. contra Mendacium cap. 7. « Sed ea quae constat esse peccata nullo bonae causae ob-« tentu, nullo quasi bono fine, nulla velut bona intentione « facienda sunt. » Ex quo erroris arguitur Cassianus Collatione 17. cap. 17., et auctor operis imperfecti in Math. cap. 7., qui ex boni finis intentione, actiones ex objecto malas, velut mendacium ad vitandum grave discrimen ex veritatis confessione imminens a peccato excusarunt. Tertio D. Bernardi auctoritate, qui sermone 40. in Cantica: « Necessario, « inquit, requiruntur res, et caussa, id est, quid intendas, « et propter quid: ex his sane duobus, vel decor, vel de-« formitas judicatur, ut anima, quae ambo ista recta, at-« que pudica habuerit, illi merito, veraciterque dicatur: « pulchrae sunt genae tuae, sicut Turturis. Quae vero altero « horum caruerit non poterit dici de ea, quod pulchrae sunt « genae ejus, sicut Turturis, propter eam, quae adhuc ex « parte erit deformitatem. »

Prob. Insuper ratione theologica, nam actus moraliter est bonus, quatenus etiam est rectus, ut superius demonstratum est: nec actus potest esse rectus, nisi sit conformis primae morum regulae, legi scilicet aeternae. Sed actus ex objecto malus hoc ipso repugnat secundnm se legi aeternae, nec illi conformis unquam esse potest, nec proinde rectus,

et consequenter bonus esse, sed simpliciter malus est censendus.

Ob. Qui errore invincibili ductus putat honestum esse mendacium officiosum prolatum ad servandam amici vitam, in eo dum tale mendacium profert voluntas est bona: movetur enim ex bono fine. Pariter dictam rationis est bonum, habetque veritatem requisitam ad judicium practicae rationis; haec enim veritas, et bonitas sumitur non tamen ex conformitate cum rebus ipsis, quam cum appetitu recto. Igitur talis actus bonus simpliciter est reputandus.

Resp. Bonitatem rationis practicae consistere quidem in conformitate cum appetitu recto, quatenus ipsa ratio practica versatur in consultatione mediorum, quae sunt ad finem: nam, ut inquit S. Thomas, quaest. 19. art. 3. ad 2. « In « his quae sunt ad finem rectitudo rationis consistit in con« formitate ad appetitum finis debiti. » Verum ut statim subjicit S. Doctor « tamen, et ispe appetitus finis debiti prae« supponit rectam apprehensionem de fine, quae est per ra« tionem. » Haec autem apprehensio est recta, quum recte quis judicat de ipso actionis objecto formali, quod habet rationem finis. Hinc ille qui profert mendacium officiosum, quod putat esse bonum, non propterea bonam habet voluntatem, quia non habet rectam apprehensionem de objecto. « Bonitas autem voluntatis dependet a ratione, eo modo, « quo dependet ab objecto. » Ignorantia ergo antecedens, ex qua oritur error invincibilis, tantum praestat ne actus sit ad culpam imputabilis, minime verout sit bonus.

At inquies: si quis errore invincibili ductus putaret certam quamdam hostiam consecratam, quae tamen revera non esset consecrata, velut si a sacrilego Sacerdote hostia non consecrata publice in templo exponeretur, eamque facti nescius adoraret, illius certe adorationis objectum esset malum: nam adoraret panem, non Christum: et tamen ratione ignorantiae invincibilis ejusmodi adoratio non solum immunis esset a culpa, verum etiam moraliter bona. Ergo etiam qui ex ignorantia invincibili putat officiosum mendacium esse honestum: in eo tale mendacium licet ex objecto malum, non solum debet esse immune a culpa, sed etiam moraliter bonum.

Resp. Conc. ant., neg. consequen. Sunt enim haec duo prorsus diversa. Qui ductus errore invincibili consecratam

putat hostiam, quae revera non est consecrata, illius error est pure speculativus, versaturque circa objectum dumtaxat materiale actionis, taleque judicium, ut patet, nec conforme est, nec difforme regulis morum, talis quippe error nulli legi adversatur. Quatenus vero judicat hostiam, quam videt expositam, putatque consecratam, esse adorandam, in eo ratio practica recte judicet: verum est enim dictam rationis practicae dictantis adorandam esse hostiam consecratam: objectum proinde formale adorationis, illius est bonum: fertur quippe non in panem praesentem, sed in Christum, ut latentem sub speciebus panis; estque adeo Christus, ut adorandus, objectum formale actionis. Contra vero ille idem, si judicat panem cognitum ut panem esse adorandum, talis error non esset amplius intellectus speculativi, sed rationis practicae dictantis faciendum esse, quod non est faciendum, erraretque circa objectum formale, sive circa modum attingendi objectum, putans panem esse adorandum, qui modus attingenti panem, quum repugnet legi aeternae, facit, ut actio illa sit mala ex objecto formali. Quare in eo casu tametsi error ille supponeretur invincibilis, semper tamen actio ex objecto suo formali, unde specificatur, repugnaret legi aeternae. Eodem pacto, qui putat mendacium officiosum esse honestum non errat solum iudicio speculativo, putans exempl. gr. esse falsum aliquid, quod revera est verum, sed judicio practico dictante faciendum esse, quod lex aeterna vetat fieri, mempe adhibendum esse mendacium officii caussa, unde actio prout ex objecto speciem sumit, difformis est regulis morum. Uno verbo, qui adorat hostiam non consecratam ex errore invincibili facti, ejus adoratio non specificatur ex pane, quem ignorat esse praesentem, nec formaliter dici posset esse adoratio panis, sed specificatur ex objecto, quem putat esse praesentem, estque formaliter adoratio Christi. Actio ergo illa prout specificatur ex objecto est bona. Contra ille qui putat panem esse adorandum, vel dicendum mendacium officiosum, illius adoratio specificatur ex pane, quem putat adorandum, estque formaliter, et secundum speciem adoratio panis. Porro adoratio panis ex sua specie repugnat legi aeternae. In primo ergo casu, quum actio sit secundum speciem bona, et praeterea sit bona ex fine, absolute bona est censenda. In altero vero casu actio secundum speciem est mala, licet supponatur, qui eo casu

esse reapse non potest, error invincibilis: unde ex nulla bona intentione simpliciter bona fieri potest. Idem, ut patet, de mendacio dicendum, quod invincibilis error, si forte adesse supponatur, immune quidem a culpa, non bonum reddere valet.

PROPOSITIO III.

Actus respectu diversorum consideratus moraliter multiplex interdum efficitur, atque adeo partim bonus, partim malus esse potest.

Explicatione hinc utendum magis, quam probatione. Sunt quidam actus, qui pravo fine, vel circumstantia prorsus depravantur, ut si quis eleemosynam tribuere velit indigenti, ut eum excitet ad turpe opus. Sunt vero alii actus, quibus, admiscetur aliqua vitiositas ex parte finis, aut circumstantiarum, et qui nihilominus boni esse non desinunt, velut si quis intuens alienam indigentiam misericordia quidem moveatur ad ei succurrendum, simul tamen propter affectum quemdam inanis gloriae in aliorum praesentia captandae excitetur ad pecuniam celerius et alacrius tribuendam: vel si largitur quidem, sed inconsiderate, non advertens cui sit potissimum succurrendum, aut cum torpore, et fastidio largiatur, profecto in talibus circumstantiis dici non potest largitionem eleemosynae bonitatem suam amittere, fierique simpliciter malam. Aliunde vero difficile videtur intelligere quemadmodum accedente prava circumstantia non tota actio inficiatur, et mala evadat: siquidem bonum ex integra caussa, malum ex singulari quocumque defectu exoritur.

Ad explicationem itaque animadvertendum in primo casu largitionem eleemosynae non placere per se se, seu propter suam bonitatem, et honestatem, aut propter aliud bonum honestum, in quod referatur, sed assumi veluti medium ad pravum finem obtinendum. Talis proinde finis directe influit in ipsam largitionem, eamque intime afficit, ac proinde inficit, ut satis constat ex superioribus. In altero vero casu affectus inanis gloriae, qui admiscetur largitioni eleemosynae non proprie influit in ipsam eleemosynam, siquidem haec ratione suae honestatis amari, et eligi supponitur, adeo ut etsi nulli praesentes essent, nihilominus elleemosyna tribueretur. Haec inanis gloria proinde non est finis, in quem re-

feratur ipsa eleemosyna, sed potius occasione eleemosynae bona intentione faciendae excitatur in animo talis affectus ex praesentia circumstantium. Quapropter dum voluntas illi affectui consentit, consensus quidem est pravus, sed simul est actus proprie distinctus ab actu, quo vult eleemosynam largiri alienae inopiae sublevandae caussa, talis proinde actus non est conditio pertinens ad actum eleemosynae, ipsumque intime afficiens, sed est actus disparate, et concomitanter solum se habens ad actum eleemosynae, ejusque occasione elicitus. Non valet ergo impedire, ne largitio ipsa eleemosynae sit bona. Idem dicendum de aliis hujusmodi circumstantiis, quae tunc solum actum vitiant, quum se tenent ex parte actus, ipsumque afficiunt, non quum disparate se habent, evaduntque objectum alterius actus.

Hinc eruitur multarum difficultatum explicatio, velut de homine, qui supernaturali attritione affectus accedit ad Sacramentum poenitentiae, ut inanem gloriam captet, in quo ajunt attritionem ex vitioso fine procedere, et nihilominus, quum sit supernaturalis, sufficere, ad obtinendam justificationem in Sacramento. Similiter qui verae fidei assentitur, eamque confitetur ex eodem fine inanis gloriae, est in eo talis actus vitiosus ex fine, et tamen idem omnino actus est bonus ex objecto, et quidem actus simpliciter bonus, utpote procedens ex habitu supernaturali fidei, quia nempe ille assentitur ob testimonium divinum, estque vere fidelis.

Patet autem has difficultates tolli per distinctionem superius propositam. Nam in eo, qui supernaturali attritione affectus ex motivo inanis gloriae ad Sacramentum accedere supponitur, duo sunt actus distinguendi moraliter diversi, unus, quo vult Sacramentum suscipere ex bono motivo poenitentiae, quod per se includitur in attritione supernaturali: talisque actus est proinde bonus et ex objecto, et ex fine: alter actus, quo confessionis occasione captare vult inanem gloriam, isque est actus vitiosus. Statim autem, atque homo veram et supernaturalem habet attritionem de peccatis, quae confitetur, licet retineat affectum ad quoddam veniale, hoc non impedit, quominus justificationem consequatur. Ceterum absurdum esset velle attritionem in homine illo procedere ex motivo inanis gloriae, aut inanem gloriam velut circumstantiam afficere intime ipsam attritionem, atque adeo ex attritione, et inanigloria unumeudemque moralem actum for-

maliter exurgere. Nam attritio ut sit vera, et supernaturalis oritur gratia Spiritus Sancti excitante, ex motivo supernaturali, ut constat. Repugnat ergo ut attritio supernaturalis oriatur ex motivo inanis gloriae; secus non esset amplius ex motivo supernaturali, nec adeo vera, et supernaturalis attritio. Nec potest motivum inanis gloriae referri ad motivum poenitentiae, eique subordinari, quia repugnat, ut quis peccatum assumat tamquam medium ad dolorem de ipsis peccatis; patet sane in eo fore repugnantiam, quod quis vellet aliquem offendere, ut doleret ipsum offendisse. Igitur attritio, et inanis gloria nunquam possunt ita componi, ut unum, eumdemque formaliter actum moralem constituant, quia ex illis duobus motivis unum non potest alteri subordinari in ordine ad idem. Sed se habent ad diversa, duosque proinde actus moraliter diversos efficiunt, qui concomitanter quidem se habent, sed tamen sunt disparati.

Eadem est ratio de suscipiente Baptismum, vel Martyrium cum affectu ad inanem gloriam. Vel enim vana gloria concomitanter solum se tenet ex parte operantis cum voluntate Baptismi et Martyrii, tumque illa, utpote actus omnino disparatus, nec impedit justificationem, nec suum vitium influit in eam voluntatem. Vel vana gloria influit in actum, seque tenet ex parte ipsius actus, tumque vitiat voluntatem, nec prodest Baptisma, aut Martyrium ex tali motivo susceptum ad justitiam consequendam, prout latius explicat Benedictus XIV. De Canoniz. ubi de Martyrio.

Quod autem attinet ad Eucharistiam, si suscipiatur ex vanitate quadam veniali, respondent egregii doctores eam conferre gratiam non quidem vi voluntatis Eucharistiae suscipiendae ex tali motivo, in quo peccatum inest, sed quia ad fructum hujus Sacramenti ex opere operato satis est, ut quis sit in gratia. Secus est autem de Baptismo, et Confessione, tum etiam de Martyrio, quae non praestant gratiam justificationis, nisi quis ea suscipiat ex motivo supernaturali, quale haberi non potest ex vanitate, aut simili affectu veniali influente in ipsum actum.

Denique quod pertinet ad actum fidei, eadem quoque explicatio valet, sed simul animadvertunt nonnulli doctores, hoc esse fidei peculiare, quod quum sit natura sua virtus intellectualis, et objectum suum primario, et secundum se respiciat non sub ratione boni, sed sub ratione primi veri,

actus ejus non labefactatur ex eo, quod ad finem extrinsecum non bonum referatur: quia talis relatio repugnat quidem bonitati morali ejsdem, non tamen certitudini, et inerrantiae, quam fides natura sũa requirit. Actus ergo credentis ex motivo inanis gloriae carebit quidem bonitate morali, non tamen desinet esse actus fidei infusae, de cujus ractione non est habere bonitatem moralem, sed solum veritatem, et infallibilitatem propter Divinum testimonium tamquam motivum intrinsecum. Ita quidem nonnulli. Verum planius dici posse videtur, omnino repugnare, ut actus fidei supernaturalis eliciatur ex motivo inanis gloriae, quemadmodum supra dictum est de attritione snpernaturali. Non repugnat quidem, ut quis in edendo externo actu fidei finem minus rectum sibi proponat: sed tum illa eadem explicatio recurret, quae proposita est de illo, qui cum affectu ad vanam gloriam accedit ad poenitentiae Sacramentum.

Atque ex dictis facilius jam intelligi poterunt multa Sanctorum Patrum testimonia, quibus profitentur saepe bonis justorum operibus aliquid sordis immisceri, non quod actus idem moralis proprie simul bonus, et malus esse possit, sed quod actui bono aliquando concomitanter admiscetur aliquid pravi. Haec boni, et mali distinctio perspicue notatur a D. Thoma in eo, quod egerunt Obstetrices Aegyptiae ad servandos mares Hebraeorum. Sic enim ait prima 2. quaest. 114. art. ult. ad 2. « Obstetrices habuerunt bonam voluntatem « quantum ad liberationem puerorum, non tamen fuit ea« rum recta voluntas, quantum ad hoc, quod mendacium « confinxerunt. » Fuerunt ergo duo actus, unus bonus, cui Deus remunerationem praestitit, alter vero malus. Similiter quum delinquentem filium Pater corrigit ex vero quidem zelo, sed tamen cum majore quadam iracundia, bene agit in eo, quod ex vero zelo filium corripit, sed quod indulgeat nimium iracundiae, in eo exoritur actus malus, qui tamen tollit bonitatem, et meritum correctionis, si disparate solum, et concomitanter ad eam se habet. Quibus probe intellectis facile omnia objecta diluentur.

CAPUT VI.

Utrum admittendi sint actus indifferentes tum in specie, tum in individuo.

Actus dicitur in specie quando spectatur solum ratione sui objecti: nam ex objecto actus speciem sumit, ut antea explicatum est. Sic restitutio rei alienae secundum se, et ratione sui objecti est in specie actus justitiae, juramentum actus Religionis. Actus vero dicitur esse in individuo, quum non solum secundum se spectatur, sed prout exercetur, habetque adeo certas, ac determinatas conditiones personae, loci, temporis, modi ect., quae singularem quamque operationem comitantur, et afficiunt.

Constat actus in specie consideratos alios quidem esse bonos, alios malos. Quippe fide catholica docemur actus fidei, spei, et charitatis, aliarumque virtutum esse bonos ex se, seu ratione sui objecti, contra mendacium, fornicationem mala esse ex se se, nec unquam bona fieri, aut bene fieri posse.

Quaeritur autem, utrum praeter actus secundum speciem bonos, et malos aliqui sint admittendi omnino indifferentes nec boni, nec mali. De hac porro actuum indifferentia triplex circumfertur sententia. Prima est D. Thomae, qui aliquos actus indifferentes in specie, nullos in individuo agnoscit. Altera Scoti, qui in 2. Sent. dist. 7. quaest. unica art. primo, nullos vult indifferentes in specie, aliquos autem contendit indifferentes in individuo, ex fine scilicet, et circumstantiis. Tertia est Vasquesii, qui actus admittit indifferentes tum in specie, tum in individuo.

Primum ergo quaerendum, utrum sint admittendi actus in specie indifferentes. Duo vero praenotanda. Primo, ut sapienter monet S. Thomas, quaestionem non ita institui, quasi quaeratur, utrum sint actus, quibus vi suae speciei debeatur indifferentia moralis, adeo ut illis actibus essentialis sit ipsa moralis indifferentia, nec ab eis divelli possit, nec illi proinde boni, aut mali fieri unquam valeant, sicuti quia homini vi suae speciei convenit rationalitas, nunquam homo rationalitatem exuere potest: quippe in hunc sensum a nemine proponuntur actus indifferentes in specie. Verum quae-

stio sic instituitur, utrum sint actus, quibus secundum speciem suam consideratis, nulla bonitas, aut malitia moralis conveniat; alterutram tamen accipere queant ex conditionibus, quae actum in individuo afficiunt, sicuti homini secundum suam speciem considerato non convenit, ut sit albus, vel ater, alterutrum autem esse contingit ex conditionibus hominem in individuo afficientibus.

Secundo. Praenotandum ex card. Gotti, auctores, qui negant actus indifferentes in specie, loqui de indifferentia in genere moris, ita ut non inficientur actus quosdam vi objecti nec esse bonos, nec malos, sed contendant hanc esse indifferentiam physicam, quae competit actioni prout est quid physicum, non quid morale, vi cujus indifferentiae actus quidem habilis est ad suscipiendam moralitatem, scilicet bonitatem, vel malitiam, non tamen adhuc moralis esse intelligitur, quamdiu in illa indifferentia permanet, nec aliquid adjungitur, quod ipsum determinet ad bonitatem, vel malitiam. Et quidem fatetur expressis verbis idem Gotti, indifferentiam, etsi ad moralem ordinem pertineat, ad illum tamen pertinere non tamquam speciem completam, sed potius tamquam inchoationem, quae dat actui proxime capacitatem, ut determinetur ultimo in genere morali penes bonum, vel malum unde accipitur ultima regulatio actus in genere morali, et propterea est species quaedam potius negativa, quia ex sua specie non habet ultimam differentiam moralitatis. Ex quibus verbis patet non adeo discrepare auctores harum sententiarum, ut primo aspectu videri posset. His positis.

PROPOSITIO. I.

Admittendi sunt actus moraliter indifferentes ex objecto, seu ex specie.

Prob. Actus dicuntur morales, prout comparantur cum regula morum, seu lege. Atqui sunt quidam actus, qui comparati cum lege, ratione sui objecti sunt indifferentes. Ergo admittendi sunt actus moraliter indifferentes in specie. Minor probatur. Nam, ut sapienter docet D. Thomas prima 2. quaest. 92. art. 2. Tres sunt actus legis, praecipere, prohibere, permittere. Tres ergo sunt humanorum actuum differentiae, prout cum lege comparantur: et quemadmodum boni sunt

actus, quos lex praecipit, mali quos vetat, sic indifferentes censendi, quos permittit. Habent nempe actus isti ex permissione legis, ut sint ex se moraliter liciti; proindeque sit liberum homini, eos, prout sibi libuerit, exercere, vel non exercere, nec boni adeo sint ex se se, nec mali, sed boni, aut mali evadant, prout ex adjecto fine, et circumstantiis bene, vel male fiunt. Non porro eadem est ratio de habitibus, quia hi procedunt ex actibus in individuo.

Ob. Quum quilibet actus moralis habeat suum objectum, aut objectum congruit actui secundum rectam rationem, aut non congruit. Si congruit: ergo actus ex objecto bonus; si non congruit: ergo malus ex objecto. Sed congruere, et non congruere sic opponuntur, ut nullum inter ea medium versari possit. Igitur quilibet actus moralis est ex objecto vel bonus, vel malus.

Resp. Objectum congruere posse actu secundum rationem duplici modo, nempe secundum rationem, quatenus proponit regulam praecipientem, aut vetantem, quatenus proponit regulam permittentem. Priore modo actus est ex objecto bonus vel malus prout congruit, vel non congruit rectae rationi; neque in eo est aliquid medium. Prout vero actus congruit rationi ut permittenti dicitur indifferens. Nec sequitur inde, ut aliquod sit medium inter duo contradictoria. Nam contradictoria sunt de eodem circa idem. Porro actus prout boni, vel mali sunt, comparantur cum lege, ut praecipiente, vel vetante: prout vero sunt indifferentes cum lege, ut permittente.

Ob. secundo. Inter ea, quae privative opponuntur, nullum datur medium in subjecto, quod sit capax ea suscipere, velut inter visum, et caecitatem in homine. Atqui actus moralis omnis capax est suscipere bonitatem, vel malitiam, et aliunde bonitas, et malitia privative opponuntur. Igitur omnis actus moralis debet esse bonus, vel malus, nec ullus adeo indifferens esse potest moraliter.

Resp. Actus, ex objecto permittuntur a lege, quamdiu spectantur tantum in specie, aptos non esse, qui suscipiant bonitatem, vel malitiam; nam etiam quum eam suscipiunt in individuo, ipsam habent ex fine, et circumstantiis, non ex objecto. Ergo tales actus vi obiecti praecise non sunt apti suscipere bonitatem, vel malitiam, et consequenter ab utraque praescindunt, quemadmodum licet par, et impar priva-

tive opponantur, neutrum tamen convenit numero in specie praecise spectato, licet numero cuilibet in individuo alterutrum convenire debeat.

Ob. tertio. Objectum non minus pertinet ad rationem actus humani, quam finis. Sed qui finis pertinet ad actum humanum, oportet actum habere finem convenientem rectae rationi, adeo ut si fine illo careat, actus sit simpliciter malus. Ergo etiam oportebit actum habere objectum conveniens rectae rationi, et consequenter si actus ex objecto non fuerit bonus, simpliciter erit malus defectu ipsius objecti. Omnis ergo actus ex objecto bonus est, vel malus.

Resp. Objectum, et finem diversa ratione pertinere ad notionem actus humani: nam objectum habere commune est actibus etiam non humanis humani vero actus proprium est ut sit formaliter propter finem. Finis proxime attingitur a voluntate, objectum vero in plerisque actibus humanis attingitur proxime a potentiis a voluntate distinctis, per quas nimirum actus illi exerceantur: hinc electio vitiatur nisi adsit finis honestus, quia voluntatas in suis electionibus propositam semper debet habere honestatem. Verum aliae potentiae non semper, et proprie attingunt objectum suum ut honestum, sed ut consentaneum suae conservationi, et perfectioni. Unde licet absit honestas ab objecto, non vitiatur actus secundum se, quia nimirum non omnes actus tendunt in bonum physicum individui. Actus ergo, qui vi sua non ordinantur in bonum rationis, sed solum postulant ordinari, quum exercentur, tales actus ex objecto suo nec boni sunt, nec vitiosi, sed boni, aut mali evadunt, prout in individuo referuntur, vel non referuntur in bonum rationis.

PROPOSITIO II.

Nulli sunt admittendi actus moraliter indifferentes in individuo.

Prob. primo. Ratione D. Thomae 1. 2. quaest. 18. art. 9. quae in hunc modum adstringi potest. Quidquid homo deliberate agit, in eo servare debet ordinem rationis, adeo ut si servet ordinem rationis bene agat, male vero, si eum ordinem deserat. Jam vero, quum quidquid homo deliberate agit, id ipsum propter aliquem finem agat, postulat certe

ordo rationis, ut homo sibi proponat finem ipsi rectae rationi consentaneum, atque adeo bonum, et honestum, omnesque actui circumstantias adjungat, quas recta ratio postulat. Vel ergo talem finem sibi homo in agendo proponit, talesque circumstantias adhibet, tumque sequitur ordinem rationis, beneque agit: vel talem finem, talesque circumstantias non adhibet, atque hoc ipso deficit ab ordine rationis, siquidem non ordinat actum in finem honestum, seu ipsimet rectae rationi consentaneum.

Confirmatur hoc ipsum ex eo, quod homo vel suos actus omnes etiam ex objecto indifferentes refert aliquo modo in Deum, qui est ultimus finis humanae vitae, idque vel actu, vel virtute, vel expresse, aut interpretative, vel eos nullo modo refert in Deum. Si refert, jam in actu ipso indifferente ex objecto sequitur ordinem rationis, adeoque actus fit in individuo bonus, si non refert, deficit ab ordine rationis: quum enim naturali quodam ordine fines intermedii referri postulent in ultimum, profecto jubet recta ipsa ratio, ut homo in suis actibus eum ordinem servet: adeoque fines intermedios in ultimum referat: proindeque si non refert, actus fit in individuo malus. Sed referre, et non referre sic opponuntur, ut nullum inter ea medium consistere queat. Igitur omnis actus in individuo est bonus, vel malus.

Prob. Secundo. Omnis actus otiosus est moraliter malus. Atqui omnis actus, qui non refertur in finem honestum, hoc ipso est actus otiosus. Igitur omnis actus, qui non refertur in finem honestum, non indifferens, sed moraliter malus est censendus. Major probatur ex oraculo Christi Domini Matth. 12. *Omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines reddent rationem de eo in die judicii*: quod a fortiori certe valet de opere otioso. Absurdum quippe foret putare homines in die judicii rationem reddituros de omni verbo otiose prolato, non de opere otioso patrato. Quare Hieronymus, vel quisquis est auctor commentarii ejus nomine vulgati in Psalm. 16.: *Quod si de verbo otioso redditur ratio, quanto magis de operibus hominum?* Quod autem otiosum sit existimandum, quod non refertur in finem bonum, primo declarat ipsa vis vocabuli sive ex communi significatione, sive ex proprietate graeci sermonis, ubi legitur ἀργὸν, quae vox quum proprie significet illud, quod cessat ab opere, quoties adjungitur operi cuidam, velut actui positivo, signi-

ficat proprie opus utilitatis, et fructus vacuum nulla justa caussa, nulloque adeo fine bono susceptum; deinde hoc ipsum probat auctoritas D. Gregorii homil. 6. in Evangelia. « Otiosum verbum est quod aut utilitate rectitudinis, aut « ratione justae necessitatis caret. » Scilicet otiosum quum sit quidquid fructu caret, illud est otiosum verbum, quod non est vi sua honestum, caretque ex se se utilitate, seu fructu rectitudinis, vel quod non sumitur saltem justae necessitatis caussa, sive propter justum, et honestum finem. Sic etiam Hilarius in cap. 12. Matth. verbum otiosum dicit esse *verbum ineptum, et inutile.* Basilius quaest. 23. inter breviores: « Omne verbum quod non conducit ad proposi« tam in Domino utilitatem, vanum, et otiosum est.

Hinc evertitur illorum interpretatio quibus placet verbi otiosi nomine intelligere verbum perniciosum, quod sibi colligere videntur ex verbis Christi: « Progenies viperarum quo« modo potestis bona loqui, quum sitis mali? Amen dico « vobis omne verbum otiosum etc. » Christus ergo loquitur de verbis, quale illud erat Judaeorum*: in Beelzebub ejicit daemonia*, cujus occasione Christus ea disserit.

Evertitur, inquam, haec interpretatio, utpote quae adversatur auctoritati patrum, quos adduximus, neque illi favet, quod afferunt ex contextu. Christus enim, ut demonstraret eo loco quam prava sint, quamque severo judicio punienda verba perniciosa, et impia, tamquam a minori ad majus utitur argumento verbi otiosi, de quo si homines redditurі sunt rationem in die judicii, proclive est colligere, quam severa in eos futura sit animadversio, qui perniciosa, et impia locuti fuerint.

Hinc similiter evertitur eorum interpretatio, qui docent de verbis otiosis, et actibus quibuscumque indifferentibus rationem quidem homines reddituros in judicio, sed propter illa, nec praemium, nec poenam laturos. Nam haec interpretatio praeterquamquod nullo rationis, vel auctoritatis patrum fundamento nititur, vim afferre videtur contextui. Apparet enim Christum ibi demonstrare velle a minori ad majus quam gravem reddituri sint rationem ad poenam, qui fuerint impia locuti; si quidem et ratio reddenda est de verbis otiosis. Quod argumentum vim non haberet, si de verbis octiosis ratio reddenda esset non ad poenam, sed solum ad discussionem.

Nec rationi magis consentanea videtur dissimilitudo, quam

inducere nonnulli conantur inter verba otiosa, et facta otiosa, seu indifferentia. Dicunt scilicet verba quidem, si otiosa fuerint, mala quidem esse; facta otiosa minime esse mala. Idque propter duplicem rationem. Prima quia verbum suapte natura institutum est ad mentem manifestandam, velut ad finem, igitur si caret debito fine, malum est, secus habet de opere, quod est propter se, non propter aliud. Secundo locutio est actio propria omnino rationalis naturae, quae proinde finem magis requirit rectae rationi consentaneum, quam actiones aliae, quae quodammodo animales dici possunt, ut ambulare etc. Verum apertissime constat Deum ab hominibus recta facta reposcere non minus quam verba recta: proindeque si ad rectum verbum debitus finis exigitur, finem quoque debitum postulant facta, ut recta sint, nec quidquam evincunt dissimilitudines adductae. Nam aliud est id, ad quod verbum ex sua significatione est institutum, aliud, ad quod refertur ex intentione loquentis. Illud est mentem manifestare, talemque finem assequitur etiam verbum otiosum, modo sit verax. Istud vero est id, propter quod ille qui loquitur mentem suam manifestat. Talisque finis bonus, et rectus non magis requiritur ad locutionem, quam ad alium quemcumque actum humanum. Similiter quaelibet actio, si fit humano modo, non minus propria est rationalis naturae, quam locutio: unde nec minus requirit finis honestatem.

Ob. primo. Nullum esse praeceptum omnes actiones jubens referre ad finem honestum. Non naturale; quandoquidem tale praeceptum neque in decalogo extat, neque ad ullum decalogi praeceptum revocari potest; non divinum positivum: quandoquidem nullum in sacris litteris vestigium cernitur ejusmodi praecepti. Secundo, etsi existeret ejusmodi praeceptum, esset ex eorum genere, quae affirmantia dicuntur, quae semper quidem obligant, sed non pro omni tempore. Secus talis praecepti observatio impossibilis evaderet, quod impium est dicere. Tertio praecepta omnia sunt de aliquo actu virtutis: nulla porro est virtus in id spectans, ut omnes actiones in finem honestum referantur.

Resp. ad primum. Praeceptum, quo jubemur omnes actiones deliberatas in finem honestum referre implicite contineri in primo, et maximo mandato legis diligendi Deum super omnia, quo jubemur actiones nostras referre aliquo modo in finem ultimum: extat etiam praeceptum explicitum prima ad

Chorinth. 10. *Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite*, et ad Coloss. 3., « Omne quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia « in nomine Domini nostri Jesu Christi. » Unde D. Thomas lect. 3. in 3. ad Coloss. « Quidam dicunt, quod hoc est con- « silium: sed hoc non est verum » et 2. 2. quaest. 69. art. 1. « Ex praecepto tenemur omnia in Dei gloriam facere. » Et in 2. quaest. 40. art. ult. ad 7. » Quod dicitur: omnia « in Dei gloriam facite, potest intelligi dupliciter, vel affir- « mative, vel negative. Si negative sic est sensus: nihil « contra Deum faciatis, et hoc modo praeceptum est. « Si autem intelligatur affirmative, hoc potest esse du- « pliciter; aut ita, quod actualis relatio in Deum sit conjun- « cta actioni nostrae cuilibet: aut non quidem in actu, sed « in virtute etc. Et sic adhuc praeceptum est. »

Ad secundum. Est quidem hoc praeceptum ex affirmantium genere, sed nihil colligi ex eo potest ad probandum actiones quasdam deliberatas non esse in Deum referendas. Siquidem hoc praeceptum utpote affirmans, etsi non obliget pro omni omnino tempore, quandoquidem non omni omnino tempore deliberate agit homo, obligat tamen omni eo tempore, quo homo deliberate agit, omnesque adeo deliberatas actiones complectitur. Deinde, ut recte inquit Silvius, illud praeceptum virtute continet hoc negativum: nihil esse faciendum non in gloriam Dei. Porro qui non aliqua ratione refert suos actus in Deum, non servat honorem, qui Deo debetur tamquam ultimo fini: unde impingit in praeceptum vetans ejus honoris, et gloriae violationem. Neque impossibilis est hujusmodi praecepti observatio: nam non obligat, ut actu, sed solum, ut virtute omnes actiones in Deum referantur, vel, ut aliis videtur, saltem interpretative, quatenus honestas, quae proxime intenditur, in ipsum honestatis fontem vi sua refertur. Neque demum sequitur ex eo, ut infidelium opera omnia sint peccata: nam infideles Deum, ut auctorem naturae saltem cognoscere possunt: de infidelibus quippe Apostolus pronunciat: *Qui quum Deum cognovissent etc.* Infideles sunt, et haeretici, qui tamen Deum etiam cognoscunt. Nil ergo vetat, ut illi, sive naturalis rationis lumine, sive praevenientis gratiae auxilio adjuti (damnata quippe est ab Alexandro VIII, propositio haec num. 5. « Pagani, Judaei, Haeretici, aliique hujus « generis nullum omnino accipiunt a Jesu Christo influxum:

« adeoque hinc recte inferas, in illis esse voluntatem nudam, « et inermem sine omni gratia sufficiente ») aliquos actus humanos, vel indifferentes ex objecto in Deum referant: ex quo patet non esse necesse, infidelem in omni opere peccare, prout fert propositio 8, ab eodem Alexandro damnata.

Ad tertium respondet card. Gotti, omnia referre in finem honestum, licet non spectet ad aliquam peculiarem virtutem, pertinere tamen ad inclinationem naturae, ut rationalis, quod est aliquid majus, et universalius complectens objecta, et materiam omnium virtutum: convenienter proinde huic doctrinae dici potest, id non pertinere ad aliquam virtutem ex conditionibus, et differentiis, quae virtutes alias ab aliis secernunt, et in certa specie constituunt, pertinere tamen ad omnem virtutem ex conditione quadam communi omni virtuti ut actus is sit ex ordine rationis. Postulat autem rationis ordo, ut omnia, quae homo deliberate agit, in finem ultimum aliquo modo referat.

At, inquies, non minus proprium est hominis deliberate agere, quam cum deliberate agit, agere propter finem: atqui nullum tamen est praeceptum deliberate semper agendi. Ergo neque quod quis deliberate agit, semper in finem honestum dirigendi... Verum longe dispar est ratio: nam quod homo semper deliberate agat non est in ipsius potestate positum: nec proprium est hujus conditionis, et vitae, qua homo est expositus involuntariis impressionibus sensuum, et phantasiae, motibus cupiditatum antecedentibus, quae praevertunt aliquando advertentiam, usum, ac deliberationem rationis: quod vero dum deliberate agit homo, suos actus referat in finem debitum, hoc plane est situm in hominis potestate: tenetur que adeo suos actus deliberatos in debitum finem referre.

Ob. secondo. Actus, qui fiunt ob delectationem naturalem capiendam, velut cibum sumere, qui bene palato sapit; nec tamen valetudini nocet; ob ipsam suavitatem cibi; oblectare nares odore suave olenti; aures permulcere musico concentu, nec boni sunt, nec mali moraliter: ergo indifferentes. Non boni quia non fiunt ob finem honestum, nec porro mali, quia fiunt ob delectationem naturalem quam expetere licitum est, utpote quae, licet honestate morali non sit imbuta, nihil tamen vitii continet. Idem dicendum de his, quae fiunt commodi caussa, velut ambulare ad cibum mitificandum, manus perfri-

care ad frigus depellendum etc. Secundo actus isti, qui fiunt commoditatis caussa, velut fricare manus, ambulare etc. Nec sunt materia voti, nec confessionis. Ergo nec boni, nec mali.

Resp. Deum naturae auctorem providentissimum quibusdam operationibus voluptatis, aut doloris sensum naturali instituto indidisse, ut eo admoniti homines, et excitati, ea persequerentur, ratione tamen dirigente, quae faciunt ad vitae, vel humani generis conservationem, ad corpus reficiendum, ad noxia repellenda. Sic D. Thomas 1. 2. quaest. 5. art. 2. ad 2. « Divinus, inquit, intellectus, qui est institu« tor naturae, delectationes apposuit propter operationes. » Et in hoc S. Doctor appetitum sentientem distinguit a rationali, quod appetitus sentiens, utpote qui non attingit rationem communis boni, primario feratur in delectationem, seu potius in bonum particulare, quod est delectabile. Intellectus vero apprehendat universalem rationem boni, ad cujus consecutionem sequitur delectatio, unde appetitus rationalis, qui sequitur intellectum, principalius intendit bonum, quam delectationem. Hoc principio constituto, facile est colligere aliud esse operari cum delectatione comitante, et consequente operationem, aliud operari ex delectatione, seu ob motivum solius delectationis. Primum non est ex sese moraliter malum; alterum prorsus malum; excitatur quidem sentiens appetitus ex delectatione antecedente ad operationem naturalem, velut ad comedendum, idque ex sapientissimo auctoris naturae instituto, sed appetitus rationalis proprium est, quum homo deliberate comedit, ut hanc delectationem non principalius intendat, sed potius bonum, propter quod est apposita delectatio, atque adeo delectationem non sui gratia prosequatur, sed propter operationem, eamque ad bonum honestum referat. Hinc Augustinus lib. 10. confess. cap. 31. de cibo, et potu loquens ait. « Et « quum salus sit caussa edendi, et bibendi, adjungit se tam« quam pedissequa periculosa jucunditas, et plerumque prae« ire conatur; ut ejus caussa fiat, quod salutis caussa me « facere vel dico, vel volo. » Ex quo patet Augustinum damnare actum edendi, vel bibendi propter voluptatem ut finem, adeo ut voluptas sit caussa edendi, vel bibendi; non autem in edendo et bibendo ob salutem percipere voluptatem comitantem. Hinc etiam damnata est ab Innoc. XI haec propositio. « Comedere, et bibere usque ad satietatem ob solam

« voluptatem non est peccatum, modo non obsit valetudini, « quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui. » Quin etiam Augustinus lib. 4. contra Julianum, cap. 14. « Movetur certe animus ad pietatis affectum Divino cantico audito: tamen etiam illic, si sonum, non sensum libido audiendi « desideret, improbatur. Quanto magis si cantiunculis inanibus, vel etiam turpibus delectetur? »

Quod attinet ad alterum caput de actibus, qui commodi caussa fiunt, velut ambulare, perfricare manus, vel tales actus indeliberate fiunt, vel deliberate: si indeliberate, ut saepius contingit, maxime dum est animus in gravi cura, et cogitatione defixus, nihil pertinent ad hanc quaestionem, quae de actibus deliberatis instituitur. Si vero deliberate fiunt, profecto vel ad honestum finem actu, vel virtute referuntur, tumque boni sunt, ut sapienter docet S. Thoma prima 2. quaest 18. art. 9. ad 3. « Hoc ipsum quod aliquis agit ordinate ad sustentationem, vel quietem sui corporis, ad bonum virtutis « ordinatur in eo, qui corpus suum ordinat ad bonum virtutis. » Neque ex hoc sequitur talia opera esse materiam voti, quia votum debet esse de meliore bono. Licet autem quis recte agat, dum his rebus temperate utitur, quae faciunt ad commodum vitae, velut carnibus ad vascendum, equo ad iter faciendum, melius tamen ex se se faceret, si austeritatis christianae, ac poenitentiae studio ea praetermitteret. Quod si actus illi, quum deliberate fiunt, nec actu, nec virtute referuntur in debitum finem, profecto mali evadunt, fiuntque materia confessionis non secus, ac reliqui actus vani, et sermones otiosi.

Ob. tertio. Actus ex objecto malus, sed ex ignorantia invincibili admissus nec bonus est moraliter, nec malus. Non bonus ut superiori capite probatum est, non malus moraliter, quia non imputabilis ad culpam. Ignorantia quippe invincibilis prorsus excusat a culpa. Igitur sunt actus quidam in individuo indifferentes, nec boni nec mali moraliter.

Haec difficultas non attingit institutam quaestionem. Proponit quippe actum ex objecto revera, et materialiter, ut vocant, malum; qui tamen actus propter ignorantiam invicibilem non imputatur ad culpam, nec poenam meretur: quod autem dentur actus mali quidem ex se se, sed qui propter eam rationem poenam non merentur, atque adeo sint indifferentes

quod praemium, et poenam, non diffitemur. Sed hoc nihil attinet ad quaestionem, quam pertractamus. Hic enim quaeritur, utrum sint actus quidam nec boni, nec mali: actus autem propositus in difficultate revera malus est ex aliquo capite nimirum ex objecto. Non ergo indifferens, id est ex nullo capite nec bonus, nec malus. Licet autem per accidens fiat, scilicet propter ignorantiam invincibilem, ut actus ille malus ex se se non imputetur ad culpam formalem, semper tamen ex se se repugnat regulis morum; atque adeo ex se se malus est ex objecto.

Ob. quarto. Nulla est species, quae non habeat individua propria, et sua. Sed dantur actus indifferentes in specie. Ergo etiam dari debent indifferentes in individuo.

Resp. Hoc argumentum nihil concludere, quod facile patebit, si illud cum simili fallacia conferas: nulla est species, quae non habeat individua sibi consentanea: sed homo ex specie sua non est albus, nec niger, nec ullius coloris; ergo in individuo dantur homines nec albi, nec nigri, aut alterius coloris. Fallacia autem in eo consistit, quod ea quae conveniunt speciei, conveniunt quidem individuo, sed multa praeterea conveniunt individuo, quae non continentur in specie. Itaque actus, qui dicitur indifferens in specie est actus, cui nec bonitas, nec malitia moralis inest ex objecto. Et hanc indifferentiam ex objecto retinet etiam actus ille in individuo: nam inambulatio deliberata in individuo est quidem bona, vel mala moraliter, prout refertur, vel non refertur in debitum finem; sed tunc non est bona, aut mala ex objecto, sed ratione finis, et circumstantiarum, quae accidunt individuo, et non continentur in specie: quare distingui potest minor: dantur actus indifferentes in specie, quatenus illi actus ex sua specie, vel ratione speciei praescindunt a bonitate, et malitia, conc., dantur actus indifferentes in specie, quatenus ratione, et vi speciei excludant bonitatem, et malitiam aliunde accedentem individuo, negatur: sicut homo, licet vi speciei consideratus praescindat a colore albo, vel nigro, non tamen excludit alterutrum colorem, ut accedentem individuo. Distingui propterea etiam potest consequens. Ergo dantur actus indifferentes in individuo, indifferentia, quae convenit speciei, nimirum indifferentes ex objecto, conc., indifferentes ex quocumque alio capite, et ratione conditionum, quae individuo accidere debent, negatur. Hoc etiam luculentius pateret, si

otium esset vitium formae sillogisticae in allato argumento patefacere, idque ad veram formam revocare.

Ob. quinto. Propositio Johannis hus num. 16. damnata in concilio Costantiensi sess. 15. « Divisio immediata humanorum operum est, quod sint vel virtuosa, vel vitiosa. » Sed si nulli essent actus indifferentes in individuo, revera opus omne humanum divideretur in virtuosum, vel vitiosum, essetque immerito proscripta propositio. Igitur sunt aliqui actus indifferentes in individuo.

Resp. Propositionem illam damnatam esse in sensu haeretico Johannis Hus, non in sensu catholico, qui elicitur ex sententia D. Thomae, quam propugnamus. Qualis autem fuerit sensus nefarii haeretici, apertissime constat ex ipso concilio Constantiensi, ubi doctrina impii hominis refertur, et ratio, qua suam propositionem propugnabat: « Quia scilicet (ajebat homo haereticus, cujus sententia post allatam propositionem adjungitur) « si homo est vitiosus, et agat quidquam, tum « agit vitiose: et si est virtuosus, et agat quidquam, tunc « agit virtuose. Quia sicut vitium, quod crimen dicitur, sive « peccatum mortale, inficit universaliter actus hominis vitio- « si; sic virtus vivificat omnes actus hominis virtuosi »: quae verba contenent apertam haeresim, nempe hominem peccato mortali inquinatum nil posse agere boni: sed in omni actu peccare, et justum nil posse agere mali: quum sit contra fide certum peccatorem elicere posse actus fidei, et spei, licet adhuc informes, et opera moraliter bona exercere, et justos posse venialiter peccare, nec propter peccata venialia justitiam amittere. Divisio ergo humanorum actuum a Johanne Hus inducta haec erat: scilicet omnia opera hominis virtuosi esse virtuosa, omnia opera vitiosi esse vitiosa: quo sensu plane est haeretica. Sed ab hoc sensu toto coelo distat S. Thomae sententia, qui licet velit omnes actus in individuo esse bonos, vel malos, nullos indifferentes; agnoscit tamen peccatorem, si cupiditatum motibus non obsequatur, posse cum statu peccati componere actus bonos, et justum cum statu justitiae posse componere, et revera componere actus venialiter malos.

Ob. sexto. Auctoritas D. Hieronymi ep. 74. ad Augustinum: « bonum est continentia; malum est luxuria. Inter utrumque « indifferens ambulare. Hoc nec bonum, nec malum est: sive « enim feceris, sive non feceris, nec justitiam habebis, nec « injustitiam. » Haec porro verba *sive feceris, sive non fece-*

ris satis innuunt Hieronymum loqui de actu prout exercetur in individuo. Ergo ex hieronymo revera dantur actus indifferentes in individuo.

Resp. D. Hieronymum revera loqui de actibus in specie, et ex objecto, non in individuo spectatis: nam quod absolute pronunciat: *bonum est continentia* satis ostendit eum loqui de continentia in specie, seu ex objecto, non in individuo: nam in individuo actus continentiae malus esse potest, si nimirum fiat ex pravo fine. Ergo etiam de actu in specie loquitur, dum ait indifferens esse ambulare. Deinde hoc evidenter apparet e contextu. Ibi enim disserit de observatione caeremoniarum legis, ostenditque illas observare non esse ex illorum genere, quae *indifferentia sunt inter bonum, et malum, sicut philosophi disputant:* tum addit: *Bonum est continentia*, (quod proinde ex philosophorum potius, quam ex Hieronymi sententia dictum esse aliqui putant, nec liquet, ut ait Silvius) tum concludit: *observare autem legis caeremonias non potest esse indifferens, sed aut bonum est, aut malum:* ubi manifestum est Hieronymum loqui de rebus, quae sunt bonae, vel malae, vel indifferentes ex se se, seu ex objecto non in individuo. Nam licet observare caeremonias legis bonum esset ex objecto, ut bonum erat ante adventum Christi, adhuc tamen in individuo haec observatio mala esse poterat, si nempe fiebat ex hypocrisi, aut cum quacumque indebita circumstantia. Nec vim faciunt illa verba: *Sive feceris, sive non feceris*: quippe haec locutio *facere*, vel *non facere* non solum refertur ad actionem spectatam in individuo, sed etiam ad actionem consideratam in specie, ut quum dicimus: bonum est eleemosynam facere: malum est non observare jejunia praescripta. Merito ergo docet Hieronymus non pertinere ad justitiam, vel injustitiam, quod quis fecerit, vel non fecerit, quae sunt ex objecto indifferentia. Nemo enim tenetur ea facere, vel non facere: pertinet tamen ad justitiam, vel injustitiam prout ea quisque vel bene, vel male fecerit.

Demum quod attinet ad D. Bonaventuram, multi putant eum adversari D. Thomae in hac sententia, multaque adversarii ex eo testimonia proferunt, quibus nos urgeant. Verum diligenter animadvertendum censeo, non adeo perspicuam esse mentem D. Bonaventurae in affirmandis, atque D. Thomae in negandis actibus in individuo indifferentibus. Quamobrem, licet maxima sit Bonaventurae laus ingenii, sanctitatis, ac doctri-

nae, omnino tamen assentiendum D. Thomae, cujus est et auctoritas praestantissima, et multo apertior sententia, et firmissimis argumentis comprobata. Proferunt quidem adversarii locum ex secundo dist. 41. art. 1. quaest. 3., ubi S. Doctor constituit inter actum otiosum, qui caret omni utilitate, et actum bonum dari actum medium, seu indifferentem: sed tamen ut recte animadvertit Gregorius de Valentia, Bonaventura hoc loco de bonitate loquitur non pure, et praecise morali, de qua hic disputatur, sed meritoria apud Deum. Unde concludit non adversari hac in re Bonaventuram D. Thomae. Proferunt etiam interpretationem Textus apostoli superius allati, qua D. Bonaventura constituere videtur hoc tantum praeceptum esse, ut nihil faciamus contra gloriam Dei, non autem, ut quodlibet opus nostrum referamus in Deum: hoc nimirum consilii tantum esse non praecepti. Verum ibi S. Doctor loqui videtur de relatione in Deum actuali, non virtuali: sic enim concludit: « et sic patet, quod ex auctoritatibus illis « non concluditur, quod aliquis peccet quum non refert opus « suum in Deum actualiter. » Ex quibus efficitur D. Bonaventuram nostrae potius, quam adversariorum sententiae favere.

CAPUT VII.

De bonitate, et malitia actus externi comparata cum bonitate, et malitia interioris.

Actus externus, ut recte advertit Cajetanus, hic dicitur quilibet actus imperatus a voluntate, non elicitus. Multa de illius bonitate, et malitia, ut relata ad bonitatem, vel malitiam interioris actus disputat S. Thomas quaest. 20., quae summatim attigisse juverit antequam ad principalem quaestionem veniamus.

Notandum igitur primo aliam esse bonitatem, et malitiam, quam actus habet ex fine operantis, aliam, quum habet ex fine intrinseco, seu ex objecto. Sic in actione illius, qui largitur eleemosynam, ut satisfaciat pro peccatis inest bonitas virtutis misericordiae ex objecto, seu fine intrinseco operis: inest etiam bonitas virtutis poenitentiae ex fine operantis. In actione illius, qui furatur vinum, ut expleat intemperantem bibendi libidinem inest malitia injustitiae ex fine operis, et objecto, malitia etiam intemperantiae ex operantis fine. Ita-

que bonitas, et malitia quam sumit actus externus eleemosynae, et furti ex fine operantis antea est in actu interiore voluntas, pendetque ab ipsa voluntate, et ex ea in actum externum diffunditur. Nam manifeste patet bonitatem poenitentiae, malitiam intemperantiae non convenire ex se se actui eleemosynae, et furti, nisi prout quis vult eleemosynam referre ad poenitentiam, furtum ad intemperantiam. Unde prorsus pendet a voluntate hanc speciem bonitatis, vel malitiae addere, vel non addere actui exteriori. Bonitas vero, et malitia, quam habet actus exterior ex objecto, seu fine intrinseco operis, non pendet a voluntate, sed inest ipsi ex conformitate, vel difformitate cum regulis morum. Pendet quidem a voluntate, quod quis exerceat actum eleemosynae, vel furti: sed quod actus elemosynae habeat bonitatem misericordiae, actus furti malitiam injustitiae, hoc non pendet a voluntate, ut satis patet ex antea dictis. Quare tales actus externi sunt ex se se boni, vel mali. Immo bonitas, et malitia interioris actus voluntatis in eleemosina, et furto pendet ex bonitate, et malitia, quae suapte natura inest actui eleemosynae, et furti. Nam voluntas eleemosynae largiendae ex objecto est bona; quia sublevare miseriam indigentis per se conforme est regulis morum: et contra voluntas furti patrandi est mala ex objecto, quia surripere rem alienam invito domino difforme est regulis morum, quocirca, prout actus exterior est in intentione, tribuit bonitatem, et malitiam actui interiori, licet in executione pendeat ab actu interiore. Unde convincitur error Petri Abailardi, qui, ut refert Gregorius Ariminensis in 2. quaest. 42, et subindicat D. Bernardus ep. 188,, putavit actum externum nec bonum esse, nec malum.

Manifestum est insuper, quum finis operis continetur sub fine operantis, atque ad eum per se refertur, ipsum opus externum nullam addere posse bonitatem, vel malitiam specie diversam ab ea, quam habet voluntas ex ipso fine, quem sibi proponit. Secus quando finis operis non continetur sub fine operantis, nec ad ipsum ex natura sua refertur. Itaque, si quis ductus libidine se se inebriandi furetur vinum, profecto furtum quod assumit tamquam medium ad suam explendam intemperantiam, addit distinctam specie malitiam praeter malitiam intemperantiae, quam habet actus interior ex fine, quem operans intendit. Quippe furtum non est medium ex se se accommodatum ad explendam ebrietatem. Si vero quis ut po-

tiatur aliena re, furetur, eadem est specie malitia interioris actus voluntatis, et exterioris. Et si quidem actus exterior sit cum interiore conjunctus, et habeat uterque idem objectum, eumdem finem, easdem circumstantias, erit etiam una, et eadem, non specie tantum, sed, et numero bonitas, et malitia.

His praemissis, ad majorem perspicuitatem quaeritur, utrum, et quemadmodum actus exterior bonitatem, et malitiam addat actui interiori. Quod tribus propositionibus ex D. Thomae sententia cum ejus interpretibus absolvemus.

PROPOSITIO I.

Si agitur de bonitate, et malitia, quam habet actus exterior ex fine operantis, actus ipse exterior nil per se addit ad bonitatem, vel malitiam actus interioris, addere tamen potest ex accidente.

Probatur propositio. Nam bonitas, et malitia, quae pendet ex fine operantis tota est ab actu interiore voluntatis, et ex eo in actum exteriorem diffunditur. Ergo etc. Ex accidente tamen fieri potest, ut actus exterior bonitatem, vel malitiam augeat actus interioris; quatenus in ipso exercitio actus exterioris voluntas melior fit, vel pejor. Idque ex D. Thoma triplici ex capite contingit. Primo ex numero: quum scilicet actus exterior caussam praebet iterandi actus interioris; velut si quis quidquam actu interiore agere velit ex bono, vel malo fine, quod tunc non agit; postmodum vero illud idem vult, et ad effectum perducit, patet ex positione actus exterioris iterari actum interiorem, atque adeo propter iteratum actum vel bonum, vel malum, voluntatem fieri meliorem, vel pejorem. Secundo ex diuturnitate. Nam in exteriori opere perficiendo vel actu, vel virtute diutius interdum perseverat actus interior, quam si opus non patraretur. Porro voluntas est melior, aut pejor, prout in bono, vel malo diutius permanet. Tertio ex intensitate actus: quum scilicet propter delectationem, quam quis in actu exteriore perficiendo experitur, voluntas magis intenditur; patet autem voluntatem tanto esse meliorem, vel pejorem, quanto intensius in bonum, vel malum tendit.

PROPOSITIO II.

Si agitur de bonitate, et malitia, quae sumitur ex objecto seu fine operis intrinseco, per actum exteriorem perficitur, et completur, atque adeo augetur bonitas, vel malitia actus interioris.

Prob. Per actum exteriorem attingitur objectum, et perficitur id, in quod tendit actus interior. Sed quaelibet motio tendens in aliquem terminum non perficitur, et completur, nisi quum attingit ipsum terminum, atque id efficitur, in quod illa tendit. Ergo bonitas, et malitia interioris actus proprie non consummatur, nisi quum efficitur id, in quod ipse actus interior tendit, atque adeo completur per actum exteriorem. Et revera interior actus, quo quis vult largiri eleemosynam, non est proprie completus, et perfectus, nisi perducatur ad effectum, quum perduci potest, nilque obstat, quo minus perducatur. Hinc etiam refellitur error Petri Abailardi, qui per opera externa censebat aliquem non esse meliorem, nec pejorem, ut refert Gregorius Ariminensis in 2. dist. 42.

PROPOSITIO III.

Si tamen voluntas est perfecta, et efficax, tantumque non procedat quis in actum externum, quia facultate caret illius efficiendi, paratus omnino facere, si posset; tum actus interior per se, nec minus bonus, nec minus malus est, quam si actus externus accederet.

Prob. Nam in eo casu, quod actus externus non ponatur, illud est omnino involuntarium, sed quod est prorsus involuntarium nec auget, nec minuit bonitatem, vel malitiam actus humani. Ergo in eo casu defectus operis externi utpote omnino involuntarius nil detrahit de bonitate, et malitia ipsius actus interioris, nec proinde aut minus bonus est, aut minus malus, quam si adesset actus externus.

Prob. secundo ex sacris litteris. Gen. 22. Abraham non minus laudatur propter perfectam, et efficacem sacrificandi filii voluntatem, tametsi opere non completo, ac si revera complevisset: quippe ipse dicitur: *quia fecisti rem hanc, et non*

pepercisti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi. Math. 5. *qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam maechatus est eam in corde suo.* Apostolus. 2. ad Cor. 8. *si voluntas prompta est, secundum quod habet, accepta est non secundum id, quod non habet etc.*

Prob. tertio ex santis patribus. Cyprianus lib. 3. ad Quirinum cap. 2. ex mox laudato apostoli testimonio concludit: „ In opere, eleemosynis etiamsi per mediocritatem minus fiat, „ ipsam voluntatem satis esse. „ Ambrosius lib. 4. de officiis cap. 3. *Affectus divitem collationem aut pauperem facit, et pretium rebus imponit.* Augustinus lib. 1. de lib. Arb. cap. 3. „ Si „ cui facultas non contingat peccandi con conjuge aliena, pla„ num tamen aliquo modo sit eum cupere, et si potestas de„ tur facturum esse; non minus reus est, quam si in ipso „ facto deprehenderetur. „ Quibus alii sancti patres plurimi consentiunt.

Ob. primo. auctoritas D. Augustinus. qui lib. 13. de Trin. cap. 5. ait « Mala voluntate vel sola quisque miser efficitur, « sed miserior potestate, qua desiderium malae voluntatis « impletur. » Igitur actus externus aliquid superaddit malitiae interioris actus; secus non esset quisque miserior potestate male faciendi, quam sola voluntate.

Resp. Hoc ita dictum esse ab Augustino, quod plerumque contingat voluntatem ipso scelere patrando pejorem fieri, ut saepius explicatum est, vel propter ipsam iterationem, vel propter diuturnitatem, vel propter intensionem majorem actus. Sed hoc non adversatur nostrae sententiae, utpote qui fatemur actum externum augere bonitatem, vel malitiam actus interioris, quum per illum actus ipse interior augetur, et solum contendimus nil actum externum addere bonitatis, vel malitiae, quum nil addit ad vim ipsam, et quantitatem, ut ita dicam, actus interioris. Quod autem ea sit mens Augustini: facile intelligi potest ex tract. 58. in Johannem, ubi loquens de lotione pedum agnoscit melius quidem esse, ut manibus fiat, quam solo affectu, quod nempe melius sit hoc modo eum, qui prius inerat, humilitatis affectum confirmari. Similiter lib. de cura pro mortuis cap. 5. loquens de genuflexionibus, aliisque actibus externis, quibus homines se se magis excitant ad orandum, ait: « Et nescio quomodo, quum hi « motus corporis fieri nisi motu animi praecedente non pos« sint, eisdem rursus exterius visibiliter factis, ille interior

« invisibilis, qui eos fecit, augetur, ac per hoc cordis effe-« ctus, qui, ut fierent ista praecessit, quia facta sunt, cre-« scit. » Quo sensu etiam Hieronymus in cap. 3. ad Ephes. scribit. « Quando Deum genu posito suppliciter adoramus; et « fixo in terram poplite, magis quod ab eo poscimus, impe-« tramus. »

Ob. secundo. Duo addita unum quid majus efficiunt. Sed non solum actus internus, verum etiam externus habet suam propriam bonitatem, et malitiam. Ergo bonitas, et malitia externi actus addita bonitati, et malitiae interni actus, eam augere debet.

Resp. Quod vulgo dicitur, quantum additum quanto majus efficere, verum esse, quando utrumque est similiter quantum, non vero quando unum est ratio, cur alterum sit quantum, velut si longum est spatium aliquod, longa etiam erit linea, quae illud metitur; non tamen ipsa linea cum spatio longior erit, quam sine spatio; quia spatium non est longum, nisi ratione lineae, quae illud metitur. Ita etiam licet actus exteriores vere peccata sint ex objecto, quia tamen rationem culpae habent ab actu voluntatis interiore procedunt, idcirco actus exterior cum interiore conjunctus non facit majus peccatum. Quippe actus exterior, ut sejunctus ab interiore, peccatum est, sed materialiter tantum propter objectivam difformitatem cum regulis morum. In ipso vero actus exercitio ipse actus exterior non fit peccatum formaliter, nisi prout ab actu interiore procedit. Homicidium enim, quod est ex objecto malum, non est peccatum in eo, qui homicidium committit, nisi prout illud voluntarie committit.

Ob. tertio. Majora damna exteriorem actum consequuntur, quam solum interiorem. Ergo actus exterior cum interiore conjunctus est quoddam majus malum, utpote caussas majoris mali. Propterea David primo reg. cap. 25. Deo gratias agit, quod Nabal non occiderit, quem tamen occidere prorsus destinarat.

Resp. Actum externum cum interiore conjunctum esse quidem majus malum in se, quam solum actum internum; sed tamen quum quis efficaciter vult illud majus malum, et tantum non exequitur, quia non potest, minus improba est ejus voluntas, ac si exequeretur. Nihilominus multae adhuc sunt caussae, cur Deo gratias agat qui scelus intentum, vel homicidium, patrare non potuit. Primo debet horrere homicidium

illud, quod cupiebat. Ergo, licet in eo cupiendo non minus sceleratus fuerit, quam si executus esse, laetandum tamen est illi non fuisse patratum illud malum, quod horrere debet, quod scilicet infectum esse vellet, si factum esset. Secundo, quia saepe occasione actus exterioris magis in malo voluntas exardescit, et obduratur, fitque adeo deterior. Tertio quod per actus exteriores facilius generantur pravi habitus. Quarto quod actum exteriorem consequitur infamia, et quandoque onus restituendi, et compensandi, interdum etiam excommunicatio, suspensio, interdictum, vel irregularitas. Quinto quod etiam actui exteriori respondet prout bonus est, vel malus, accidentaria merces, vel poena, de qua audiendus D. Thomas quaest 2. de malo art. 2. ad 8. „ Qui habet, inquit S. Doctor, voluntatem dandi eleemosynam, et non dat, quia non habet facultatem, tantumdem meretur, quantum si daret per comparationem ad praemium essentiale, quod est gaudium de Deo: hoc enim praemium respondet charitati, quae ad voluntatem pertinet. Sed per comparationem ad praemium accidentale, quod est gaudium de quocumque bono creato, magis meretur qui non solum vult dare, sed dat: gaudebit enim non solum quia dare voluit, sed quia dedit et ex omnibus bonis, quae ex illa datione pervenerunt. Et similiter, si consideretur quantitas demeriti per comparationem ad poenam essentialem, quae consistit in separatione a Deo, et dolore exinde proveniente, non minus demeretur qui sola voluntate, quam qui voluntate, et actu peccat; quia haec poena est contemptus Dei, qui respicit voluntatem sed quantum ad poenam secundariam, quae est dolor de quocumque alio malo sic magis demeretur, qui actu, et voluntate peccat: habebit enim dolorem non solum de eo, quod male voluit, sed etiam de eo, quod male fecit, et de omnibus malis, quae de ejus maleficio provenerunt. Unde, et poenitens, qui poenam futuram poenitendo praevenit de omnibus talibus dolet. „ Hactenus D. Thomas.

Ob. quarto. Si actus interior absque actu exteriori aeque bonus esse potest, superfluum erit actum exteriorem interiori adjungere, solaque bona voluntate contentum esse quemque oportebit, nil sollicitum de bonis operibus exterius efficiendis.

Resp. Tum solum actum interiorem seorsum aeque bonum esse, atque si conjungatur cum externo, quando est actus interior aeque perfectus, et efficax. Patet autem voluntatem boni

faciendi non esse perfectam, et efficacem, quum adest boni efficiendi potestas, et non fit. Et certe actus interior tendit suapte natura in exteriorem tamquam in terminum. Secundo interdum ipsum opus cadit sub praeceptum; qui ergo illud praetermittit, quum ponere tenetur, non habet voluntatem bonam. Tertio voluntarie praetermittit multa bona, multasque utilitates, quas affert exercitium actus exterioris. Siquidem tali exercitio boni habitus generantur, fitque voluntas melior, et laudabilior, diutius etiam perseverat, magisque in bonum exardescit; gloria Dei, et pax inter homines, bonumque religionis, et societatis promovetur etc.

Ob. quinto. Velle furari est malum, quia furtum ipsum est malum. Ergo furtum ipsum simpliciter majus malum est, quam ipsa voluntas furti. Nam ex vulgato axiomate propter quod unumquodque tale, et illud magis.

Resp. Allatum axioma non in omni genere caussae valere, nec ad praesentem caussam accomodari posse, quod facile patebit duobus exemplis, quae perspicuitatis gratia proponemus. Lumen, ut docent scholastici, illud est, propter quod color est visibilis: itaque recte concludunt lumen ipsum magis esse visibile. Ex alia parte quidquid naturaliter movetur, ipsis etiam docentibus, propter aliquem terminum adipiscendum movetur, nemo tamen concludet ipsum terminum magis moveri. Ratio dissimilitudinis est, quia in primo casu lumen oportet inesse formaliter in ipso colore, ut sit visibilis. In altero vero casu terminus non inest ipsi mobili, sed est aliquid externum, in quod motus tendit. Porro actus interior se habet ad externum opus, ut motus ad terminum: non autem residet actus externus in interiore ut lumen in ipso colore. Quare ad eam caussam accomodari non valet allatum axioma, licet actus externus speciem det actui, ut terminus eam dat motioni. Deinde aliud est loqui de furto, ut est in intentione, et ut habet malitiam objectivam, aliud est loqui de furto, ut ponitur in executione, et habet malitiam formalem, et actualem culpam. Primo modo verum est ideo voluntatem esse malam, quia tendit in opus ex objecto dissonum regulis morum. Sed hic non loquimur de opere externo, ut habet malitiam pure objectivam: secundo modo verum est etiam furtum in exercitio positum malitiam formalem, et actualem culpam habere a voluntate, atque adeo malitiam formalem ex interiore actu in exteriorem diffundi. Ita S. Thomas quaest. 2. de malo art.

3. „ Si accipiatur actus peccati secundum quod est in execu-
„ tione operis sic primordialiter, et perprius est culpa in volun-
„ tate. „ Et in resp. ad 8. dicendum : „ Quod actus interior
„ dicitur esse malus propter actum exteriorem, sicut propter
„ objectum; tamen culpa complectur in actu interiori. „

Ob. Sexto. Melius est Sacramenta suscipere, quam solum velle suscipere: melius Deo satisfacere per orationes, jejunia, eleemosynas, quam solam gerere voluntatem satisfaciendi: Melius martyrium perferre pro Christo, quam solo martyrii desiderio teneri: Melius mille homines convertere, quam mille hominum salutem uno actu interiore optare, et velle. Plus denique nobis Christus praestitit mortem perferendo, quam sola voluntate moriendi. Ergo actus exterior bonitatem addit interiori.

Resp. ad sing. Ad Primum. Quod dicitur de sacramentis nihil pertinet ad hanc caussam. Disputamus enim de bonitate, et malitia morali operum, non de peculiari valore, et efficacitate, quam habent, vel habere possunt aliunde ex peculiari quadam institutione. Melius quidem est re, quam voto sacramenta suscipere, quia Sacramenta vim, et efficaciam habent ex institutione Christi; Christus autem sic ea instituit, ut gratiam conferant ex opere operato. Quum ergo valorem hunc ipsum operis operati Christus attribuerit non voluntati Sacramenti suscipiendi, sed ipsi susceptioni, patet revera melius esse ipsa sacramenta suscipere, quam eorum suscipiendorum voluntatem gerere, quin aliquid inde sequatur contra nostram propositionem.

Ad secundum. Melius est etiam Deo satisfacere per opera externa, quam solam satisfaciendi voluntatem gerere. Non quod sit Deo acceptior, et melior, qui jejunat, aut largitur eleemosynam, quam qui jejunandi, et largiendi voluntatem habet aeque perfectam, et efficacem, sed involuntario prorsus impedimento prohibetur, ne faciat; verum melius est propter multas utilitates, quas ex actu externo manare superius vidimus; tum etiam, quia vis satisfactionis, non solum pendet a satisfacientis voluntate, verum etiam pensatur ab opere, quod est poenale. Quod tamen poenalitas ista assumatur propter Deum, et in satisfactionem, ex voluntate, et animo est: unde, quod est accurate notandum, in eo, qui satisfacit, intervenit velut novus quidam actus interior, quo poenam, qua afficitur, voluntarie acceptat, perfert, ac sustinet.

Ad tertium. Revera qui pro Cristo moritur non est melior spectata magnitudine charitatis, quam qui habet aeque perfectam, ardentem, et efficacem moriendi voluntatem, nec majus meritum in comparatione ad praemium essentiale. Nam, ut ait Augustinus serm. 296, in natali apostolorum Petri, et Pauli: « Non quia Johanni apostolo passio defuit, ideo pas« sioni animus praeparatus deesse potuit . . . . Praeparationem « ejus Deus noverat. Quemadmodum tres pueri arsuri missi « sunt in caminum non victuri; negabimus eos martyres, quia « flamma eos urere non potuit? Interroga ignes: passi non « sunt: interroga voluntatem: coronati sunt. » Tamen qui cruciatus, et mortem perfert pro Christo, meliore est conditione propter praemium accidentale difficultati operis respondens, quod in martyribus aureola vocatur; prout etiam tradit D. Thomas in 2. dist. 40. quaest. 1. art 3. Qua de re vid. Bened. XIV. de Canoniz. lib. 3. cap. II. num. 5.

Ad quartum. Multorum hominum effecta conversio melior quidem est sola eos convertendi voluntate. Sed etiam notandum est talem conversionem non se habere velut actum externum, seu opus aptum sequi ex vi unius talis voluntatis, sed tantum ex pluribus actibus internis, et externis, et praedicationibus scilicet, exemplis, laboribus, vigiliis etc. Propositio porro nostra, ut recte advertit Silvius, intelligenda est de opere exteriore, quod velut natura sua sequitur actum interiorem, estque aptum ei conjugi tamquam habens eamdem rationem voluntarii: quod si eos quis adhiberet actus internos, et externos, qui requiruntur ad conversionem, idque voluntate aeque intensa, profecto illius voluntas non minus esset bona, quam si homines illi converterentur.

Ad quintum. Non est dubium, quin potuisset Christi sola voluntas moriendi, quod attinet ad valorem, sufficiens esse praetium redemptionis nostrae: quia omnes Christi actiones tum internae valoris erant infiniti. Revera tamen plus nobis contulit Christus per mortem, quam per solam moriendi voluntatem, quia divino consilio mors ejus decreta fuit, ut esset absolutum praetium nostrae redemptionis: nostraque redemptio non nisi per eam consummaretur.

Ob. septimo. Actus interior, et externus diversis praeceptis prohibentur. Nam sexto, et septimo Decalogi praecepto prohibentur actus externi fornicationis, et furti: nono, et decimo actus interni concupiscendi uxorem, et rem alienam:

diversa est ergo malitia interioris actus, et externi. Secundo non sufficit in confessione aperire actum interiorem, sed necesse est omnino externum etiam patefacere. Ergo externus majorem addit malitiam. Tertio peccatum definitur factum, vel dictum, vel concupitum contra legem aeternam Dei. Ergo diversa est malitia facti, et dicti, atque est concupiti. Quarto inter Petri Abailardi errores hic etiam damnatus est, quod Deus solam remuneret, aut puniat voluntatem, quodque propter opera nec melior efficiatur homo, nec pejor, nisi forte voluntas augeatur. Atqui hoc ipsum est, quod sententia nostra continet. Igitur non est tenenda.

Resp. ad primum, non ideo distinctis praeceptis prohibitam esse concupiscentiam uxoris, et rei alienae, atque ipsum actum externum fornicationis, et furti, eo quod diversa sit malitia in voluntate, et opere externo; sed quia periculum erat, ne carnales homines, ut erant judaei, putarent satis esse a solis exterioribus actis sibi temperare, ut copiosius dicimus Tract. de peccatis. Ad secundum necesse est equidem in confessione patefacere actus externos, sed propter hanc maxime rationem, quia praecipitur integritas confessionis. Quum ergo actus externus pertineat ad integritatem peccati, non esset integra confessio, si taceretur. Deinde saepe per actum externum exardescit voluntas peccati, qua crescente augetur etiam malitia, unde non exprimendo exteriorem actum, saepe non aperiretur tota malitia, numquam vero integrum peccatum. Praeterea exteriores actus expresse probibentur ut mali ex objecto, vel ex circumstantiis. Aperiendum est autem quidquid admissum est contra praeceptum. Demum exteriores actus gravia sequuntur plerumque incommoda, de quibus judicare ad confessarium pertinet. Ad tertium haec definitio, ut Tract. de peccatis dicimus, complectitur etiam divisionem peccati non quidem in species diversas completas, sed in diversos peccati gradus; quatenus idem peccatum primum corde concipitur, deinde dicto, vel facto perficitur. Unde non sequitur diversam esse malitiam interioris actus, et exterioris. Ad quartum non sincere sic exponuntur errores Abailardi, quippe qui volebat ad salutem consequendam inutilia esse opera externa etiam, ut a voluntate procedunt: atque adeo sufficere voluntatem sine operibus, tametsi facultas adsit operis praecepti adimplendi: superfluum fuisse propterea mortem ipsam Christi. A quibus erroribus quam aliena sit nostra sententia ex superius dictis

luculentissime patet, ut proinde non sit in hac explicatione diutius immorandum.

PARS TERTIA.

De regula proxima, et homogenea humanorum actuum, sive conscientia.

QUAESTIO I.

Conscientiae vis, et notio explicatur.

CAPUT I.

Quid sit conscientia, et quotuplex.

Ex eo quod animus sibi est ipse conscius, ductum est conscientiae vocabulum, ut proinde latini interpretes eam esse dixerint ejus rei scientiam, quae in animo est, sive bonum sit, sive malum. Prout vero a theologis ea vox usurpari solet accomodatiore significatione sumitur *pro applicatione scientiae ad opus*, ut docet S. Thomas quaest. 17. de veritate art. 1., et prima parte quaest. 79. art. 13., atque ex hac significatione apte depromit, quae vulgo conscientiae tribuuntur: dicitur enim conscientia testificari, obligare, et admonere, ac denique consolari. vel remordere. Porro haec tria praestat applicatio cognitionis nostrae, vel scientiae ad ea, quae agimus pro triplici hujus, quae esse potest, applicationis ratione. Primo modo quum ea nobiscum recognoscimus, quae egimus, vel non egimus, vel acta, aut non acta scimus: sic gen. 43. *Non est in conscientiis nostris, quis pecuniam posuerit in saccis nostris:* et ecclesiast. 7. *Scit conscientia tua, quia tu crebro maledixisti aliis.* Altero modo quum per conscientiam judicamus aliquid agendum, vel non agendum. Quo judicio velut vinculo quodam legis obstringimur, atque incitamur ad parendum. Sic prov. 12. *Est qui promittit, et quasi gladio pungitur conscientiae.* Tertio modo quum per conscientiam judicamus id, quod a nobis est commissum recte factum esse, aut secus. Quo fit, ut conscientia recte factorum animum consoletur, et erigat, remordeat vero peccati conscientia. Sic

ad Rom. 2. « Testimonium reddente illis conscientia ipsorum, et « inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam de- « fendentibus. »

Hinc recte concludit S. Thomas conscientiam nec potentiam aliquam esse, nec habitum, sed positam esse in actu mentis, seu intellectus. Nam per actum dumtaxat mentis, nempe per judicium fieri potest applicatio scientiae ad opus; nec nisi tali mentis actui convenire possunt ea munera, quae superius ex sacris ipsis litteris conscientiae tribuuntur, nimirum testificari, admonere, adstringere, tranquillare, ac remordere. Aliunde constat conscientiam non esse potentiam quamdam; siquidem nulla potentia exui poteste ex animo, potest vero animus deponere conscientiam. Denique conscientiam non esse habitum ostenditur ex eo, quod omnis habitus est vel naturalis, vel infusus, vel acquisitus. Porro conscientia non est habitus naturalis; nam hinc idem est apud omnes, ut patet in eo naturali habitu, qui dicitur intellectus primorum principiorum: conscientia autem non eadem est omnium, nec est habitus infusus, quia hic semper est rectus, conscientia interdum errans, nec habitus acquisitus, secus conscientia in homine non haberetur, antequam eam per multos actus comparasset.

Neque adversatur, quod in sacris litteris conscientia dicitur bona, mala, inquinata, quae omnia voluntati potius, quam actui mentis, seu intellectus conveniunt; velut Act. 23. *Ego omni conscientia bona conversatus sum.* Ad tit. primo. *Inquinatae sunt eorum et mens, et conscientia.* Ad Haebr. 9. *Emundabit conscientiam nostram:* quibus hoc etiam additur, neminem dici bonae, aut malae conscientiae, quod scientia polleat, sed quod bonam gerat voluntatem, vel malam. Nam his objectis multiplici ratione occurritur. Primo non sola voluntas, sed etiam intellectus practicus, ad quem conscientia refertur, bonus dicitur. Unde psalm. 110. *Intellectus bonus omnibus facientibus eum.* Secundo recte conscientia dicitur bona, vel mala, quatenus per eam homo sibi est conscius bonae, vel malae voluntatis, bonorum, vel malorum operum. Tertio proprie conscientia dicitur bona, et mala non vi sua, sed per analogiam, prout a voluntate participat bonitatem, et malitiam. Quod explicat S. Thomas quaest. 17. de verit. art. 2. ad 2. « Inquinatio, inquit, non dicitur esse in con- « scientia sicut in subjecto, sed sicut scitum in cognitione;

« dicitur enim aliquis habere conscientiam inquinatam, quan-« do alicujus inquinationis sibi est conscius. » Quod tamen non ita est intelligendum, quasi non aliquando contingat esse quempiam occulta labe inquinatum, cujus non sibi est conscius: quippe ait Apostolus prima ad Cor. 4. *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum.* Sed tamen qui culpam admisit, quam ignorat, ejus conscius esse deberet, quatenus deberet ignorantiam vincibilem deponere, qua illam admisit. Dicitur autem ex eodem S. Doctore in resp. ad tertium: « Conscientia inquinata emundari secundum quod ali-« quis, qui prius fuit sibi conscius peccati, postmodum scit » (idest convenientibus notis existimat, vel existimare potest) « se esse a peccato mundatum, et ita dicitur habere con-« scientiam puram: est enim eadem conscientia, quae prius « immunda est, et postea munda; non quidem ita, quod « conscientia sit subjectum munditiae, et immunditiae; sed « quia per conscientiam examinantem utrumque cognosci-« tur. » (Idest per aliquas notas usquequaque deprehendi potest) « non quod sit idem actus numero, quo prius scie-« bat se esse immundum, et post scit se esse mundum: sed « quia ex iisdem principiis utrumque cognoscitur, sicut di-« citur eadem consideratio, quae ex iisdem princpiis proce-« dit. » Ubi etiam animadvertendum, interdum accipi etiam improprie conscientiam pro ipsa hominis anima, quae mundatur. Tandem licet non quis dicatur simpliciter esse bonae conscientiae, quod scientia polleat, tamen ex eo dicitur, sive quod sibi conscius est, se esse bona voluntate affectum, sive quod habeat practicum judicium ad bona opera directum: quod utrumque intellectui sane convenit. Atque haec dicta fuerunt, ut remota omni ambiguitate ex hac voce conscientia planior via fieret, ad ejus intelligentiam plane assequendam.

Scientia porro, seu cognitio, in cujus applicatione ad opus conscientia consistit, ea est, quae ducitur ex primis principiis ad moralem institutionem pertinentibus, velut Deum colendum esse, honeste vivendum, neminem laedendum, suum cuique tribuendum; quorum principiorum intellectus, et habitus dicitur synderesis. Conscientia proinde recte in hunc modum definitur a Theologis: « Judicium rationis pra-« cticae circa particularia, ductum ex principiis universali-« bus morum. » Dicitur judicium rationis practicae, quo

significatur conscientiam esse cognitionis applicationem ad actiones, judicanda scilicet propositam actionem aut faciendam esse, vel fuisse ut honestam, aut non faciendam esse, vel fuisse ut turpem, et improbam. Secundo dicitur circa particularia, quia est judicium de actionibus, ut singillatim faciendae occurrunt. Tertio dicitur ductum ex principiis universalibus morum. Velut si quis hoc principio generali posito, *neminem esse laedendum*, ac deinde hoc assumpto, per furtum laedi proximum, concludat, atque iudicio practico decernat; igitur non est auferenda hic oblata res aliena, vel ea furtum praeteritum quoddam respiciens judicet in eo scelus a se admissum fuisse.

Sequitur ex hoc primo conscientiam non esse simpliciter quodcumque ultimum practicum judicium, quo aliquis ad agendum indicitur. Nam non est conscientiae judicium illud, quo quis utilitatis specie victus, furtum aliquod committendum decernit, immo est contra conscientiam: sed illud demum est judicium conscientiae, quo applicantur principia morum ad actionem. Quum autem quis ultimo judicio practico furtum aliquod committendum apud se statuit, non concludit ex principio pertinente ad bonum honestum, sed ex principio physicum quoddam bonum spectante utilitatis, vel delectationis.

Sequitur etiam ex allata definitione conscientiae, judicium, quo applicantur generalia principia ad singulares actiones subesse virtuti prudentiae, quae nimirum circa humana facta versatur prout agenda occurrunt, quemadmodum suo loco aptius declarabitur. Quum autem synderesis universalissima tantum principia, eademque naturaliter nota complectatur, hinc fit, ut inter synderesim, quae in universalissimis consistit, et conscientiam, quae vertitur in singularibus, medio veluti loco sit constituta scientia moralis, ac prudentia juris. Quippe hujus effata, veluti *in malis promissis fidem non esse servandam*, sunt conclusiones ductae ex primis principiis synderesis, simulque principia sunt, et agendi regulae prout referuntur ad conscientiam, ut ex Durando recte advertit Layman.

Conscientia porro spectari potest vel ratione objecti, vel ratione assensus. Spectata ratione objecti alia est vera, et recta, alia falsa, et errans; illa quae ex veris principiis

recte concludit, ac judicat; ista, quae vel ex falsis principiis falsa, vel ex veris prave, et perperam concludit.

Ratione assensus conscientia dividi solet in certam, opinativam, ac dubiam, cui scrupulosa etiam adjungitur. Conscientia certa definitur, quae nulla haesitatione, ac formidine de opposito pulsatur. Sed major mihi videtur explicatio desiderari. Nam proprie certum dicitur judicium, quod ex certis, exploratisque principiis legitima conclusione ducitur. In hunc modum omnis conscientia certa est etiam vera, licet non semper vera conscientia ratione objecti, sit omnino certa. Improprie tamen certum etiam dici potest, quod quis certo, seu potius fixo judicio sibi plane persuadet. Hoc pacto errans conscientia quandoque omnem prorsus dubitationem, et formidinem excludit. Non raro quippe contingit homines falsae rei, quasi eploratae veritati temere, ac sine ulla dubitatione, assentiri.

Conscientia opinativa est, quae probabilibus tantum argumentis ducitur, ut proinde non omnem de opposito formidinem removeat. Multiplex est pro multiplici gradu probabilitatis, qua nititur, tenuis, gravis, aut gravioris. Duo hic breviter notanda: primo conscientiam opinativam aliquando veram, aliquando falsam esse posse ratione objecti: secundo conscientiam opinativam veram interdum tot, tamque probabilibus argumentis niti, ut de opposito nonnisi levem, atque adeo contemnendam suspicionem relinquat.

Conscientia dubia est, quae inter utramque partem anceps haeret, nec assentiens, nec dissentiens. Et quidem haec judicii, et assensionis retentio per se proprie conscientia dici nequit, ut multi animadvertunt; quandoquidem conscientia ipsa est aliquod judicium; verum ea retentio assensionis vix locum habere potest, nisi quum libratis hinc inde dubitandi rationibus, mens judicat, ac veluti pronuntiat non liquere. Quo pacto conscientia dubia vocari potest.

Conscientia denique scrupulosa, quae levibus rationibus movetur, atque in fluctuationem adducitur, qua mens adeo suspicione sollicita, suspensa metu, angore conscientiae pungitur, et vexatur.

Et quidem quum in omnem, quae de conscientia suscipitur, disputationem saepius incidat mentio intellectus practici, ac synderesis, soleantque illae voces saepe usurpari

ab iis etiam, qui earum vim, et potestatem numquam sunt assecuti, operae pretium fuerit in illis explicandis distinctis articulis paulisper immorari, ne iis temere abutamur, atque viris doctis inanem sonum fundere videamur.

ARTICULUS I.

Vis, et notio explicatur mentis, et rationis practicae.

Quae sunt obscura, et involuta tum demum apparere incipiunt, quum rebus illustribus collata intelligere incipimus, in quo conveniant, aut quid different. Hoc pacto intellectus practici naturam mirifice D. Thomas explicat prima parte quaest. 79. art. 11. demonstrans, qua ratione, cum speculativo qui dicitur conveniat, quidve ab eo discrepet. Neminem quippe fugit intellectum speculativum vim esse, et potentiam animi directam prorsus in verum, tamquam in objectum sibi naturale et consentaneum. Ex hac parte prorsus convenire intellectum practicum cum speculativo docet S. Thomas, atque adeo non quasi duas vires animi esse, ac facultates distinctas, sed unam eamdemque. Nam tum solum diversitas objecti diversitatem facit facultatum, quum illa diversitas ex talibus conditionibus oritur, quae per se pertinent ad ipsum objectum, non ex his, quae per accidens illi adveniunt. Color est objectum visus: quod autem color insit lapidi, vel flori, hoc non variat ipsam rationem coloris per se spectati, sed per accidens se habet ad ipsum colorem. Quare non diversae requiruntur facultates ad florem, vel lapidem videndum, sed haec omnia unus, idemque visus attingit. Sic porro etiam quidquid habet rationem intelligibilis, hoc ipso est objectum intellectus. Quod vero aliquod intelligibile referatur ad opus, vel non referatur, nihil hoc pertinet ad rationem intelligibilis per se spectati. Nam intellectus perinde attingit suum objectum intelligibile sive referatur ad opus, sive non referatur: proindeque objectum illud retinet genus, rationemque intelligibilis, quemadmodum visus perinde colorem attingit, sive insit color in lapide, sive in flore. Non ergo ex hoc capite variari, ac distingui potest facultas, quae versatur circa intelligibile. Atqui tamen intellectus speculativus non differt a practico, nisi quia objectum intellectus speculativi non refertur ad opus; objectum vero

intellectus practicus, et speculativus unam, eamdemque facultatem constituunt, quia suum objectum sub eadem ratione formali attingunt, nempe intelligibilis, et veri. Differunt autem per accidentarium quemdam respectum ad opus, qui respectus annexus est objecto, quod considerat intellectus practicus, non ei, quod considerat intellectus speculativus, et propterea etiam ex Aristotele, lib. 3. de Anima, fine tantum intellectus practicus dicitur a speculativo differre, non vi intima, et natura.

Praecipua vero difficultas, quae huic doctrinae opponi potest, ex hoc nascitur, quod dictum est, diversam rationem objecti diversam facultatem inducere. Atqui, inquiunt, objectum intellectus speculativi est verum; objectum vero intellectus practici est bonum. Verum autem, et bonum ratione differunt. Igitur intellectus speculativus, et practicus diversae sunt facultates. Huic porro difficultati maxima perspicuitate respondet S. Thomas hoc art. ad 2. his verbis. « Dicendum, « quod verum, et bonum se invicem includunt. Nam verum « est quoddam bonum: alioquin non esset appetibile: et bo« num est quoddam verum: alioquin non esset intelligibile. « Sicut igitur objectum appetitus potest esse verum, in quan« tum habet rationem boni, sicut quum aliquis appetit ve« ritatem cognoscere; ita objectum intellectus practici est « bonum ordinabile ad opus sub ratione veri. Intellectus « enim practicus veritatem cognoscit, sicut speculativus, sed « veritatem cognitam ordinat ad opus. »

Ex his verbis D. Thomae tria elucent magni momenti. Primo intellectus speculativus, et practicus omnino conveniunt in modo cognoscendae viritatis in hoc differunt, quod speculativus veritatem cognitam non ordinat ad opus, eam autem ordinet intellectus practicus. Secundo veritas, quae est objectum intellectus practici considerata ut habet rationem intelligibilis, et cadit sub apprehensionem intellectus practici, ut est facultas intelligens, est in eodem genere, et ordine conformitatis posita, atque veritas, quae est objectum speculativi. Tertio veritas, quae est objectum intellectus practici considerata prout non solum est impliciter veritas, sed etiam prout ordinatur ad bonum opus ex fine bono, quem intendit appetitus rectus, haec verítas habet specialem rationem boni. Et sic veritas, qua est objectum intellectus practici ad conformitatem, quam habet sub ratione veri, sub qua conformi-

tate est objectum intellectus practici, prout est practicus, et differt ab intellectu speculativo.

Atque hinc satis luculenta, ni fallor, explicatio suppetit ad celebrem textum D. Thomae ex 1. 2. quaest. 57. art. 5. ad 3., ubi S. Doctor tradit verum intellectus practici aliter accipi, quam verum intellectus speculativi. Eo quod verum intellectus speculativi accipitur ex conformitate ad rem: verum autem intellectus practici accipitur per conformitatem ad appetitum rectum; quo textu nonnulli abutentes, atque intellectus practici objectum ab objecto speculativi prorsus disjungentes, multa, et quidem legi per se repugnantia per intellectum practicum probari posse constituerunt, dum ea intellectus speculativus damnaret, ac respueret. Veritas quidem intellectus practici accipi debet ex conformitate ad appetitum rectum, quatenus veritas intellectus practici eam conformitatem includit quidem, sed non excludit conformitatem, quae ipsi competit sub ratione intelligibilis, in qua convenit cum intellectu speculativo. Immo veritas, quae consistit in conformitate cum appetitu recto supponit veritatem, quae est objectum verae intellectionis. Ideo enim appetitus est rectus, quia fertur in id, quod est vere bonum, et ut vere bonum cognoscitur. Sic enim docet prima 2. quaest. 19. art. 3. ad 2. « In his, quae sunt ad finem, rectitudo rationis consistit « in conformitate ad appetitum finis debiti: sed tamen et « ipse appetitus finis debiti praesupponit rectam apprehen- « sionem de fine, qui est per rationem. » Et sane hic finis debitus, quem appetitus rectus prosequitur, non est nisi bonum rationis, ad quod ipsae virtutes morales inclinant, idest finis operis ipsarum virtutum moralium, earumque objectum formale: nam, ut ait idem S. Thomas quaest. 1. de verit. art. 6. « Omnium virtutum moralium, quae sunt in parte « appetitiva, unaquaeque facit inclinationem appetitus in « aliquod genus humani boni, sicut justitia facit inclinatio- « nem in bonum, quod est aequalitas pertinentium ad com- « municationem vitae, temperantia in bonum, quod est re- « fraenari a concupiscentiis, et sic de singulis virtutibus. » His autem virtutibus docet prudentiam, quae est virtus intellectus practici, rectitudinem, et complementum bonitatis afferre, eo quod in omnibus rectum modum statuat: ut ergo appetitus sit rectus, oportet, ut prosequatur aliquid pertinens ad bonum justitiae, et temperantiae, vel aliarum vir-

tutum: quippe tale bonum est finis debitus, intrinsecus scilicet, non ultimus agendorum, et principium agibilium. Nam in operativis finis est principium, ut ait art. 7., sed ut appetitus possit ejusmodi finem prosequi, oportet ut tale bonum demonstretur per intellectum practicum: quatenus intellectus practicus id proponat, quod revera pertinet ad bonum justitiae, vel temperantiae etc.; secus appetitus sequens id, quod esset propositum ab intellectu, non sequeretur rectam apprehensionem de fine, nec esset appetitus rectus, utpote qui revera non tenderet in bonum justitiae, temperantiae etc.

Hinc etiam potest erui, quid sentiendum sit de celebri distintione, qua morales Doctores frequenter utuntur inter ea, quae dicunt speculative, nec certa, nec forte probabilia esse; practice autem probabilia non tantum, sed etiam certa evadere: quasi alia sit certitudo, probabilitas, ac dubitatio speculativa, alia practica. Et quidem, quum de vocibus non sit disputandum, nec a communi loquendi consuetudine facile recedendum, poterit quidem memorata distinctio retineri, modo eruatur ex tenebris, quibus illam nonnulli obruerunt, atque ad perspicuam rectamque notionem adstringatur. Communiter dici solet speculativam esse probabilitatem, vel dubitationem, quae fertur in actionem consideratam generatim per se seorsum ab adjunctis, vel omnibus, vel saltem aliquibus: quia vero ad actum operandum requiritur judicium practicum, et in ipsa operatione intercedunt omnes illae circumstantiae, ajunt hoc judicium practicum de operatione hic et nunc agenda, propter circumstantiam aliquam differre posse a judicio speculativo de actione illa secundum se spectata. Sic potest quis judicio speculativo existimare tamquam certum, vel saltem probabile, intinerantes teneri lege jejunii: simul autem hic idem itinerans, attenta gravi defatigatione, quam aliqua die itinerando est expertus, judicare judicio practico se itinerantem illa die non teneri lege jejunii. Distinctio hoc pacto explicata est vera, nec aliud incommodi habet, nisi perturbatam admodum loquendi rationem, quae tamen ferenda est, modo illud caveatur, ne turbet etiam rationem sentiendi. Nam nomine judicii speculativi designare illud, quod fertur de actione generatim, nomine vero judicii practici illud, quod fertur de actione singulari suis omnibus circumstantiis adfecta penitus alienum est a propria.

et germana vocum earum significatione. Ipsa certe principia generalia synderesis velut, *nemo laedendus*, jure, ac merito dicuntur ab omnibus principia practica, et tamen non sunt de actione singulari, sed recte dicuntur practica, quia vi sua ordinantur ad opus. Multo ergo magis judicium, quod fit de generali obligatione itinerantis ad servandum jejunium, practicum dici deberet. Ex alia parte, si speculativum appellare placet judicium, quo intellectus considerans actionem in genere spectatam, eam judicat vel licitam, vel illicitam, sive certo, sive probabiliter; merito quoque speculativum dici poterit judicium, quo actionem singularem sub illo genere contentam licitam, vel illicitam pronuntiat; ratio est, quia omnes circumstantiae, quae intervenire possunt in singulari actione, reducuntur ad generalia quaedam capita, velut in exemplo allato, qui judicat sibi licitum esse solvere jejunium propter gravem defatigationem viae, judicium facit quod continetur sub hoc generali judicio, grave in commodum justam praebere caussam solvendi jejunii. Prout ergo generale hoc judicium, quod speculativum dicunt, certum erit, vel probabile, vel dubium, et quidem sub iisdem exceptionibus vel utilitatis, vel necessitatis, judicium singulare hominis itinerantis suam defatigationem actu experientis, quod vocant judicium practicum erit etiam certum, vel dubium, vel probabile. Ita sentit doctissimus Elizalde de recta doctrina morum part. 1. lib. 1. quaest. 4. §. 3. Hoc invictissime demonstrat, et quidem ex primis Logicae principiis acutissimus Vasquesius in prima 2. disput. 62. art. 10. Retineatur ergo vulgata, et communis distinctio, modo illud caveatur, ne in commentitia quadam judicii practici ratione viam quamdam nobis apertam existimemus ad ea agenda, quae constanti rationis judicio illicita esse deprehenduntur. Atque haec attigisse hoc loco satis sit, quae ex dicendis multo clariora evadent.

ARTICULUS II.

De Synderesi.

Synderesis ex vi graeci vocabuli dicitur quasi observatrix principiorum, vel conservatrix, quibus in agendis ratio dirigitur. De hac disputat S. Thomas prima parte quae-

st. 79. art. 12., et quaest. 16. de veritate. Inquirit autem utrum sit potentia, an habitus, remque in hunc fere modum perspicue explicat. Omnis ratiocinatio ab aliqua veritate perspecta per se se, ac naturaliter nota tamquam ab immoto quodam principio proficiscitur, atque progreditur. Porro, ut ratio speculativa indiget principiis quibusdam naturaliter inditis, qualia sunt haec effata: *totum est majus sua parte etc.*, quibus progrediatur in rerum consideratione; sic ratio practica, quae ratiocinatur de agendis, informata esse debet principiis quibusdam generaliter inditis, ex quorum cognitione ratiocinando eruat quid sit quocumque loco, et tempore agendum. « Oportet autem hanc cognitionem habitua« lem esse, ut in promptu existat ea uti, quum fuerit ne« cesse. » Ex quo efficitur eam non esse per se facultatem quamdam animi ab aliis distinctam, sed habitum rationi naturaliter insitum, sicut habitus naturalis consetur intellectus primorum principiorum in speculativis. Talis autem intellectus tam in speculativis, quam in practicis censetur potius habitus, quam potentia, quia potentia rationalis se habet ad opposita: intellectus vero primorum principiorum in speculativis est in verum directus, in practicis ad bonum. Unde concludit S. Thomas: « Restat igitur, ut hoc nomen Syn« deresis vel nominet absolute habitum naturalem similem « habitui principiorum, vel nominet ipsam potentiam ratio« nis cum tali habitu. Et quodcumque hoc fuerit, non mul« tum differt, quia hoc non facit dubitationem, nisi circa « nominis significationem. » Definitur ergo Synderesis habitus naturalis practicus, quo prima rerum agendarum principia cognoscimus.

Hinc primo duo constituuntur munera Synderesis, nimirum incitare ad bonum, et refragari malo, quippe Synderesis servat, mentique subjicit regulas, ac principia generalia bene, et honeste vivendi: unde homines ad virtutis amorem incenduntur: atque ipsi flagitiosi homines redarguuntur, atque a vitiis deterrentur.

Hinc secundo Synderesis numquam extinguitur simpliciter, tametsi in nonnullis ex parte obscuretur, vel, ut ajunt, extinguatur secundum quid. Nam si spectatur habitus ipse Synderesis, numquam penitus obrui potest lumen illud animae insitum, quod unicuique paulisper se colligenti manifestum facit honesta sectanda esse, turpia fugienda. Quod vero

attinet ad actum, duplici ratione intelligi potest Synderesim extingui: vel quod ejus lumen intercipiatur, ut iis evenit, qui rationis usu privantur: vel quod in aliquo actu in malum synderesis detorqueatur: sed hoc pacto numquam fieri potest, ut erret judicium universale synderesis, neque enim in principia agendi magis error obrepere potest, quam in prima principia cognoscendi. Quod ergo quotiescumque quis peccat, judicium, et electio detorqueatur in malum, non ex eo evenit, quod secundum se depravetur judicium universale sinderesis, sed quod in eligendo non applicetur hoc judicium ad peculiares actus. Quapropter in tali actu dicitur secundum quid tantum synderesis extingui, non simpliciter. Neque obstat, quod videatur in haereticis extincta prorsus synderesis, eo quod non refragetur eorum infidelitati. Quod enim non refragetur, non ex eo est, quod sit extincta, sed propter errorem, quod impeditur illius applicatio. Manet quippe in haereticis judicium universale synderesis demonstrans malum esse non iis credere, quae a Deo revelantur: sed in eo errant, quod non credunt ea, quibus propter suam infidelitatem dissentiunt, fuisse a Deo revelata.

Synderesis designat D. Basilius, ejusque vim, officiumque describit hom. in principium Proverb. num. 9. « Quum « naturalem habeamus, inquit, in nobis vim dijudicatricem « (quam graece Criterion physicon appellat) qua bona a « malis secernimus; necesse nobis est in iis, quae agenda « sunt, eligendis recte quasque res discernere, et quasi « judicem aliquem, qui aequabili, ac justissimo animo de « contrariis judicet, tum virtuti obsecundare, tum vitium « condemnare. »

Praeclare quoque S. Augustinus lib. 2. de lib. Arbitr. cap. 10. practica illa principia, quae continentur in synderesi. « Constituit esse tamquam regulas, et quaedam lumina « virtutum, et vera, et incommutabilia, et sive singula, sive « omia communiter adesse ad contemplandum eis, qui haec « valent, sua quisque mente, ac ratione conspicere. » Talia sunt, quae recenset: « Juste esse vivendum, deteriora melio« ribus esse subdenda: propria suis quibusque tribuenda: « item: Incorruptum melius esse corrupto, aeternum tem« porali, inviolabile violabili: eum: tam vitam, quae nul« lis adversantibus de certa, et honesta sententia demove« tur, meliorem, quam ea, quae facile incommodis tempo-

« ralibus frangitur atque subvertitur. » Demum ostendit neminem posse aut juste vivere, aut prudenter eligere, aut sapienter agere, qui non se convertat ad eas regulas, et lumina virtutum, atque ex illis vitam gubernet, electionem dirigat, actiones moderetur. Ex quo patet, quemadmodum, auctore Augustino, ex principiis synderesis duci debeat judicium conscientiae in singularibus actionibns, ut rectum, prudens, ac justum merito conseatur. Scilicet: « Opera est sedulo danda » quemadmodum monet Basilius hom. laudata numer. 10. « ut intus in abdito cogitationum foro recta de « rebus judicia feramus, habeamusque mentem trutinae si« milem, quae citra inclinationem ullam agenda quaeque « appendat; detque victoriam legi Dei contra peccatum: » Jam ergo de recto conscientiae judicio agendum.

CAPUT II.

De vertiate judicii propria rectae conscientiae.

Conscientiam rectam esse, quae conformis est appetitui recto, appetitum autem rectum esse, qui sequitur rationem rectam, communiter theologi docent, neque in eo quidquam dubitationis esse potest. Practicam vero rationem a speculativa distinguunt, ajuntque speculativam rationem tum rectam esse, quum apprehendit rem, sicut existit. « Practica autem « ratio, ut Silvius docet, tunc dicitur recta, quando sequi« tur regulas ad rectam operationem dirigentes, sive quando « ita judicat, ac proponit, quomodo vir prudens hic, et « nunc faceret attentis praesentibus circumstantiis; » atque hanc distinctionem bene observandam esse jubet, « quia, « inquit, non raro contingit rationem practicam esse rectam, « etiam si speculativa sit erronea; quemadmodum accidit in « facto Jacob accedentis ad Liam, quam invincibiliter, et « inculpabiliter existimabat suam esse uxorem. » Quin etiam nonnulli appetitum rectum cum intentione boni operis efficiendi veluti confundentes, ejus vim adeo amplificant, ut, si quis exempli caussa errore invincibili ductus existimat honestum esse mentiri ob Religionis bonum, velint actum ejus Religionis gratia mentiri volentis esse aliquo modo bonum, ac honestum, videlicet secundum affectum, et intentionem finis. Alii vero contendunt quidquid legi Dei adversatur,

nulla bona intentione honestari unquam posse, nec propterea rectam esse conscientiam, quae dictat aliquid esse faciendum, quod in se revera est legi contrarium, in hisque rebus, velut in facto Jacob, valere dumtaxat ignorantiam invincibilem ut eximat a culpa, non autem ut actui tribuat ullam bonitatem.

Antequam ad hanc controversiam accedamus, nostramque de recta conscientia sententiam dicamus, illud ante omnia diligenter animadvertendum censemus post D. Thomam, quaest. 17. de Verit. art. 1., in judicio conscientiae, quod nimirum non est aliud, nisi applicatio principiorum synderesis ad opus, sive ad peculiarem quemdam actum, duo intervenire, quae sunt apprime distinguenda. Primo enim oportet, ut cognoscatur actus ipse, vel opus, quae cognitio non pendet ex pricipiis sinderesis, sed haberi potest etiam per sensum. Secundo posteaquam actus ipse secundum se est cognitus, et perceptus, ad eum fit applicatio principiorum synderesis, examinando, utrum talis actus sit conformis regulis morum, nec ne, et consiliando, num sit faciendus, an omittendus. In hoc enim examine, et consilio applicantur, ut inquit D. Thomas, ad actum habitus rationis operativi, scilicet habitus synderesis, et habitus sapientiae, quo perficitur superior ratio; et habitus scientiae, quo perficitur ratio inferior, sive simul omnes applicentur, sive alter eorum tantum.

Hinc in applicatione synderesis ad opus; qua maxime conscientia continetur, duo sunt judicia distinguenda: unum quo quis judicat actionem, sive factam, sive faciendam esse talem, verb. gr. esse furtum, homicidium, adulterium, mendacium, vel contra: alterum judicium est, quo quis actionem cognitam ut talem, verb. gr. ut mendacium, vel adulterium, judicat esse licitam vel illicitam, vel turpem, atque adeo faciendam. Prius judicium non est proprie judicium conscientiae, sed potius judicio conscientiae praesupponitur. Nam, quod ergo simpliciter judicem id, quod respondeo interroganti esse in se verum, et falsum; prout est menti consentaneum, vel contra, per hoc simplex judicium nondum habetur dictamen rationis actum referentis ad regulas morum, eumque honestum, vel pravum judicantis, atque adeo faciendum, vel omittendum. Idem patet in venatore dum judicat animal, quod sibi ante oculos obversatur, et eminus conspicit, esse hominem, vel feram, atque adeo si telum ja-

ciat, futuram occisionem ferae, vel homicidium. Hoc enim judicium est tantummodo de ipso materiali objecto actus, non de ipsius morali bonitate, vel malitia: per illud judicium hoc dumtaxat constituitur actum esse verb. gr. furtum, vel non furtum, mendacium, vel non mendacium, adulterium, vel non adulterium, prout objectum actus putatur esse res aliena, vel propria, vel quae respondetur esse verum, aut falsum, vel mulierem, ad quam quis accedit, esse suam aut non suam. Sed nondum judicatur actum, qui versatur circa objectum putatum, esse convenientem, vel repugnantem regulis morum, atque adeo faciendum, vel non faciendum. Quod proprie judicium est conscientiae, quae applicando praecepta morum ad actum, dictat actum esse bonum vel malum, faciendum, vel non faciendum. Pertinet quidem ad regulas morum, quod quis antequam agat, diligentiam adhibeat ad explorandam naturam, et conditionem objecti, circa quod actio versatur: sic venator volens telum jacere in animal, quod eminus conspicit, tenetur quidem omni diligentia explorare num homo sit, an fera: sed quod quis simpliciter judicet hoc animal esse hominem, vel feram, id judicium per se nec est conforme, nec repugnans regulis morum, atque adeo non est per se, et proprie judicium conscientiae, sed tantummodo judicio conscientiae praesupponitur.

Aliud est ergo judicium, quod fertur de conditione objecti, et specie actus; aliud est scilicet judicare talem actum non esse putatur, aliud est judicare mendacium ex aliqua circumstantia bonum esse: aliud judicare talem actum non esse adulterium, quia putat quis accedere ad suam, aliud judicare adulterium liberandi conjugis caussa licitum fieri. Quum ergo ex duplici capite error obrepere possint in applicatione synderesis ad actum ex D. Thoma quaest. 17. de verit. art. 2. ad 1. *Vel propter errorem particularis assumptae, vel propter indebitum ratiocinandi modum*, non eodem loco uterque est error habendus. Nam error particularis assumptae, quo quis citra culpam putat se verum dicere, quum falsum dicit, aut se jacere telum contra feram, quando illud jacit contra hominem; ille error per se non adversatur principiis synderesis. Haec enim propositio: *Animal quod nunc video est homo*, certe minime continetur in principiis synderesis. At vero error, qui obrepit per falsam ra-

tiocinationem, quo nempe quis putat licitum esse mentiri religionis caussa, vel occidere puerum baptizatum, ne a parentibus infidelibus subvertatur, hic error adversatur principiis sapientiae, et scientiae, quae continentur in synderesi. Uno verbo (quod est bene attendendum) primus error tollit cognitionem actus: per secundum vero errorem pervertitur judicium de moralitate actus.

Ut ergo nostram sententiam breviter exponere incipiamus, nobis videtur errorem particularis assumptae, quo nempe tollitur ipsa cognitio actus, vel operis faciendi, si est absolute involuntarius, et inculpabilis, eum rectae conscientiae minime officere: contra vero errorem, quo actus cognitus, ut in certa specie constitutus, velut homicidii, vel mendacii, putatur esse licitus, quum revera est regulis morum repugnans, errorem scilicet, quod actui cognito in sua specie male applicantur regulae morum, cum recta conscientia nullo pacto posse consistere: atque adeo, si error ille est involuntarius, et inculpabilis, eximere quidem a peccato eum, qui operatur ex errore invincibili, non autem actum ejus bonum efficere. Itaque primae sententiae defensoribus facile concedimus, eum, qui adorat hostiam, quam publice videt expositam, atque per ignorantiam invincibilem nescit non esse consecratam, eum agere ex conscientia recta, ejusque actum esse bonum, et laudabilem; eo quod propter illam ignorantiam invincibilem tollitur cognitio panis, et putatur Christus sub panis speciebus latere; unde tollitur cognitio cultus exhibiti pani, et hostiae cultus sibi rapraesentatur, et proponitur ut cultus Christi. Hoc porro judicium, quo quis putat Christum latere sub hostia publice exposita, si spectetur secundum se, et prout abstrahit ab omni adoratione, hoc certe judicium licet in eo casu revera falsum, per se nec est conforme, nec difforme regulis morum. Prout vero ad tale judicium accedit rationis dictamen praescribentis cultum exhibendum esse Christo latenti sub speciebus panis, quotiescumque illae proponuntur adorandae, tale dictamen est prorsus conforme regulis morum; et in hoc dictamine consistit judicium conscientiae. Ergo in eo casu judicium, quod est proprium conscientiae, omnino rectum est. Ex alia parte judicium, quo qui credit inculpabiliter hostiam esse consecratam, secundum se spectatum, et prout antecedit dictamen conscientiae de adoratione, nec est conforme, nec

difforme regulis morum. Igitur ex eo nil pravitatis moralis redundare potest in judicium conscientiae, quae in eo casu dictat Christum sub speciebus, quae se se offerunt, esse adorandum.

Simul vero cum alterius sententiae propugnatoribus omnino censemus errorem, qui obrepit per indebitam applicationem principiorum synderesis, quo quis putat ex gr. mendacium religionis caussa bonum esse, non posse cum recta conscientia consistere, quod sic perpicue probari posse videtur. Ille error non potest cum recta conscientia consistere, quo pervertitur ipsum judicium conscientiae. Atqui judicium conscientiae pervertitur per errorem, quo putatur id esse licitum, quod est contrarium principiis scientiae, et sapientiae, quae continentur in Synderesi. Ergo talis error nequit cum recta conscientia consistere. Prob. min. judicium, quod procedit ex principiis cujuscumque habitus, tunc rectum est, quando recte ducitur ex iisdem principiis; tunc vero pervertitur, quum ex illis perperam concludit. Atqui judicium conscientiae procedit ex principiis synderesis, et, ut habet D. Thomas quaest. 17. de Verit. art. 1. *Actus conscientiae procedit ex habitu sapientiae, et scientiae*, prout nempe pertinent ad synderesim. Ergo per errorem, qui adversatur ejusmodi principiis, pervertitur judicium conscientiae.

Deinde a D. Damasceno lib. 4. cap. 11. Conscientia dicitur esse lex intellectus nostri; cujus dicti hanc rationem affert D. Thomas loco laudato: *Quia*, scilicet, *est judicium rationis ex lege naturali deductum.* Ergo ex D. Thoma conscientia est lex, et consequentur conscientia est recta, quatenus est judicium rationis ex lege naturali ductum. Atqui judicium, quo quis putat honestum esse mendacium alia de caussa, non est judicium rationis ex lege naturali deductum. Ergo etc.

Tertio insuper idem S. Damascenus ibidem ait « sicut « fomes est per immissionem a daemone, ita conscientia « per immissionem a Deo. » Ubi manifeste loquitur de conscientia recta. Hunc vero locum sic explicat S. Thomas loco citato ad 6. « Quum conscientia sit proveniens ex habitu « naturali ipsius synderesis, dicitur conscientia ex divina « immissione esse per modum, quo omnis cognitio veritatis, « quae est in nobis, dicitur esse a Deo, a quo principio« rum primorum nostrae naturae est indita. » Igitur con-

scientia recta, de qua hic est sermo, provenit ex habitu synderesis, quemadmodum omnis cognitio veritatis provenit ex primis principiis, vel quatenus ipsa naturaliter noscuntur, vel quatenus aliae veritates ex iis ducuntur, et secundum hunc modum conscientia recta, et cognitio veritatis dicitur esse immissa a Deo. Ergo ille, qui falso concludit ex principiis synderesis, dici nequit habere conscientiam immissam a Deo, nec propterea conscientiam rectam habere.

Quarto insuper sententia nostra, et discrimen constitutum inter errorem, qui solum tollit cognitionem operis, et eum, qui aversatur dictamini vero rationis de operis honestate, vel pravitate, quod attinet ad rectitudinem conscientiae, egregie illustrari posse videtur ex doctrina D. Thomae eadem quaest. art. 2. ad 6. Eo articulo demonstrat quemadmodum conscientia errare possit. Sibi autem objecerat in judicio Divino testem futuram uniuscujusque conscientiam: quum autem in omni judicio stetur dicto testium, et judicium Divinum falli nequeat, nec ipsa videtur conscientia, quae testis futura est in Divino judicio, errare. Respondet autem in hunc modum: « Dicendum, quod in judicio statur « dicto testium, quando dicta testium non possunt per alia « manifesta indicia argui falsitatis; in eo autem, qui in con« scientia errat, testium conscientia arguitur falsitatis ex « ipso dictamine synderesis: et sic non stabitur dicto con« scientiae errantis in Divino judicio, sed magis dictamini « legis naturalis. » Igitur ex D. Thoma tum est conscientia errans, cujus dicto non stabitur in Divino judicio, quum testimonium conscientiae argui potest per dictamen legis naturalis. Neque dicas D. Thomam requirere praeterea, ut error iste argui possit per manifesta indicia, caveasque inde concludere, quum haec manifesta indicia praesto non adsint ei, cujus conscientia inculpabiliter falsa est, propterea ejus conscientiam non esse practice errantem. Nam hoc penitus alienum est a mente D. Thomae: loquitur enim ibi D. Thomas de manifestis indiciis falsitatis, non quae actu nota sunt erranti, sed quae patescent in Divino judicio. Nam qui habet conscientiam falsam de honestate mendacii religionis caussa, si haberet manifesta indicia falsitatis sui judicii, non putaret honestum esse mentiri religionis caussa, nec adeo ejus esset errans conscientia. Sed licet non illi nota sint actu indicia suae falsitatis, haec indicia manifesta fient in Divino

judicio per manifestam oppositionem, qua judicium de honestate mendacii repugnat principiis contentis in synderesi de immutabili honestate veracitatis. Stat ergo generaliter ex D. Thoma conscientiam illam esse errantem, cujus testimonium argui potest falsitatis per principia synderesis.

Jam vero si agitur de errore praecise cadente supra ipsam conditionem operis, ac tollentem cognitionem actus, quae praesupponitur judicio conscientiae, manifestum est talem errorem argui, et convinci non posse per principia synderesis. Nam ille error non potest argui per principia synderesis, qui nulli adversatur principio synderesis: sed quod quis putet animal, quod videt, feram esse, non hominem, hoc judicium per se spectatum nullo principio synderesis adversatur, ut patet. Ergo etc. Equidem si error ille esset vincibilis in occidente hominem loco ferae, redderet conscientiam errantem, et culpabilem, sed non propter falsitatem judicii praecise in se spectati, sed quia praetermisisset adhibere debitam diligentiam, quae omissio, ut patet, argui potest per principium illud synderesis, quod jubet, ne quis exponat se periculo malo agendi, aut temere quidquam, et inconsiderate aggrediatur.

Si vero error tollens cognitionem actus sit prorsus invincibilis, profecto judicium conscientiae illi accedens, dictansque illum actum esse faciendum, qui revera est faciendus, ut proponitur, ac repraesentatur per illum errorem invincibilem, illud judicium conscientiae nullo pacto potest argui falsitatis per principia synderesis. Ergo in illo homine judicium conscientiae non est errans.

Ex alia parte, si falsitas est in ipsa applicatione principiorum synderesis ad actum in ea specie consideratum, sub qua proponitur ipsi agenti, velut si quis putet mendacium cognitum ut mendacium aliqua de caussa honestum esse, manifestum est in eo casu testimonium conscientiae dictantis honestum esse mentiri, falsitatis argui posse per dictamen synderesis, et legis naturalis, cui opponitur. Atqui ex D. Thoma illa est conscientia errans, cujus testimonio minime stabilitur in divino judicio, cujus testimonium argui potest falsitatis per dictamen legis naturalis. Ergo in eo casu conscientia est errans, nec de illius testimonio in divino judicio ratio aliqua futura est.

Nec vero adversarii opponant eximendum esse a culpa,

et poena in divino judicio quisquis per errorem inculpabilem admiserit aliquid in se revera malum, putans id esse bonum. Ergo in judicio divino stabitur testimonio conscientiae inculpabiliter errantis. Ergo D. Thomas intelligendus de testimonio conscientiae errantis, quando per dictamen rationis non solum in se argui potest falsitatis, et insuper potest, qui errat, suum errorem deprehendere, non autem quando error est invincibilis. Ergo ex eo loco non debet generatim concludi, errare practice conscientiam, quoties testimonium ejus de honestate alicujus peculiaris actionis contrarium est in se legi naturali, atque adeo principiis synderesis.

Equidem libenter fatemur eximendum esse a culpa, et poena, quisquis bona intentione aliquid mali fecerit, dum propter invincibilem errorem id bonum esse putabat. Sed ex hoc nil concludere possunt adversarii contra nostram sententiam. Primo enim ipsis probandum incumberet dari posse aliquam ignorantiam invincibilem juris naturalis, quod multi negant. Qua de quaestione pauca ipsi attingimus Tract. de legib. Secundo admissa etiam ignorantia invincibili in his, quae remote pertinent ad jus naturale, prout ex probabiliori sententia vel ipse Natalis Alexander, aliiq. Doctores ab omni sane laxitate alienissimi agnoscunt, adhuc stat conscientiam dictantem faciendum esse ut honestum, quod in se legi Dei est adversum, velut mentiendum esse propter religionem, esse conscientiam practice errantem, non rectam, atque de illa verificari quod ait S. Thomas, ejus testimonio minime standum esse in divino judicio, idque sive falso quod malum est bonum judicet ex errore vincibili, sive ex errore invincibili. Nam si error est vincibilis, fatentur omnes, culpae, et poenae obnoxium futurum in divino judicio, qui mentitus est propter religionem ex testimonio conscientiae dictantis honestum esse hac de caussa mentiri. Si autem error est invincibilis, eximetur quidem ille a culpa, et poena, se non tamen illius conscientiae testimonio stabitur in Divino judicio, nam testimonium illius conscientiae dictabat mendacium, id quod protulit religionis caussa, esse actum bonum, et honestum. In divino porro judicio testimonium illud falsitatis arguetur per dictamen legis naturalis, atque adeo tali actus, etsi non imputabitur ad noxam nomine ignorantiae invincibilis, tamen non habebitur ut bonus, et laude, ac praemio dignus, et ex hoc capite non stabitur testimonio conscientiae dictantis illum fuisse

bonum. Etiamsi ergo admittatur ignorantia invincibilis circa conclusiones remotiores juris naturalis, quam nos non negamus, nihil est caussae, cur detorqueatur doctrina D. Thomae, et ei vis afferatur per exceptiones, quae illam prorsus labefactarent. Generale est principium D. Thomae, conscientiam errantem esse, quae arguetur in divino judicio falsitatis per dictamen legis naturalis: atqui in divino judicio quidquid factum fuerit contra legem aliquam naturalem, patebit fuisse illi legi naturali contrarium, et ideo manifestae falsitatis arguetur quisquis contra senserit. Ergo quodlibet judicium, quo putatur esse rectum, quod est in se legi naturali contratrium, est judicium conscientiae errantis, et quidem errantis practice; quandoquidem illius testimonio in divino judicio non stabitur, ut docet D. Thomas.

Quinto in nostra praeterea sententia ex una parte vitatur circulus vitiosus, quo irretiti tenentur adversarii, quum maxime ex illo extricare se se contendunt, dum rectitudinem intellectus speculativi distinguentes a rectitudine intellectus practici, conscientiam veram practice, et rationem rectam practicam definiunt per conformitatem cum appetitu recto, appetitum autem rectum per conformitatem cum ratione recta practica, circa quam distinctionem recolendus articulus primus capitis superioris: unde patebit veritatem sub ratione veritatis eodem modo esse objectum intellectus practici, atque speculativi: ex alia vero parte luculenter explicare possumus, quemadmodum contingat aliquando, ut error mere speculativus nullam labem adspergat judicio conscientiae, quod rectam rationem sequitur. Error ille mere speculativus is est, qui versatur circa materialem conditionem objecti actus, puta, quo quis existimat objectum, quod habet ante oculos, esse hominem, vel feram. Nam talis error non officit ulli dictamini legis naturalis, sed est error per se mere speculativus. Talis error igitur per se non tollit rationem rectam practicam, siquidem ratio recta practica est, quae ex veris regulis morum veras conclusiones elicit, adeoque pronuntiat bonum quod est bonum, malum quod est malum. Talis igitur error tollit quidem cognitionem actus, sed non pervertit judicium de moralitate actus, nec impedit, quominus recte applicentur principia morum ad actum, qualis per apprehensionem, vel speculativum judicium proponitur.

Nec aliud intendit S. Thomas in illo celebri textu ex

prima 2. quaest. 57. art. 5. ad 3., quem superiore capite ex parte jam expendimus, nunc ex positis principiis ita explicare posse confidimus, ut nil in eo difficultatis remaneat. Eo articulo hanc sibi objectionem proponit S. Thomas, qua probari posse videtur prudentiam non esse virtutem intellectus. « Nam, ut dicitur, virtus intellectus est, qua semper « verum, numquam falsum dicitur; atqui hoc non praestat « prudentia. Non enim humanae conditionis infirmitas pati« tur, ut in consilio capiendo de rebus agendis (quod tamen « est munus prudentiae) numquam erretur: quando quidem « res humanae agendae contingentes sunt, seque aliter habere « possunt. Videtur ergo prudentia non esse virtus intellectus. » Hoc est argumentum, quod sibi opponit S. Thomas, quod, ut clarius intelligatur, meliusque pateat mens sancti doctoris in respondendo, exemplo aliquo est illustrandum. Consultans pater de filii educatione deliberat eum tradere in disciplinam magistri, quem magna adhibita diligentia probum hominem, et peritum existimat: in hac deliberatione, consilio, et judicio, ut pertinente ad prudentiam duo sunt omnino judicia distinguenda, unum quo pater existimat talem hominem esse frugi, et doctum, alterum quo judicat filium tradendum magistro frugi, et docto. Jam vero quum in argumento allato dicitur fieri non posse, ut homo non quandoque erret circa res agendas, utpote contigentes, et quae possunt aliter se habere, apertissime declaratur agi de errore cadente in primum judicium, non in secundum.

Nam primum judicium utpote quod spectat materialem conditionem objecti, est de re contingenti, quae potest aliter se habere: potest enim fieri, ut nec frugi, nec doctus sit magister, quem quis audierit praedicari ut talem ab hominibus alioqui fide dignis. Sed quod attinet ad alterum judicium, quo quis judicat filium tradendum magistro frugi, et docto, tale judicium utpote ductum ex principiis Synderesis non est de re contingenti, quae possit aliter se habere. Ponamus ergo aliquem tradidisse filium magistro nec frugi, nec docto, putans tamen eum esse et frugi, et doctum; audiamusque responsum D. Thomae ad allatum argumentum: « Dicendum « quod verum intellectus practici aliter accipitur, quam ve« rum intellectus speculativi. Nam verum intellectus specu« lativi accipitur per conformitatem intellectus ad rem. Et « quia intellectus non potest infallibiliter conformari rebus

« in contingentibus, sed solum in necessariis, ideo nullus « habitus speculativus contingentium est intellectualis virtus, « sed solum est circa necessaria. » (Hic certe D. Thomas negat aliquam esse virtutem intellectus, quae certo semper attingat verum in rebus contingentibus, quae possunt aliter se habere: adeoque non subesse humanae virtuti, ut homo numquam erret in judiciis, quae feruntur de singularibus contingentibus, idest in judiciis, quae respiciunt materialem conditionem objectorum, quae judicia per se sunt mere speculativa affirmantia rem ita esse, velut talem magistrum esse doctum, et probum.) Pergit porro dicere S. Thoma. « Verum « autem intellectus practici accipitur per conformitatem ad « appetitum rectum: quae quidem conformitas in necessariis « locum non habet, quae voluntate humana non fiunt, sed « solum in contingentibus, quae possunt a nobis fieri, sive sint « agibilia interiora, sive factibilia exteriora; et ideo circa sola « contingentia ponitur virtus intellectus practici, circa factibi- « lia quidem ars, circa agibilia vero prudentia. » Hactenus S. Thomas. Quum ergo in agendis duo judicia interveniant, unum speculativum, quod est de conditione contingenti objectorum, velut talem hominem esse probum; alterum, quod pertinet ad rationem practicam; tradendum esse Filium magistro docto, et frugi: patet S. Thomam ad electionem prudentiae non necessario requirere veritatem, seu conformitatem cum rebus ipsis in eo tantum, quod pertinet ad primum judicium, quod nempe est de re contingenti, et quae potest aliter se habere, minime vero excludere veritatem proprie dictam, seu conformitatem cum lege in judicio, quod est proprium rationis practicae, quodque non est de re contingenti: immo rectitudo appetitus recti pendet ex veritate talis judicii, ut antea vidimus ex S. Doctore. Igitur quod quis judicans tradendum esse filium magistro frugi, eum tradat viro, quem errore inculpabili putat esse talem, in ea electione habebitur veritas rationis practicae, quam non labefactabit falsitas speculativa, ut satis constare potest ex superius dictis, et quo posito facile conciliantur dicta omnia S. Doctoris.

Atque hoc illustrari potest comparatione instituta inter artem, et prudentiam, quas conjungit eo loco S. Thomas. Ponatur statuarius, qui efficiat statuam ex marmore, in eaque facienda servet accuratissime regulas artis, tumque se

prodat vitium aliquod occultum in marmore; profecto vitiosa dici quidem poterit statua, sed non poterit dici vitiosa effectio statuarii, quia marmori sibi dato accurate applicuit regulas suae artis: vitiosa vero merito diceretur effectio statuarii, si quid contra regulas peccasset in secando, vel poliendo marmore. Pari jure, quod quis judicet tradendum filium viro, qui sibi per inculpabilem errorem proponitur, et repraesentatur vir frugi, et doctus, dici quidem potest opus materialiter spectatum non esse bonum, sed vitiosa dici non potest actio ipsa tradendi; quia homo ad objectum ut sibi propositum, recte applicuit principia Synderesis. Atque in hoc casu eodem modo se habet effectio ad artefactum, quod attinet ad regulas artis, ut se habet actio ad opus materialiter spectatum, quod attinet ad regulas prudentiae.

Sexto denique dubitari non potest, quin veritas, aut falsitas judicii conscientiae pertineat ad perfectionem, vel malum intellectus practici. Atqui ex D. Thoma 2. 2. quaest. 60. art. 4. ad 2. *Ipsi homini judicanti falsum*, (judicio scilicet speculativo, quo v. gr. reputat probum esse quemquam, qui revera malus est) *judicium, quo bene judicat de alio, non pertinet ad malum intellectus ipsius: sicut nec ad ejus perfectionem pertinet secundum se cognoscere veritatem singularium contingentium.* Suffragari demum expresse videtur Augustinus ep. 20., alias 131. ad Antonium: tibi prodest ipsam, dili-
« gere bonitatem, quam profecto diligit, qui eum diligit,
« quem credit bonum, sive ille se ita, sive aliter, quam
« creditur, habeat. Unus tantum in hac re cavendus est er-
« ror, ne quisquam non de homine, sed de ipso hominis
« bono aliter sentiat, quam veritas postulat. Tu vero, frater
« dilectissime, qui nullo modo erras credendo, vel sciendo,
« magnum bonum esse libenter Deo, casteque servire, quum
« quemlibet hominem propterea diligis, quod hujus boni par-
« ticipem credis, tecum est fructus tuus, etiamsi ille non
« ita sit. »

Superest, ut duabus difficultatibus respondeamus, quae adversus utramque nostrae sententiae partem hinc inde se offerunt. Nam adversus alteram partem, qua statuimus conscientiam errantem in applicatione principiorum Synderesis, errores se tenente ex parte ipsius applicationis, numquam rectam esse, nec bonam actionem efficere posse, objicitur er-

rorem illum, quando est invincibilis, nullo pacto esse voluntarium, nec malam reddere actionem: aliunde vero aequum videtur, prout procedit ex bono affectu, et laudabili intentione voluntaria, ad laudem, et meritum imputetur agenti. Non posset autem esse bona, et laudabilis, nisi conscientia recta esset practice. Ergo etc.

Huic argumento respondeo cum D. Thoma 1. 2. quaest. 19. art. 8. ad 2. *Solam bonitatem intentionis non esse totam caussam bonae voluntatis*, et ut ait ad 3. *Sola malitia intentionis sufficit quidem ad malitiam voluntatis, sed non est eadem ratio de bonitate.* Idque ob eam caussam, quam affert art. 7. ad 3. « Malum contingit ex singularibus defectibus, bonum « autem ex tota, et integra caussa. Unde sive voluntas sit « ejus, quod est secundum se malum sub ratione boni, sive « sit boni sub ratione mali, semper voluntas erit mala; sed « ad hoc quod sit voluntas bona, requiritur quod sit boni « sub ratione boni, idest quod velit bonum, et propter bo« num. » Ità D. Thomas. Porro voluntas ejus, qui vult mendacium proferre propter bonum finem, est voluntas talis rei, quae secundum se est mala, licet sub ratione boni. Hoc autem non satis est, ut voluntas sit bona ex tota, et integra caussa, unde nec satis est ad efficiendam conscientiam practice rectam.

Hinc porro emergit altera difficultàs adversus primam partem nostrae sententiae, qua dicimus errorem invincibilem, qui in applicatione Synderesis ad opus se tenet non ex parte ipsius applicationis, sed tantummodo ex parte operis, non officere conscientiae rectae. Nam hic error est etiam unus ex singularibus defectibus in actionem irrepens. Ergo si malum ex quocumque defectu, actio ex tali judicio conscientiae profecta non erit bona, nec adeo recta conscientia.

Resp. Verum quidem esse illud axioma, quo dicitur bonum ex integra caussa, malum ex quocumque defectu sed intelligendum esse de defectu pertinente ad idem genus, et ordinem bonitatis, vel malitiae. Porro error invincibilis de conditione materiali objecti est per se defectus mere physicus cognitionis ex se speculativae, nec est per se contra dictamen rationis, aut legis naturalis: unde tali defectu posito adhuc voluntas potest esse bona ratione boni, seu velle bonum propter bonum, atque adeo bona esse ex integra caussa ad moralitatem pertinente. Enim vero qui tribuit eleemosynam pro-

pter Deum homini, qui sibi videtur vere indigens per errorem inculpabilem, ille homo vult reapse id, quod est in se bonum, nimirum sublevare pauperem; vult enim actum, ut sibi proponitur. et actus ut sibi proponitur ex objecto formali est bonus. Revera ergo vult id, quod est in se bonum, et legi naturali conforme. Hoc porro etiam vult sub ratione boni, nimirum ex bona intentione: illius ergo voluntas est bona, et ratione boni, atque adeo per D. Thomam bona ex integra caussa. Quod autem per errorem inculpabilem visus ei fuerit pauper, qui dives erat, improbus, et scelestus, hic est defectus pure physicus cognitionis nullo modo per se adversus regulis morum. Nam quod quis simpliciter judicet aliquem esse pauperem, vel divitem, hoc judicium per se est pure speculativum, potestque dici speculative verum, aut falsum, non autem moraliter bonum, vel malum.

CAPUT III.

Conscientiae rectae uberior explicatio.

Superiorem sermonem habuimus, quo removerentur ambiguitates illae plurimae, quae viris alioquin minime indoctis illudere quandoque videntur in constituenda notione veritatis practicae, qua certe praeditum esse oportet judicium conscientiae, ut jure, ac merito rectum censeatur. Nobis certe visum est in hac quaestione rectae conscientiae non posse disputationem recte procedere, nisi in ipsa applicatione scientiae ad opus: in qua conscientia consistit, probe distinguerentur ea, quae pertinent ad conditionem operis, cujus cognitio praerequiritur, antequam ad ipsum ea fieri possit applicatio scientiae, et ea quae directe pertinent ad ipsam applicationem, in qua proprie situm est judicium conscientiae: ex quo facile pateret omnem errorem in applicatione scientiae ad opus, pertinentem ad ipsam applicationem, seu se tenentem ex parte applicationis, omnino pervertere judicium conscientiae, esseque proinde errorem practicum, quem secum pati non potest recta conscientia. Contra vero non omnem errorem in his, quae praerequiruntur quidem judicio conscientiae, sed tamen ipsum judicium proprie non constituunt, velut est ipsa cognitio actus pervertere judicium conscientiae, quod consequitur, sed talem errorem, si quidem

est invincibilis, mere speculativum censendum esse, nec ipsam rationem practicam attingere. In qua constituenda distinctione paulo longiore oratione utendum fuit, qua praecipuas difficultates explicaremus, quae ex utraque parte se offerunt. Nunc, quod caput est, rem totam altius repetere juvat, paucisque ostendere, numquam rectum esse posse conscientiae judicium, siquidem in dijudicando quid sit honestum, quid turpe in sua specie consideratum, a principiis contentis in Synderesi, atque adeo ab ipsa rei veritate dissentiat.

PROPOSITIO I.

Recta conscientia petenda est, pèndetque omnino ex conformitate cum aeterna lege tamquam prima, et inviolabili regula omnis bonitatis moralis.

Probatur luculentissimo argumento D. Thomae 1. 2. quaest. 9. art. 4., quod in hunc modum concludi potest. Non aliter pendet bonitas actus a coscientia recta, atque pendeat bonitas voluntatis a ratione recta. Nam conscientia recta revera non est aliud, nisi ratio recta applicata ad opus, et bonitas voluntatis non aliter pendet a ratione, nisi quatenus voluntas in actu sequitur dictamen rectae rationis, quod dictamen applicatum ad singulares actus constituit ipsam rectam conscientiam. Atqui bonitas voluntatis ex D. Thomà non repetitur a ratione nisi quatenus ipsa ratio est conformis legi aeternae. Ergo rectitudo rationis, seu conscientiae, ex qua pendet bonitas actus, omnino repetenda est ex conformitate cum lege aeterna. Minorem vero propositionem sapienter probat D. Thomas hoc pacto. « In caussis ordinatis effectus plus pendet a « caussa prima, quam a caussa secunda, quia caussa secunda « non agit nisi virtute primae caussae. Quod autem humana ratio sit regula voluntatis humanae, ex qua ejus bonitas men- « suretur, habet ex lege aeterna, quae est ratio Divina. » Ex qua proinde tamquam prima caussa omnis rectitudinis, et bonitatis, derivatur omnis rectitudo, et bonitas. Hinc in psalm. 4. dicitur: « Multi dicunt, quis ostendit nobis bona? « Signatum est super nos lumen vultus tui Domine: quasi « diceret: lumen rationis, quod in nobis est, in tantum po- « test nobis ostendere bona, et nostram voluntatem regula-

« re, in quantum est lumen vultus tui, idest a vultu tuo de-« rivatum. » Ergo etc.

Ratio proinde, sive conscientia non est per se ipsam lex, et regula humanorum actuum, sed quatenus ipsam legem aeternam, vel aliam quacumque legem proponit, ut recte notat Vasquez in prima 2. disput. 58. cap. 2. art. 4., atque ut docet S. Thomas quaest. 17. de verit: art. 3, « Eadem « virtus est, qua praeceptum ligat, et qua conscientia li-« gat, quum praeceptum non liget, nisi per virtutem scien-« tiae, nec scientia, nisi per virtutem praecepti. Unde quum « conscientia nihil aliud sit, quam applicatio notitiae ad a-« ctum, constat, quod conscientia ligare dicitur vi praece-« pti divini. „

PROPOSITIO II.

Coscientia dictans quomodocumque aliquid tamquam bonum, aut licitum esse faciendum, quod in se revera est, et ex objecto malum, et illicitum, numquam recta est.

Prob. Bonitas voluntatis dependet a ratione eo modo, quo dependet ab objecto. Ita docet S. Thomas prima 2. quaest. 19. art. 3., et ratio a priori est, quam attingit Vasquez in eum locum, quod quum voluntas non possit discernere bonum a malo, non potest esse regula sui ipsius, sed regula ejus debet esse facultas illa, quae bonum, et malum discernere potest. Quae facultas, nimirum ratio recte procedit, quum revera bonum a malo discernit, et bonum amplectendum, malum fugiendum voluntati proponit. Quum ergo ex objectis, quae discernit, rectitudinem suam accipiat facultas illa discernendi, quae est regula voluntatis patet bonitatem voluntatis dependere a ratione eo modo, quo dependet ac objecto. Sed si actus ex objecto malus quomodocumque bonus evadere posset vi conscientiae dictantis illud esse bonum, jam bonitas actus, atque adeo voluntatis non dependeret a ratione eodem modo, quo dependet ab objecto. Nam actus prout ad rationem practicam relatus diceretur bonus, et malus diceretur relatus ad suum objectum.Ergo alio modo penderet bonitas a ratione practica, seu conscientia, quam ab objecto. Sed hoc falsum est ex D. Thoma. Ergo etc.

Hinc bene constat ordo inter regulas bonitatis. Voluntas illa est vere bona, quae amplectitur quod est vere bonum, ratio igitur est regula bonitatis in voluntate, quatenus bene discernit, ac proponit quod vere bonum est. Objectum autem est vere bonum, quod revera est conforme legi aeternae. Porro ratio proponens tamquam bonum, quod revera ex objecto suo formali conforme est legi aeternae, est ipsa quoque legi aeternae conformis, atque adeo dirigere voluntatem vi legis aeternae intelligitur.

Hinc vero etiam praecludi videtur inane commentum eorum, qui legem quamdam Dei secundariam, sive obligantem, sive permissivam, nulla tamen auctoritate promulgarunt, vi cujus secundariae legis posito errore invincibili de honestate actus per se mali, actus ille bonus fieret, licet, utpote per se malus, legi Dei primariae repugnet. Et sane haec secundaria lex, quum non sit praeceptum quoddam positivum, non potest esse, nisi lex ipsa aeterna, quae est ratio Dei. Jam si vi hujus legis honestum efficitur, quod est per se malum, idque propter conformitatem ad conscientiam invincibiliter errantem, ipsa conscientia invincibiliter errans erit prima regula bonitatis moralis, quandoquidem lex, seu ratio Dei secundaria, ut isti volunt, debet approbare, et revera approbat quod est in se malum, modo sit conforme conscientiae invincibiliter erranti. Ex quo fit, ut mirabili quadam rerum conversione ratio humana evadat prima regula bonitatis, ratio divina autem in bono, et malo judicando dictamen sequatur humanae rationis errantis. Evadit, inquam, certe humana ratio prima regula bonitatis, ratio divina autem in bono, et malo judicando dictamen sequatur humanae rationis errantis. Evadit, inquam, certe humana ratio prima regula bonitatis moralis. Nam, licet reclamat divina ratio, seu lex aeterna primaria, qua furtum, qua mendacium incommutabili judicio aeternae veritatis mala declarantur, tamen, si humana ratio per quoddam dictamen invincibiliter errans apprehendat tamquam bonum, quod aeterna veritas malum dicit, tum divina ratio, quasi se ipsam emendans suaeque aeternae veritatis oblita accommodat se judicio rationis humanae errantis, atque furtum, et mendacium honestat. Unde quod humana ratio discordet ab aeterna lege primaria, et incommutabili veritate, nil hoc pertinet ad rem, nihilominus constabit bonitas sui actus, si eum judicaverit

bonum; atque in suam caussam pertrahet etiam rationem divinam, seu legem aeternam secundariam. Quod sane videtur esse absurdissimum.

Et quidem, quum hoc principium, quo mutabilis efficitur pro errorum commutatione ipsa regula honestatis, fons mihi esse videatur, et origo perturbationum sane plurimarum, quibus est a nonnullis scriptoribus theologia moralis vexata; uno adhuc argumento est ostendendum, rationem humanam, quomodocumque judicet bonum esse, quod est intrinsece malum, taleque declaratur ad lumen aeternae veritatis, quae est ratio Dei, et lex aeterna, et primaria, numquam rectam evadere posse, nec adeo regulam humanarum actionum. Et sane ex superiore doctrina D. Thomae ducta ex psalm. 4., in tantum lumen rationis humanae est regula voluntatis, in quantum ostendit bona, et in tantum ostendit bona, in quantum est lumen vultus Dei, seu ab aeterna veritate derivatum. Atqui impium esset dicere judicium rationis, quo mendacium, et furtum bona esse judicantur, esse lumen vultus Dei, taleque judicium esse ex aeterna veritate derivatum. Ergo per tale dictamen, quod non est lumen vultus Dei, non ostenduntur bona, nec adeo tale dictamen potest, ut inquit D. Thomas, voluntatem nostram regulare, seu dirigere, atque adeo rectam conscientiam existimari.

CAPUT IV.

Utrum, et quemadmodum conscientia errans obligare dicatur.

Conscientia dictat alia esse ex praecepto facienda, vel omittenda, alia vero facienda, vel omittenda tantum ex consilio. Et quidem satis constat apud omnes neminem peccare hoc solo, quod citra omnem contemptum non obtemperet conscientiae proponenti ea, quae sunt consilii. Nam omne peccatum in violatione alicujus praecepti positum est. Certum est porro etiam, quicumque agit contra conscientiam rectam dictantem aliquid faciendum, vel omittendum ex praecepto, eum violare praeceptum illud, quod per conscientiam rectam proponitur, atque adeo peccare. Et sane, quum recta conscientia sit regula proxima humanorum actuum legi aeternae, seu primae regulae consentanea, quisquis agit contra

conscientiam rectam, eo ipso agit contra legem aeternam. Una quippe, et eadem est obligatio, quae inducitur per conscientiam, et legem aeternam. Siquidem, ut ait S. Thomas, praeceptum obligat, seu ligat per virtutem scientiae; scientia autem per virtutem praecepti. De conscientia autem errante dum aliquid dictat faciendum, aut omittendum tamquam ex praecepto, quaeritur utrum, et quemadmodum obliget.

PROPOSITIO I.

Quisquis agit contra conscientiam sive vincibiliter, sive invincibiliter errantem, dum dictat aliquid faciendum, vel omittendum tamquam de praecepto, hoc ipso peccat.

Prob. Quandocumque coscientia sive vincibiliter, sive invincibiliter errans dictat aliquid faciendum, vel omittendum tamquam ex praecepto, quisquis agit contra tale dictamen revera intendit transgredi praeceptum per illud dictamen sibi propositum. Nam quo tempore actionem suam legi adversari putat, nihilominus vult eam actionem elicere. Sed quisquis voluntatem gerit, habetque intentionem violandi praecepti, ejus voluntas, et intentio est mala, atque adeo peccat. Nefas est enim velle divinam legem violare. Igitur quisquis agit contra conscientiam quomodocumque errantem, dum dictat aliquid faciendum, vel omittendum tamquam de praecepto, revera hoc ipso peccat.

Prob. sec. Ex Apostolo ad Rom. cap. 14., ubi loquens de fidelibus adhuc infirmis in fide, qui verebantur cibos attingere lege mosayca vetitos, ait: *qui autem discernit* (idest, qui distinguendum putat inter cibum, et cibum, alios quidem licitos, illicitos alios existimans) *si manducaverit damnatus est* (si nempe manducaverit quod putat, vel dubitat, licet falso, illicitum esse manducare.) *Quia non ex fide*; *omne autem, quod non est ex fide peccatum est.* Idest, quia non est ex judicio conscientiae dictantis, aut persuadentis illud esse licitum. Nam fides, seu graece *pistis*, persuasionem etiam significat, unde fidei nomine hoc loco communiter doctores intelligunt judicium conscientiae; ut etiam D. Thomas lect. 3. in hunc locum, qui per pulcherrimam analogiam ostendit quemadmodum fidei nomen ex fide virtute, in conscientiam derivetur, quatenus « id, quod universaliter fide tenemus, puta

« usum ciborum esse licitum, vel illicitum, conscientia ap-« plicat ad opus, quod est factum, vel faciendum » sive generatim quatenus conscientia est applicatio notitiae ductae ex principiis revelatis ad opus secundum definitionem theologiae moralis superius traditam. Quidquid porro non est ex fide, idest, quidquid a judicio conscientiae deflectit, peccatum est.

PROPOSITIO II.

Conscientia errans obligat non simpliciter, et per se, ut conscientia recta, sed per accidens, secundum quid, et sub conditione, quatenus perseverante conscientia errante peccat, qui agit contra ejus dictamen.

Propositio est D. Thomae quaest. 17. de Verit. art. 4., ubi posteaquam constituit eum peccare, qui agit contra judicium errantis conscientiae dictantis aliquod esse praeceptum Dei, eo quod ille, *quantum in se est, ex hoc ipso habet voluntatem legem Dei non observandi*, ex hoc primum concludit talem conscientiam obligare: etenim, inquit: « quamvis talis « conscientia, quae est erronea, deponi possit, obligatoria « est; quia transgressor ipsius de necessitate peccatum incur-« rit; » tum expresse docet non eodem modo conscientiam rectam, atque erroneam obligare. « Diversimode tamen, in-« quit, recta conscientia, et erronea ligat, recta quidem li-« gat simpliciter, et per se, erronea autem secundum quid, « et per accidens. Dico autem rectam ligare simpliciter, quia « ligat absolute, et in omnem eventum.... Sed conscientia « erronea non ligat, nisi secundum quid, et sub conditione; « ille enim, cui dictat conscientia, quod teneatur ad forni-« candum, non est obligatus, ut fornicationem sine peccato « dimittere non possit, nisi sub hac conditione, si talis du-« ret conscientia. » (Notandum porro D. Thomam dicere illum, cui conscientia erronea dictat teneri se ad fornicandum, obligari quidem ea conscientia perseverante, ut fornicationem sine peccato dimittere nequeat, non ita tamen, ut bene agat fornicando; ex quo satis patet conscientiam erroneam non obligare instar regulae humanorum actuum.) Pergit porro S. Doctor: « Dico etiam, quod conscientia recta per se ligat, « erronea autem per accidens. Qui enim vult, vel amat unum

« propter alterum, illud quidem, propter quod amat reli-
« quum, per se amat; quod vero propter aliud, quasi per
« accidens.... Ille autem qui conscientiam erroneam habet
« credens eam esse rectam, alias non erraret, nec inhaeret
« conscientiae erroneae, nisi propter rectitudinem, quam in
« ea credit esse; inhaeret quidem per se loquendo conscien-
« tiae rectae, sed erronea quasi per accidens, in quantum
« hanc conscientiam, quam credit esse rectam, contingit esse
« erroneam. Et inde est quod per se loquendo ligatur a con-
« scientia recta, per accidens vero ab erronea. » Intelligitur
« autem ligari per se a conscientia recta eo quod est de jure
« naturali, ut ei, quod praecipit lex, et pro lege aestima-
« tur, obediatur et hoc jus a Deo descendit » ut ait Card.
« Gotti directe proinde, et per se obligatur per judicium hoc
rectae conscientiae dictantis malum esse legem nolle observare.

Prout autem conscientia vincibili, aut invincibili errore tenetur, hoc intercedit discriminis, quod si error est vincibilis, dum conscientia dictat aliquid esse faciendum de praecepto, quod revera malum est, velut mentiendum, aut fornicandum; tum homo peccet, sive pareat conscientiae sive illi reluctetur. Nam si parendo conscientiae mentitur, vel fornicatur, cert peccat, quia quod malum est agit ex errore vincibili, quem deponere potuit, ac debuit: si autem non facit, quod dictat conscientia esse faciendum de praecepto. similiter peccat, quia sic est animo affectus, ut velit legem Dei transgedi.

Neque ex hoc sequitur conjici quemquam in absolutam necessitatem peccandi; quandoquidem errorem, ex quo nascitur peccandi necessitas perseverante illa conscientia, potest, ac debet quisque deponere, utpote vincibilem. Unde talis necessitas peccandi, sive quis faciat, quod conscientia dictat, sive non faciat, est necessitas non absoluta, et antecedens, sed hypothetica, consequens, et in sensu composito. Unde S. Tomas prima 2. quaest. 19. art. 6. ad 3. ait: « Si-
« cut in Syllogisticis uno inconvenienti dato, necesse est alia
« sequi, ita in moralibus uno inconvenienti posito, ex ne-
« cessitate alia sequuntur; sicut supposito, quod aliquis
« quaerat inanem gloriam; sive propter inanem gloriam fa-
« ciat, quod facere tenetur, sive dimittat, semper peccabit,
« nec tamen est perplexus: quia potest intentionem malam
« dimittere. Et similiter supposito errore rationis, vel con-

« scientiae, qui procedit ex ignorantia non excusante, necesse est, quod sequatur malum in voluntate: nec tamen est homo perplexus, quia potest ab errore recedere, quum ignorantia sit vincibilis, et voluntaria. »

Si vero conscientia est invincibiliter errans, quandoquidem pro eo tempore, quo est error invincibilis, non potest eum homo deponere; obligatur ex illa conscientia ad id faciendum, quod ipsa dictat, non directe, et per se, qualis obligatio tantummodo nasci potest ex recta conscientia, utpote regula morum; sed quatenus non potest contra eam conscientiam agere, vel non agere, quin hoc ipso peccet ob voluntatem transgrediendae divinae legis. Licet autem obtemperans conscientiae invincibiliter erranti committat aliquid, quod revera est malum, tamen excusatur a culpa: quia quum error invincibilis sit prorsus involuntarius, non potest ad culpam imputari malum, quod ex eo procedit.

Neque vero ex hoc sequitur aliquem divina lege proprie obligari ad materiale peccati. Quia, ut inquit Card. Gotti, ad malitiam, quae in re est peccatum, et erronee existimatur non esse peccatum, sed praeceptum, Deus non obligat, sed ad formalem rationem; scilicet ad id, quid dictat conscientia recta, idest ad obediendum ei, quod per modum legis proponitur. Hoc enim est de jure naturali, ut ei, quod praecipit lex, et pro lege aestimatur, obediatur, et hoc jus a Deo descendit.

At hic difficultas enascitur ex verbis D. Tomae antea recitatis, nimirum, qui conscientiae erroneae inhaeret propter rectitudinem, quam in ea credit esse, eum inhaerere per se loquendo rectae conscientiae, sed erroneae, quasi per accidens. Si ergo dum inhaeret conscientiae inculpabiter erranti per se dicendus est inhaerere conscientiae rectae, videtur ejus actio ex conscientia recta per se procedere, atque adeo bona esse: verum nihil tale omnino ex his verbis D. Thomae concludi potest. Nam haec verba D. Thomas pronunciat universe de quacumque conscientia errante sive vincibiliter, sive invincibiliter. Et sane: dum quis per conscientiam licet vincibiliter errantem putat esse praeceptum mentiri ad servandos parentes, et propterea mentitur, quia putat Deum jubere, ut ob eam caussam mentiatur, ille durante tali conscientia inhaeret huic conscientiae propter rectitudinem, quam in ea credit esse; atque adeo huic etiam convenit, quod ait S. Tho-

mas, eum inhaerere per se loquendo conscientiae rectae, sed erronae quasi per accidens. Atqui tamen ille certissime peccat, ut omnes consentiunt. Ergo recta esse ratio intelligi non potest ex eo praecise, quod quis inhaerens erroneae conscientiae adhereat per se loquendo conscientiae rectae, erroneae autem quasi per accidens: secus quum id locum habeat etiam in conscientia vincibiliter errante, actus ex tali conscientia profectus non solum non esset culpabilis, verum etiam bonus.

Primum ergo intelligimus hoc principium D. Thomae generatim acceptum, prout complectitur conscientiam sive vincibiliter, sive invincibiliter errantem, nihil afferre per se ipsum, unde sumi possit bonitas actionis. Facile nunc erit intelligere in caussa etiam conscientiae invincibiliter errantis actionem ex tali conscientia profectam vi ejus principii bonam effici non posse. Nam haec bonitas actionis per se malae vel derivaretur ex ipsa invincibilitate erroris, vel ex eo, quod qui erranti conscientiae adhaeret, quam veram putat, adhaeret per se loquendo rectae, per accidens erranti conscientiae. Non ex hoc secundo capite praecise, secus valeret in caussa conscientiae vincibiliter errantis, ut probatum est. Nec vero ex primo: nam invincibilitae erroris intelligitur quidem tamquam principium eximens a culpa, quia nil culpabile, quod non sit voluntarium, sed invincibilitas erroris non est regula bonitatis, nec adeo principium, unde bonitas in actum manare possit. Nec demum ex utroque simul, quia quum hoc principium, quod quis adhaerens erranti, quam putat rectam, adhereat censcientiae rectae per se loquendo, per accidens erroneae, quum, inquam, hoc principium per se, et vi sua spectatum non valeat bonitatem praestare actui, si ei addideris conditionem erroris invincibilis, ex hac conditione principium illud non acquiret vim, quam ipsa non habet, conferendi bonitatem actui. Haec ergo conditio tantummodo impediet effectum, qui oriretur ex errore vincibili, ideoque tantum eximet actum a culpa.

Hinc liquet alienum esse a doctrina D. Thomae argumentum a nobili scriptore ex ea doctrina propositum in hunc modum: « S. Thomas, inquit, quaest. 19. art. 6. expresse dicit idem esse quaerere, an conscientia erronea « excuset, et an voluntas concordans rationi erranti liget, « et consequenter sit bona. » Hoc sane *consequenter* scriptor iste de suo invexit, ac sine probatione, non ex D. Thoma

depromsit: Nam, ut hoc omittamus, eum non satis accurate referre, quae ait D. Thomam expresse dicere, profecto in eo articulo hoc tantum tradit S. Thomas: « Si autem sit « error, qui caussat involuntarium . . . . Tunc talis error « rationis, vel conscientiae excusat, ut voluntas concordans « rationi erranti non sit mala. » Nusquam autem dicit ex eo, quod non sit mala, consequens esse, ut sit bona. Immo sibi objicit, quod est firmissimum fundamentum adversae opinionis: « Voluntas concordans praecepto Dei, et legi ae- « ternae semper est bona: sed lex aeterna, et praeceptum « Dei proponitur nobis per apprehensionem rationis erran- « tis. Ergo voluntas concordans etiam rationi erranti est « bona. » Quod argumentum solvit in hunc modum. « Ad « secundum dicendum, quod lex aeterna errare non potest, « sed ratio humana potest errare, et ideo voluntas concor- « dans rationi humanae non semper est recta, nec semper « est concordans legi aeternae. » Ubi manifeste adstruit voluntatem concordem rationi numquam esse rectam, nisi quum ipsa ratio concordat cum lege aeterna, atque adeo est recta. Nec vero sufficit, quod animus apprehendat ut bonum id, in quod voluntas fertur. Nam licet actus repraesentetur ut bonus, tamen revera ex objecto est malus. Bonum autem ex integra caussa, et malum ex quocumque defectu. « Unde, ut aliquid sit malum, sufficit, sive quod secundum « suam naturam sit malum, sive quod apprehendatur ut « malum. Sed ad hoc, quod sit bonum, requiritur quod « utroque modo sit bonum. » Ita D. Thomas ad primum, quod oppositae sententiae fundamentum prorsus convellit. Ex quo patebit, quam vim habeat argumentum scriptoris memorati, quod concludit hoc pacto: « Adversarii plerumque « concedunt conscientiam invincibiliter errantem excusare a « peccato. Ergo et debent concedere voluntatem concordan- « tem rationi invincibiliter erranti ligare, adeoque esse bo- « nam: » quippe demonstratum est conscientiam errantem invincibiliter omnino excusare, ligare etiam per accidens, et secundum quid non directe, et per se instar regulae morum, nec proinde actionem bonam reddere.

Objicit idem scriptor haec etiam verba: « Similiter S. « Bernardus de praecepto, et disciplina cap. 12., et 17. do- « cet obedientem, vel operantem ex bona intentione operari

« laudabiliter, et meritorie, quamvis forte materialiter ope-
« retur contra legem Dei. »

Extat inter opera D. Bernardi liber de *Praecepto et Dispensatione*, unde quod hic citatur de *Praecepto et Disciplina* forte librarii indiligentiae tribuendum est. Sed, quod facit ad rem, toto capite 17. ejus libri nihil est, quod eam Sententiam referat, quae tribuitur Bernardo cap. 12. « Fatendum omnino, inquit S. Pater, toties Monachum Deo inobedientem esse convinci, quoties ejus, qui pro Deo sibi « praeest, hominis mandatum, quod quidem justitiae non « repugnet, praetergreditur. » Quae sententia certe videtur non favere adversario. Quid quod inter utrumque illud extat cap. 14., quo S. Doctor inquirit. « Cur conscientia errans « non aeque convertat malum in bonum, uti bonum in ma- « lum? » Bernardo scilicet nonnulli Monachi argumentum idem proponebant, quod adversarii instaurant. « Pergitis in- « quirere, cur non e contrario tantum cuique bonum sit, « quod operatur, quantum vel falso opinatur: mirum quip- « pe vobis, immo et injustum videtur, ut plus in malo, « quam in bono humanae valeat intentionis opinio. Si respon- « dero de malis quidem merito ita credi propter oculum ne- « quam: respondebitis et mihi non immerito quoque pro- « pter simplicem oculum idem aeque putandum, et de bo- « nis. » Quid porro respondet S. Pater? « Sed videte, ait, « ne forte non sit vere oculus simplex qui fallitur: enim « tam qui bonum malum, quam qui malum bonum puta- « verit. » Quod quemadmodum sit, aurea prorsus oratione in hunc modum explicat: « Ergo vero ut interior oculus « vere simplex sit, duo illi esse arbitror necessaria, chari- « tatem in intentione, et in electione veritatem. Nam si bo- « num quidem diligat, sed verum non eligat, habet quidem « zelum Dei, sed non secundum scientiam: et nescio que- « madmodum judicio veritatis vera esse possit cum falsitate « simplicitas. » Ex his principiis proclive est colligere quomodo S. Bernardus quaestionem propositam definierit: sed praestat eum audire. « At non ideo sequitur, ut qui e con- « trario malum facit, et bonum putat, juxta suam fidem « similiter, et ipse inveniat. Quare? Non est quippe simplex « oculus ille, qui ex judicio veritatis totum corpus lucidum « reddit, qualem profecto superius definivimus. Neque enim

« ex toto adhuc tenebrae desunt, ubi ignorantia veritatis « lucem obscurat bonae voluntatis. »

Non diffiteor S. Doctorem haec deinceps verba subjicere. « Equidem laude dignam dixerim vel solam piam intentio- « nem, nec plane condigna remuneratione fraudabitur in « opere quoque non bono ipsa bona voluntas. » Sed nisi velis et ipsi capitis inscriptioni, qua ratio reddenda proponitur, cur conscientia errans non vertat de malo in bonum, et toti contextui vim manifestam inferre, liquido constabit D. Bernardum hoc dicere de pia intentione seorsum spectata, et ad quam concomitanter se habeat opus malum juxta ea, quae superius suo loco explicata fuerunt, et sicut patet in Aegyptiis obstetricibus, quarum bona fuit intentio in servandis pueris hebraeorum, licet conjuncta fuerit cum opere malo, nimirum mendacio, quod tamen mendacium propter earum bonam intentionem non bonum evasit, sed fuit revera peccatum, et tantum tollere non potuit bonitatem actus intentionis in servandis hebraeorum pueris. Quaestio est autem utrum actio in se mala vi errantis conscientiae, et bonae intentionis consequentis aliquando bona fieri possit: hoc autem non ait S. Bernardus, immo contrarium statuit, nostramque sententiam confirmat verbis proxime sequentibus: docet enim simplicitatem deceptam non obstante illa bona intentione non futuram sine aliquo malo, et sic pergit. « Cur, « inquit? Numquid non ex fide? Prorsus ex fide, sed falsa. « vel certe potius non ex fide, quia fides falsa fides non « est. Denique de fide vera, non falsa puto dixisse Aposto- « lum, *omne quod non est ex fide peccatum est:* non autem « ex fide vera bonum redditur quod malum est, est enim « falsum, peccatum igitur est. » Ubi etiam apparet nomine fidei, seu conscientiae verae in se conformis est Divinae legi sine ulla distinctione practicae, seu speculativae veritatis, unde concludit. « Sive itaque malum putes bonum, quod forte « agis, sive bonum malum, quod operaris, utrumque pec- « catum est, quia neutrum ex fide, licet sane levius admo- « dum peccetur, ubi sana intentione sola reprehensibilis « actio foris apparet, quam ubi maligna latet etiam in mala « actione intentio. » Quod autem ex ignorantia invincibili eveniat aliquando, ut tale peccatum non imputetur, nec adeo sit formale peccatum, numquam tamen ex constanti dotrina D. Bernardi concludi poterit actionem malam ex conscientia

errante profectam bona intentione bonam fieri. Porro etiam cap. 9. Praelato tamquam Deo esse obediendum docet, in his, quae non sunt manifeste contra Deum, sive contra legem, quam vel ulla authentica scriptura tradiderit, vel manifesta ratio probaverit, sed in eo, quod ita latere, aut obscurum esse cognoscitur, ut in dubium venire possit, utrum ne Deus sic, an aliter velit, sapientiam requirendam de labiis Sacerdotis, et ex ore Angeli Domini. Sed neque in hoc favet S. Bernardus adversariis, nam in dubiis tutius esse obedire praelato manifestum est, in dubiis autem tutiorem partem eligendam ipsi constantissime defendimus. Quamquam etiam eo loco videtur potius S. Doctor loqui de voluntate Dei, non in his, quae pertinent ad praecepta, et in his quae pertinent ad eam perfectionem vitae, ad quam monachi adspirare debent: ex. gr. gustare potest monachus vocari se a Deo ad arctiorem solitudinem, quo tempore ab abbate revocatur ad munera, quibus aliis inserviat: ait enim: « a quo divina potius consilia requirentur, quam ab illo « cui credita est dispensatio mysteriorum Dei? Quod pertinere videtur ad eas vias, et instituta vitae, quibus Deus vult certos homines inhaerere, ut ad perfectionem perveniant, in quibus proinde docet S. Doctor obediendum esse praelato, nisi constet praelatum jubere aliquid contra praecepta Dei. Ceterum quod sit contra praeceptum Dei nusquam bonum esse posse satis ipse indicat Apologia ad Gullielmum Abbatem cap. 5. « An regula non concordat Evangelio, vel Apo« stolo? alioquin regula jam non est regula, quia non « recta. »

CAPUT V.

De quibusdam quaestionibus ad superiorum capitum doctrinam pertinentibus.

Queritur primo, quam grave peccatum sit agere contra conscientiam?

Resp. primo. Si conscientia recta est peccatum erit mortale, aut veniale, prout ipsa conscientia dictat illud esse mortale, aut veniale. Secundo si conscientia est errans, tum vel conscientia dictat esse mortale, quod ex se non est mortale, sed aut nullum est peccatum, aut veniale tantum, at-

que hoc casu qui agit contra conscientiam errantem peccat mortaliter: vel conscientia errans ut veniale dictat, quod nullo modo peccatum est, tumque peccatum non est nisi veniale: vel denique conscientia errans dictat tantum esse veniale peccatum, quod est mortale, tumque aut conscientia errat invincibiliter (quod tamen est admodum difficile, ubi agitur de discrimine constituendo inter mortalem culpam, et venialem:) eoque casu qui agit contra illam conscientiam veniali se culpa obstringit, et a lethali excusatur, aut errat vincibiliter, tumque revera peccat mortaliter, licet agens contra conscientiam putat solum se venialiter peccare, quorum ratio ex superius dictis ita perspicua est, ut uberiori declaratione non indigeat.

Quaeritur secundo, utrum, qui agit quidquam reputans id esse peccatum, sed nesciens mortale, an veniale, aut nihil ad hanc distinctionem advertens, mortaliter, an venialiter peccare sit censendus?

Resp. Generatim loquendo, eum, qui sic agit, reum videri peccati mortalis, quia temere omnino se exponit periculo peccandi mortaliter, velut si quis paratum se ostenderet jurare quidpiam, nihil cogitans verum id sit, nec ne, propter periculum, in quod se conjiceret falsum jurandi, mortalis perjurii reus argueretur. Attamen si agitur de homine sic affecto, qui licet nil expresse cogitet de mortali, aut veniali culpa, nihilominus peccatum, quod committit contra conscientiam, certe non committeret, si mortale illud esse suspicaretur, videtur ex eo, quod agat contra talem conscientiam, nonnisi venialiter peccare, nisi aliunde illud esset peccatum mortale, nec per ignorantiam invincibilem excusaretur, ut superius dictum est.

Quaeritur tertio, utrum sit gravius peccatum agere contra conscientiam errantem, quam contra legem sequendo conscientiam errantem?

Resp. Neutrum per se, ac simpliciter esse alio gravius, sed in subjecta materia majorem, aut minorem alterutrius gravitatem dijudicandam esse; quod duobus propositis exemplis liquido constabit. Itaque si ductus quis conscientia errante mentiri se debere putet servandi hominis caussa, quem aliter incolumem a latrone praestare non potest, seque reum homicidii futurum ni mentiatur, ille profecto gravius peccaret agendo contra conscientiam, quam si mentiens ex dicta-

mine conscientiae in legem offenderet: etenim agendo ex conscientia, et mentiendo reus quidem fit mendacii officiosi, in quo inest venialis culpa: ut si agit contra conscientiam nectit se crimine homicidii, quia non id facit, quod ad illud effugiendum scelus necessarium omnino existimat. Contra si quis pariter ductus conscientia errante putet se teneri saltem sub veniali satis magnam pecuniam furari a divitibus, unde succurrunt indigentibus, plus ille peccabit agendo ex conscientia, quam si ageret contra conscientiam: nam agendo contra conscientiam venialem culpam admittet, quia veniale putat esse non furari diviti, unde succurratur indigenti, verum agendo ex conscientia peccat contra legem sub mortali furtum vetantem, atque adeo mortaliter peccat.

Quaeritur quarto, an plus obliget conscientia errans, quam praeceptum superioris: ex. gr. judicat quis per errorem invalidum se matrimonium contraxisse; superior vero illud ratum judicans praecipit cohabitationem cum uxore, jam quaeritur num teneatur parere dictamini conscientiae errantis, an stare praecepto superioris.

Resp. Quaestionem hanc pertractat S. Thomas quaest. 17. de verit. art. 57. inquiens: « Utrum conscientia in indiffe-« rentibus plus liget, quam praeceptum praelati, vel mi-« nus. » Ideo vero S. Thomas quaestionem instituit in *indifferentibus*, quia si praelatus iniquo mandato vellet quemquam adigere ad aliquod perpetrandum malum, atque ut tale cognitum, omnes consentiunt rectae conscientiae iniquam jussionem detrectanti parendum esse, non iniquo mandato. Dum ergo quaeritur, num conscientia plus, an minus obliget, quam praeceptum superioris, quaestio ad eum revocatur, qui, quod superior jubet, putat ex conscientia errante malum esse, licet in se revera non sit malum, sed indifferens, tale tamen quod superior praecipere potest, et a fortiori si bonum est, ac tale, quod superior id praecipere teneatur.

Quaestionem porro D. Thomas solvit in hunc modum. Conscientia non ligat, nisi vi praecepti Divini, vel secundum legem scriptam, vel secundum legem naturae inditam: comparare igitur ligamen conscientiae ad ligamen, quod est ex praecepto praelati, non esse aliud, quam comparare ligamen praecepti Divini ad ligamen praecepti praelati: unde quum praeceptum Divinum obligat contra praeceptum praelati, et

magis obliget quam praeceptum praelati, conscientiae ligamen erit majus, quam ligamen praecepti praelati, et conscientia ligabit, praecepto praelati in contrarium existente. Tamen hoc diversimode se habet in conscientia recta, et erronea; conscientia enim recta simpliciter quidem, quia ejus obligatio auferri non potest, quum sine peccato deponi non possit talis conscientia: perfecte autem, quia conscientia recta non solum hoc modo ligat, ut ille, qui eam sequitur peccatum non incurrat, sed ut ille, qui eam sequitur, sit immunis a peccato, quantumcumque praeceptum praelati sit in contrarium. Sed conscientia erronea ligat contra praeceptum praelati in indifferentibus secundum quid, et imperfecte: secundum quid, quia non obligat in omnem eventum, sed sub conditione suae durationis, potest enim aliquis, et debet talem conscientiam deponere: imperfecte autem, quia ligat quantum ad hoc, quod ille, qui eam non sequitur, peccatum incurrit, non autem quantum ad hoc, ille, qui eam sequitur peccatum evitet, quum praeceptum praelati est in contrarium, si tamen ad illud indifferens praeceptum praelati obliget; in tali enim casu peccat sive non faciat, quia contra conscientiam agit, sive faciat, quia praelato inobediens est. Magis autem peccat, si non faciat conscientia durante, quod conscientia dictat, quum plus liget, quam praeceptum praelati. Hactenus D. Thomas. Ex quibus D. Thomae principiis haec videntur concludi posse. Primum contra dictatum conscientiae rectae non esse superiori obediendum iniqua praecipienti: prorsus enim constat Deo magis, quam hominibus esse obtemperandum. Quod etiam locum habet, cum praeceptum nititur aliqua praesumptione facti, quae contra veritatem eruitur ex allegatis et probatis, velut si quis sciat matrimonium suum invalidum, nec tamen id probare valeat; quo casu potius detrectanda obedientia, quam violanda lex divina; prout docet etiam S. Thomas. Neque ex eo sequitur subditum id sibi arrogare juris, ut de superioris praecepto judicet, siquidem ob suam conscientiam parere detrectat: nam, ut ait D. Thomas ad 4. « Subditus non habet judicare de praecepto praelati, sed de impletione praecepti, « quae ad ipsum spectat: unusquisque enim tenetur actus « suos examinare ad scientiam, quam a Deo habet, sive « sit naturalis, sive sit acquisita, sive infusa: omnis enim « homo debet secundum rationem agere. »

Secundo in his, quae superior jure suo praecipere aut potest, aut debet, numquam, aut vix numquam fieri posse, ut invincibiliter sit errans conscientia, quae vetat obedire: quare licet perseverante conscientia graviter peccaret subditus obediendo, atque faciendo, quo graviter Deum offendi putat, nihilominus peccat adhuc non obediendo, quatenus non praestat obligationem, qua tenetur, et qua solvi non potest, parendi superiori legitime praecipienti.

Tertio teneri omnino subditum deponere conscientiam illam vincibili errore adstrictam, qua detrectat obedientiam superiori, ne quid fiat contra Deum, ut nimirum ejus vinculo solutus, sine peccato valeat satisfacere obligationi, qua tenetur ei parendi.

Quaeritur proinde quinto, quemadmodum deponenda sit conscientia errans vincibiliter.

Resp. Quum conscientia vincibili errore ideo teneatur, quia debitam quis diligentiam praetermisit, qua ea doceri, et discere potuisset, quae sui sunt muneris, et officii, teneri unumquemque deponere talem conscientiam abhibendo studium diligens, et accuratum, quod in rebus maximi momenti homines cauti maxime, ac providi adhibere solent, putantque omnino adhibendum. Hinc sequitur non temere abjiciendam esse conscientiam dictantem aliquid esse peccatum, nam, nonnisi accurata consideratione, et circumspectione adhibita potest quispiam agnoscere utrum conscientia, quae dictat aliquid esse peccatum, vere, an falso loquatur, unde talem conscientiam sine ratione comprimendo peccandi periculo se exponeret. Temere porro conscientiam non tam deponere, quam comprimere cescendi sunt, primo qui conscientiae intus obmurmurantis judicium non curant, et quod collibitum fuerit nihilominus agunt. Secundo qui a dictamine conscientiae cogitationem avertunt, ut liberius cupiditati satisfaciant: ii enim non tam deponunt conscientiam, quam contemnunt, velut qui affectant ignorare num contractus utilis sit licitus, an illicitus, ne forte, quod sibi non placet, audiant eum esse injustum. Tertio, qui ut suam affectatam ignorantiam colore veluti quodam bonae conscientiae illiniant, doctores consulunt, quos maxime blandos existimant, eodem scilicet animo, et consilio ducti, qui Teste Isaia cap. 30.: « Dicunt aspicientibus: nolite aspicere nobis ea, quae « recta sunt: loquimini nobis placentia. » Quarto qui levis-

simis rationibus commoti conscientiam praecipientem, aut vetantem in oppositam partem detorquent, aut saltem silere cogunt.

QUAESTIO II.

De conscientia dubitante.

CAPUT I.

Quid sit dubium, et quotuplex.

Quid sit dubitatio, et quemadmodum animus adducatur ad dubitandum docet S. Thomas quaest. 14. de verit. art. 1. « Nimirum quum intellectui aliquid affirmandum, aut negandum de re quapiam proponitur, intellectus ipse quandoque non inclinatur magis ad unum, quam ad aliud vel propter defectum moventium, sicut illis problematibus, de quibus rationes non habemus, vel propter apparentem aequalitatem eorum, quae movent ad utramque partem, et ista est dubitantis dispositio, qui fluctuat inter duas partes contradictionis. » Hinc merito communiter dubium definiri solet in hunc fere modum, ut sit actio, vel affectio mentis, qua utraque contradictionis parte spectata anceps haeret, nec uni parti, nec alteri assentiens.

Dubium aliud est juris, aliud est facti. Dubium juris dicitur quod est de obligatione, aut legitima facultate agendi, vel de legitimo valore actus. Dividitur porro in dubium juris mere speculativum, et practicum: mere speculativum vocatur, in quo quaeritur non de actione aliqua ut facienda, utrum nimirum sit licita, nec ne, sed de alio quovis legitimo, quod nimirum ex principiis juris djiudicari debeat: ver. gr. Utrum Baptisma collatum in Christi nomine sine expressa Sanctissimae Trinitatis invocatione sit validum, utrum matrimonium hoc, vel illo pacto initum sit ratum, utrum contractus sine tali, vel tali clausula valeat. Dicuntur haec porro dubia juris, quia ex juris Divini, vel humani principiis sunt illae quaestiones definiendae; dicuntur autem mere speculativa, quia qui quaerit num valeat Baptisma tali ratione collatum, praecise cognoscere intendit quid pertineat ad valorem baptismatis, necdum cogitat, num liceat hoc,

vel illo pacto Baptismum administrare. Dubium vero practicum est, quo directe quaeritur de actione, utrum sit licita nec ne: hoc enim proxime pertinet ad praxim, seu rationem agendi.

Dubium practicum aliud est generale, et abstractum, quod nimirum est de actione generatim, et secundum se spectata, velut si quis dubitet, utrum licitum sit generatim pingere die festo, aliud peculiare, quod etiam practice practicum vocare consueverunt, quod est de actione pro eo tempore exercenda, velut si pictor ad tabellam die festo dubitet num sibi sit licitum manum jam ad pingendum admovere.

Dubium illud generale, et abstractum, quod est de actione generatim, et secundum se spectata, speculativum etiam appellant, sed non satis accurata loquendi ratione, ut superius animadvertimus, recteque Azorius Institutionum moralium lib. 2. cap. 8. « Tametsi prima specie, ait, ad spe« culationem pertinere videatur quaestio, in qua dubitatur, « an quidpiam sit malum, an bonum, peccatum, nec ne, « potius ad actionem spectat, et operandi gratia verius, « quam sciendi ista quaeruntur: nam idem est quaerere an « hoc sit peccatum, quod est, an sit faciendum, an cavendum. »

Omnino vero tenendum, quod ipse communis sensus persuadet, generalis dubii, et peculiaris unam, eamdemque esse rationem, nisi actioni prout exercetur adjungatur aliqua circumstantia, quae non includatur in actione generatim spectata propter quam circumstantiam aliter sit de ipsa statuendum, atque de actione generatim considerata: idque vi alicujus principii generalis, ad quod illius circumstantiae considerátio pertineat. Nam, qui dubius est, an generatim liceat die festo pingere, necesse est etiam dubitet, num hoc die festo, et hoc penicillo, ea hora, qua sedet ad tabellam sibi pingere liceat, nisi adsit peculiaris circumstantia, velut justae necessitatis titulus, propter quam necessitatem certus fiat sibi licitum esse pingere. Verum adjuncta hjusmodi circumstantia certus fit licere sibi pingere vi principii generalis, quo statuitur praecepta positiva cum gravi periculo non obligare: unde haec ipsa judicii pecularis certituo ex illo generali practico principio derivatur. Ceterum dubitationem de actione generatim spectata necessario inducere dubitationem de actione in individuo, prout sub illa specie contine-

tur, tam est evidens, quam, quod convenit speciei, perspicuum est etiam individuis convenire. Quare oppositam sententiam Cajetani, et Navarri merito Vasquesius pronuntiat esse absque fundamento, nihilque momenti habere, disputatione 62. cap. 3., et 67. cap. 1.

Dubium facti dicitur, quo ambigitur an aliquid sit factum nec ne, non quatenus factum obligationem parit aliquid faciendi, sed quatenus ad ipsam obligationem praesupponitur, ver. gr. utrum in administrando baptismate forma servata fuerit, utrum matrimonium valide contractum. Ex tali porro dubio facti, etsi secundum se speculativo enascitur dubium juris practicum, velut an sit baptisma iterandum, an licitus usus Conjugii.

Celebris est insuper dubii partitio in negativum, et positivum, quae plurimas inter theologos controversias excitavit. Negativum dubium esse dicitur, quum deficientibus utrimque momentis, nullo momento in alterutram partem impellitur animus. Ut autem in re, quae primo adspectu plana, et aperta esse videtur, appareat, unde tanta controversiarum moles, et disputationum fluctus existere potuerit, revocandus est animus ad illam antiquam omnium hominum sensu comprehensam, omnium ore celebratam regulam, quae jubet in dubiis tutiorem partem esse eligendam. Hanc regulam sibi molestam senserunt, qui probabilitatem benignae parti faventem studiosius amplificare coeperunt. Itaque nonnulli primum distinguentes inter jus, et factum dixerunt in jure ex gravibus momentis utrimque aequalibus non dubium effici, sed opiniones enasci utrimque probabiles, in quibus proinde locum non babet allata regula, sed liberum est cuique utrum voluerit eligere. Ubi tamen de facto agerentur annuerunt ex aequalibus momentis exoriri dubitationem, atque adeo in solis dubitationibus de facto memoratam regulam concluserunt. Hanc distinctionem propugnasse videtur Joannes Sancius in Selectis, cujus verba refert Joan. de Cardenas Tract. 1. de probabilitate disput. 6. cap. 6. art. 3.: postea vero multi scriptores longius progressi, neque hanc dubitationis facti exceptionem pati voluerunt: itaque quum ipse Cardenas art. 1. suam sententiam proposuisset in hunc modum: « In « quaestione de facto motiva utrimque aequaliter probabilia « relinquunt quaestionem omnino sub dubio, atque adeo non « dant probabilitatem cuilibet parti. » Pergit dicere: « Scio

« communiter auctores contrarium asserere, apud me autem « conclusio tradita est certissima. » Nec post Cardenas oppositum asserere plerique destiterunt: proinde si hos audimus, quum non ex rationum utrimque probabilium conflictu dubium emergat, sed solum ex rationum deficientia, dubium positivum nullum omnino relinquetur, nec aliud remanebit veri nominis dubium, quam quod est negativum.

Alii contra, qui severius, et cautius doctrinam morum tradiderunt, inter quos doctissimi Viri Michael de Elizalde, et Ignatius de Camargo, dubium negativum nescientiam prorsus, et ignorantiam dici volunt, dubiumque proinde, quod vere sit dubium non solum in aequalitate rationum versari, sed ex rationibus dubitandi prodire tantummodo posse defendunt. Sic si cui proponatur num turca nunc dormiat, nec ne, quadoquidem nullae sunt rationes ad alterutram partem moventes, non se dubitare dicet, sed nescire. Dubium vero quum a divo Thoma in 3. dist. 7. art. 4. dicatur « motus rationis « supra utramque partem contradictionis cum formidine de« terminandi alterum », illi ex hac definitione profecti, simulque ex hac Aristotelis doctrina 3. Mataph. cap. 1. nimirum, qui dubitat simile quiddam vinctis pati, qui nimirum exsolvere se se nituntur, atque progredi, nec tamen valent, multa de dubitationis natura, et dubitantis affectu docte sane, et vere, ut videtur, disserunt: dubitationem scilicet praecedit motus quidam animi ad veri cognitionem se se intendentis: nam quum volumus scire, num aliquid sit verum nec ne, versat se animus in utramque partem, sollicitus aliquid elicere, quo veritatem comperiat; quamdiu autem de quaesita veritate non sibi constat, vinctus est quodammodo nodo ipso difficultatis, nec valet progredi ad affirmandum vel negandum, sed suspensus manet, quae est ipsa dubitantis affectio.

Hinc porro animadverto posse hanc dubitantis affectionem non solum in conflictu rationum, sed etiam in earum defectu quandoque reperiri, nec oppositum evincit exemplum superius allatum: nam si de re agitur, cujus cognitionem assequi se posse desperet animus, vel non curet penitus, quemadmodum sit ne par, vel impar numerus arenarum maris, aut nunc dormiat turca, nec ne, in his rebus quidem ignorare simpliciter dicendus erit animus potius quam dubitare, quia nullus est motus ejus, et conatus in utramque partem

ad eruendum verum: at contingere potest, ut problema proponatur, cujus enuntiatum moveat animum ad solutionem quaerendam: fieri etiam potest, ut pro neutra parte contradictionis rationes ullae se offerant: quo posito, quum conatus animi ad veritatem moveat animum ad inquirendum pro utraque parte contradictionis, et propter defectum rationum nequeat adhuc animus alterutri se se adjungere, profecto videtur eo casu ex rationum defectu oriri dubium proprie dictum, idque videtur consentaneum doctrinae D. Thomae initio capitis allatae.

Caterum quidquid sit de tali controversia, quae forte tantum est de nomine, illud omnino retinendum dubitationem omnem complecti conatum animi ad veritatem, eumque impeditum propter difficultatem reperiendi, sive dubitationem fieri, quum conatus animi ad veritatis cognitionem, a sui termini consecutione praepeditur propter difficultatem inveniendi, ex quo illud sequitur, tamdiu manere dubitationem, quamdiu retardatur animus a cognitione veritatis, quam quaerit, atque adeo dubium non tolli nisi per inventionem saltem putatam ipsius veri, atque haec quidem sensu intimo comperta esse possunt unicuique, qui de re aliqua dubitet. His positis aggrediendum jam ad quaestiones, quae de conscientia dubitante institui solent, quas hoc ordine pertractabimus. Primo utrum ex aequalium rationum utrimque probabilium conflictu dubitatio suapte natura enascatur. Secundo utrum in tali conflictu momentorum alia sit conditio quaestionum juris, alia quaestionem facti. Tertio utrum sive in juris, sive in facti quaestionibus tutior sit omnino pars eligenda. Quarto utrum in quibusdam saltem casibus aliae regulae juris in minus tutam partem deflectant. Quinto utrum per reflexa quaedam principia recens in theologiam moralem inducta applicari animus possit ad utramlibet partem contradictionis dubitatione manente, idque ex mero voluntatis imperio, quin occurrat ratio, quae magis in unam, quam in alteram partem inclinet.

CAPUT II.

Utrum ex aequalibus in utramque partem momentis dubium suapte natura exoriatur.

Quaestio est de animi affectione, quam in se quisque explorare potest, saepe etiam explorare tenetur, ne se perperam agendi periculo committat. Quaestio ergo non aptius definiri posse videtur, quam ex communi sensu hominum, tum etiam virorum doctrina, et autoritate praestantium.

PROPOSITIO.

Ex momentis aequalibus in utramque partem, aut fere aequalibus, dubitatio oriatur necesse est.

Prob. primo. Summus philosophus Aristoteles lib. primo Topicorum. cap. 11. « Problemata, inquit, tum ea, de qui« bus sunt syllogismi contrarii, quae scilicet dubitationem « habent, utrum sic se habeant, an secus, propter eaque in « utramque partem sunt rationes probabiles: tum ea, de « quibus rationem non habemus, quum magna sint, et ardua, « putantes difficile esse, ut afferatur ratio, quamobrem ita « sit. » Quibus verbis dubium negativum, et positivum perspicue distinguit, et aperit. Secundo. Dubium ex D. Thoma in 3. dist. 17. *Est contrariarum rationum aequalitas.* Quid clarius, quo demonstraret ex apparente rationum contrariarum aequalitate dubitationem enasci. Tertio ex S. Antonio prima parte summae tit. 3. cap. 1. 8. et 10. « Dubitatio est su« mendo proprie, et stricte dubitationem prout rationes sunt « aeque ponderantes ad utramque partem, nec magis decli« nat quis ad unam partem, quam ad aliam. » Beatus Angelus a Clavasio in Summa. „ Verbo dubium, ait, secundum „ Isidorum lib. ethimologiae, est motus indifferens in utram„ que partem, vel dic, quod dubium est aequalitas ratio„ num contrariarum secundum philosophum. „ Idem docet Silvester verbo *Dubium* in Summa, additque. „ Unde proprie „ homo dubitat de aliquo, vel circa aliquid, quando habet „ rationes ad utramque partem aequaliter, aut quasi aequa-

„ liter moventes. „ Card. Pallavicinas lib. 3. de fide cap. 4. „ Si rationes hinc inde aequales sint, utraque pars contra„ dictionis se habet perinde ac res omnino dubia: dubium „ enim est posito toto complexu rationum hinc inde, an con„ tingat una pars contradictionis, an alia, non minus ac „ dubium est, an Sidera paria sint, an disparia. „ Idem tradunt innumerabiles alii doctores, tantaque consensione, ut ex paullo vetustioribus difficile sit vel unum reperire dissentientem.

Prob. Secundo. Firmissimis rationibus, quas praecipue adversus Caramuelem adfert doctissimus Ioannes de Cardenas Tract. 1. de probabilitate disput. 9. cap. 5. quibus eo libentius hoc capite utimur, quod et plurimum ille ingenii acumine floruerit, et quum inter probabilistas emineat, majoris futura sunt ponderis argumenta ex eo deprompta apud eos, qui, ut probabilismum tueantur, dubium positivum oppugnant. Porro ille ex rationibus utrimque probabilibus dubium emergere probat num. 55. exemplo professoris theologiae incidentis ex. gr. in eam quaestionem, an Sacramenta novae legis physice producant gratiam, inveniensque rationes urgentes pro parte affirmante, et pro parte negante rationes alias satis efficaces, diu haeret ambiguus quam partem sequatur.

Num. vero 65. argumentum adfert dignum Michaele de Elizalde, quo ex hac rationum aequalitate dubium necessario oriri, nec illud, nisi per veritatis inventionem deponi posse manifesta conclusione proclive est colligere: „ licet certi simus, „ inquit, opiniones theologicas gravibus fundamentis innixas „ esse verosimiles: at vero in singulis quae pars sit vera, „ affirmativa ne, an negativa tam saepe dubitamus, ut luci „ evidentis experientiae velit oculos claudere qui negabit: vel, „ si negat Caramuel, decidat mihi in omnibus quaestionibus „ topicis (idest opinabilibus), quae pars sit vera, et erit mihi „ magnus Apollo. Neque dicat se decisurum probabiliter, „ majorem enim vim habet interrogatio mea: postulo enim, „ ut in omnibus, et singulis decidat quae pars sit vera. „ (Animadvertite igitur ex auctore non tolli dubium, quo necessario tenetur animus circa quascumque opiniones theologicas, gravibus fundamentis utrimque nixas, nisi tandem constet, quae vera sit inter duas contradictorias) „ si ergo pro„ positis utrimque rationibus probabilibus pro una opinione, „ et pro opposita, dubitamus, quaenam ex iis pars sit rea-

„ liter vera, fit manifestum, quod stantibus utrimque ratio„ nibus probabilibus potest consistere dubitatio. „ Hactenus Cardenas. Adde non solum posse consistere, verum necessario enasci: nam quamdiu animus sibi conscius est nescire utra pars sit vera, nequit unam affirmare prae altera, secus ipse sibi mentiretur. Nam affirmando unam apud se statueret veram esse, et simul apud se reputaret se nescire utrum vera sit, atque adeo simul mentaliter affirmaret, et non affirmaret quod repugnat. Igitur quamdiu nescit animus, utra vera sit, et nescire non desinit, antea quam invenerit, aut saltem verum invenisse se putet, necesse est eum dubium manere.

Num. 61. „ Intellectus, inquit, in consideratione specu„ lativa rerum etiam practicabilium saepe habet se ad instar „ principis, qui dignitatem aut praemium largitus est dignio„ ri; nam quum audit merita excellentia unius, et res bene „ gestas inclinat ut largiatur illi dignitatem: quum autem „ proponitur alter, de quo similia merita, similes res gestae „ ei narrantur, fluctuat, haesitatque dubius, quemnam ex „ illis eo praemio dignabitur, quousque benevolus affectus in „ alterum eorum inclinat. Sic intellectus magnus veritatis in„ dagator quasi desiderat stare pro meritis majoris verisi„ militudinis: ergo quum similem, et ejusdem meriti verisimilitudinem invenit in rationibus utriusque partis, poterit „ haesitare dubius quousque nova ratio adinveniatur practi„ ca, vel speculativa, vel affectio voluntatis, quae ad assen„ sum alterius partis inclinet.

Num. 63. Ostendit quemadmodum in quaestione an possit quis sine peccato mortali furari tres argenteos cum dimidio, qui haberet rationes probabiles pro parte affirmativa, certissime fieret reus peccati mortalis furando eam summam, nisi opportune occurreret dictamen practicum, *licitum esse in praxi uti opinione probabili.* Nam sublato tali dictamine practico, de quo suo loco plura dicturi sumus, fatetur in homine illo futurum practicum dubium, quod non potest, nisi per tale dictamen excludi. Ergo saltem constat ex rationibus in utramque partem probabilibus enasci dubium; ubi etiam notandum per illud dictamen non tolli dubium de re secundum se spectata, utrum nimirum furtum trium argenteorum cum dimidio gravem injustitiam contineat, nec ne, sed solum securam, ut opinantur probabilistae, reddi conscientiam operan-

tis, ut quidquid sit de rei veritate, de qua necesse est ipsi in tali casu dubitare, tamen certus sit se non peccare, quia utitur opinione probabili. Sed tamen, quod hic unum volumus, certum est dubium directum de rei veritate permanere.

Quod vero attinet ad quaestiones facti profert cap. 4. art. 1. num. 82. ex judicio Salomonis luculentum argumentum, apud quem quum duae Mulieres de filio contenderent, inter adversantia earum testimonia, rex dubius haesit: quippe una dicebat: *Filius meus vivit, et filius tuus mortuus est.* Altera autem respondebat: *Non, sed filius tuus mortuus est, meus autem vivit.* Atqui tamen spectata seorsum de vita filii alterutrius mulieris testificatio magnam sane probabilitatem habet. Igitur in rebus facti ex aequalibus utrimque momentis nascitur dubitatio, quam ut Salomon divinae sapientiae lumine illustratus depelleret, usus est, inquit Cardenas, illa conjectura moraliter evidenti, ex qua morali evidentia collegit veritatem facti.

Profert insuper num. 85. multa jura, multasque juris consultorum sententias, quibus constat rem fieri dubiam, ubi ex utraque parte testes sint aeque idonei, vel ubi contrarii testes numero, et qualitate sint aequales: ex quibus omnibus illud constat, quod propositum est, ex momentis, rationibus, auctoritatibus, probationibus in utramque partem fere aequalibus rem dubiam effici, nec posse animo constare utra pars sit vera, an falsa, sed eum necessario cognoscere, ex quo necessario quoque dubitatio enascitur, aequaliter contingere posse ut vera sit, vel affirmans, vel negans.

Quum autem in hanc rem afferri soleat exemplum judicis, cui sistitur reus homicidii accusatus, duobus testibus idoneis homicidum a reo perpetratum affirmantibus, duobus item testibus aeque idoneis contestantibus reum ab se illo tempore alibi visum fuisse: quo in casu fatentur omnes judicem oportere dubium haerere, nec posse pro libito primis testibus assentiri, ex hoc exemplo labefactandae propositionis allatae praetextum sumere sibi posse nonnulli videatur: ajunt enim testimonium duorum hominum patratam caedem affirmantium eo casu non constituere motivum probabile, quia per aequale testimonium contrarium eliditur. Unde, inquiunt, quum motiva non sint in utramque partem probabilia, quum potius ex neutra parte in illo eventu sint probabilia, non probatur

per id exemplum ex motivis utrimque probabilibus nasci dubium. Sed bene notat Cardenas num. 54. qui sic objiciunt, eos potius versari extra quaestionem: est enim quaestio praesens an inter motiva, quae ex se, et seorsum sunt probabilia, possit intercedere dubium. Porro nemo negaverit duorum hominum nobilium, et probitate spectabilium testimonium vi sua efficere probabile argumentum. Quod autem ex alia parte occurrat aequale testimonium, non efficit in tali testimonio per se non inesse maximam probabilitatem, sed efficit, quod maxime volumus, probabilitates ex utraque parte pugnae quantumcumque maximae sint, nullam vim retinere ad permovendum animum in unam potius, quam alteram partem, atque adeo inter illas suspensum remanere.

CAPUT III.

Quid agendum, quum in quaestione sive juris, sive facti momenta occurrunt aequalia in utramque partem.

In dubiis tutius eligendum innumerabilibus constat auctoritatibus. Neque illis directe se opponere audent, qui ubi occurrunt in utramque partem momenta magnam probabilitatem habentia, nihilominus contendunt licere cuique, tutiore parte rejecta, se se ad blandiorem adjungere. Putat autem se illarum auctoritatum vim eludere posse hoc pacto, nimirum ei, cui occurrunt utrimque vehementes probabilitates, simul adesse, si probe sit edoctus, dictamen practicum, quo certo existimat, licere in praxi uti opinione probabili. Itaque licet inter illas adversas probabilitates nequeat statuere utra pars vera sit, hinc solum efficitur speculative dubius, utrum revera, et in se actio sit conformis legi: tamen vi dictaminis illius practici certus fit sibi licere, quam libuerit partem amplecti, atque adeo certus fit practice de honestate actionis. Ne ergo quisquam commentitiis hujusmodi distinctionibus fucum sibi fieri patiatur, initio praemonendum duximus in pervulgatis illis auctoritatibus, quae apud probatissimos scriptores magno numero celebrantur, paucasque ipsi afferre possumus pro angustiis temporis, diligenter attendendum esse, haec duo conjuncta reperiri, in aequalium momentorum conflictu dubium inesse, et in hoc tali dubio, sic nimirum accepto, et definito, quocumque tandem illud nomine ap-

pellare libeat, parti tutiori esse omnino inhaerendum. Sic plane corruere incipiet dictamen illud practicum, utpote repugnans constantissime veterum sententiae. Nam stante hoc dictamine practico licitum est facere, quod propter magnas probabilitates hinc inde pugnantes, incertum est num consentiat legi Dei, nec ne, de temperantia verb. gr., de fortitudine, de charitate, contra vero per auctoritates mox proferendas constabit, in tali motivorum conflictu nefas esse agere, nisi adhaerendo parti tutiori.

Illa autem dicitur tutior, quae magis recedit a periculo legis tam materialiter, quam formaliter violandae, verb. gr. haec: *non est licitum habere plures praebendas*, est tutior, quia qui secundum hanc opinionem non habet plures praebendas, certo non ideo peccat: e contra, si habeat plures praebendas, forte ideo peccat materialiter: quia forte illicitum est habere plures. Si ex utraque parte sit periculum peccati, illa est tutior, quae removet a majori periculo simpliciter, vel a periculo majoris peccati. Ita celebris auctor probabilista.

PROPOSITIO.

In conflictu momentorum aequalium sive in jure, sive in facto, tutiori parti est omnino adhaerendum.

Prob. Auctoritatibus principum scholae. *Primo.* Alexander de Ales, parto 2. quaest. 112. Summae, cujus lectionem commendat S. Bernardinus Senensis, quamque egregiam, et copiosissimam vocat Bellarminus, haec habet. « Quaeritur de « illo qui dubitat de aliquo utrum sit Simonia, vel non, eo « quod quidam jurisperiti dicunt esse Simoniam, et quidam « non. Quid ergo faciendum est, quum ignorat? Ad quod « respondendum, quod abstinendum est ab hujusmodi contractu, ne comittat se discrimini. Melius est enim etc.

Nota. Quaestio hic proponitur ad jus pertinens. Motivum dubitandi est auctoritas jurisperitorum in utramque partem. Dubium in hoc constituitur, quod propter illa momenta nescit quis, utrum revera sit Simonia nec ne. Definitur autem, quamdiu nescitur, utrum in contractu revera sit Simonia, nec ne, tamdiu esse a contractu abstinendum. Non ergo cum

dubio juris speculativo de veritate rei potest haberi dictamen practicum certum de honestate contractus propter auctoritatem jurisperitorum, secus inepta fuisset auctoris decisio.

Secundo. D. Thomas quodlib. 8. art. 13. in quaest. utrum liceat habere plures praebendas, loquens de dubio ex motivis utrimque probabilibus: « Tali dubio manente habens plu« res praebendas se periculo committit, et procul dubio « peccat. »

Tertio. S. Bonaventura de processu religionis, processu 5. cap. 3. « Dubia interpretatio praecepti est periculosa.... « Velut si qui omnia reliquit in saeculo, se periculo com« mitteret pro modico motu, vel pro parvo commodo in in« certa opinione sua, vel alterius, ut si Deus approbet il« lam opinionem, evadat sine lucro meriti, si autem repro« bet eam, damnetur.... Voluntas bona, et plana via regia. « et secura debet incedere et relictis dubietatum diverticulis, « quasi suspectis latronum semitis, apertos, et tutos justorum « calles ambulare. »

Nota. Qui adhaeret (quod sine dictamine aliquo practico fieri non potest) opinioni secundum se incertae, de qua nescitur, utrum conformis, nec ne sit praecepto, eum periculo se damnationis exponere. Nullum ergo ex Bonaventura dictamen practicum, vi cujus interpretatione praecepti secundum se dubia, possit quis tuto blandiori parti indulgere.

Quarto. Scotus quaest. 2. Prologi: « Et si objicias: multa « in actibus bumanis sunt dubia, utrum sint peccata mor« talia, etiam suppositis omnibus doctrinis doctorum, et ex« positorum: respondeo non est dubia via salutis simplici« ter, quia a talibus, tamquam a periculosis, debet homo « sibi cavere, et custodire se, ne homo, dum se exponit « periculo, incidat in peccatum. » Et in tertio dist. 25. quaest. 1. in moralibus. « Quando sunt altercationes de aliquo pec« cato, ut si unus peritus in scientia dicat, quod non licet « sic mercari, alius dicat, quod licet, tutius est non pro« cedere sic, nec sic, sed expectare quousque veritas pateat « aliunde. „

Nota. ex Scoto dubium non posse removeri, nisi per inventionem veri.

Quinto. S. Antoninus parte prima Summae, tit. 3. cap. 10. respondet eum, qui agit id, de quo dubitat esse mortale.

permanente dubitatione mortaliter peccare, sumendo proprie, ac stricte dubitationem, videlicet prout rationes sunt aeque ponderantes ad utramque partem, nec magis declinat quis ad unam, quam ad aliam. Et deinceps docet Antoninus, qui agit contra dubium tum solum immunem esse a peccato, quando quis dubitat leviter, et per modum scrupuli, ubi sumit dubium non proprie, sed pro illa formidine, quam ingerunt rationes, tametsi leves alterius partis, dum pro sententia, cui inhaeret, auctoritatem habet, et magis probabiles rationes. Tum etiam docet, posse quemquam bona conscientia tenere unam partem alicujus opinionis, quae scilicet pars habeat pro se notabiles doctores, dummodo talis opinio non sit contra auctoritatem expressam sacrae scripturae, et contra determinationem ecclesiae, et quod etiam ex contrarietate talium opinionum non inducatur ad dubitandum, sed bonam sibi conscientiam, et credulitatem formet de eo, quod credit, tamquam de probabiliori parte, et praecipue, quando quis adhibet diligentiam inquirendo, an liceat, nec invenit aliquid, quod eum sufficienter moveat ad hoc quod est illicitum.

Nota. S. Antonium expresse asserere dubium proprie dictum esse, quando adsunt rationes aeque ponderantes, et tum non licere id agere, de quo dubitatur (nimirum hoc tali dubio) utrum sit peccatum. Secundo in dubio nullum dictamen practicum agnovisse, quo licitum sit agere, nisi sit dubium improprie dictum, id est scrupulus ortus ex levibus rationibus, quae occurrunt ex alia parte, et aliquam formidinem injiciunt. Nullum ergo dictamen practicum pro dubio agnovit, ubi dubium esset proprie dictum versans inter rationes aeque probabiles. Tertio dictamen practicum, quo conscientia bona efformari potest, oriri ex credulitate, quam quis habet de veritate propriae sententiae directe consideratae, prout nimirum haec probabilior apparet, et post diligens examen nihil occurrit, quod sufficienter moveat ad oppositum. Non ergo ex reflexo judicio de probabilitate sententiae, sed ex judicio de majori probabilitate oritur ex Antonino credulitas, seu dictamen practicum bonam conscientiam faciens. Quarto Antoninus docens posse quempiam tenere unam partem alicujus opinionis, indicat loqui ipsum de opinione objectiva, seu de re opinabili, et disputata, de qua in utramque partem haberi possunt subjectivae opiniones contrariae. Quinto. Quum Anto-

ninus alibi docet consilii esse, non praecepti in dubiis sequi partem tutiorem, loqui de casu, quo utraque pars est vere tuta, et abest ab omni periculo peccati.

Sexto. B. Angelus a Clavasio in Summa voce, *dubium*, posteaquam dubium dixit esse contrariarum rationum aequalitatem, continuo adjicit: « In dubiis, ubi versatur periculum « animae, tutior pars est eligenda, et in ipsis, quod certius « est, tenendum, et quod sine periculo explicari potest; ita « dicit Panormitanus in cap. *Juvenis.* »

Septimo. Sylvester in Summa voce *Dubium* « Quaeritur « quomodo intelligitur aliud dictum, quod est quasi regula, « scilicet in dubiis tutior via est eligenda, quod est sumptum « extra de sponsalibus in capite, *Juvenis*, ubi dicit glossa, « quod in his, quae dubia sunt, quod certius aestimamus, « tenere debemus. Et dico hic opus esse duplici distinctione. « Prima: dubium est duplex, scilicet probabile, quum scilicet « rationes probabiles ad utramque partem sunt quasi aequales, « et scrupulosum, quum quis scilicet ex levi suspicione timet « alicubi esse peccatum. Scrupulosum dubium ad consilium « boni viri est deponendum. Dubium autem probabile est, « de quo proprie illud dictum intelligitur: et secundum Ar- « chidiaconum, peccatum grave est in tali dubio se expo- « nere, ubi est mortale . . . . Sed tamen intellige, quod « si detur casus, quod opinio securior sit minus probabi- « lis, non est eligenda necessario, quia jam cessat ratio « dubii. Si tamen probabilitas hinc inde esset aequalis, tu- « tior eligenda est necessario, quoniam ex electione alte- « rius imminet periculum peccati mortalis, quia tunc ve- « rum est illud ecclesiastici 3. Amans periculum peribit in « illo.

Octavo. Corduba lib. 2. de Ignorantia quaest. 3., assertione tertia. « Pars tutior tenenda est quando oppositae sen- « tentiae sunt, aut creduntur aeque probabiles.

Nono. Conradus quaest. 100. de Contractibus: « In ae- « quilibrii conscientia, quod aliquid sit peccatum propter « aliquas rationes, et secundum alias, quod non sit pecca- « tum, non potest formari bona, et non dubitativa con- « scientia.

Innumerabiles alii proferri posset, sed sufficiat audire Vasquesium disput. 65. cap. 3., qui non solum absque controversia esse debere affirmat, in dubio sive juris, sive fa-

cti tutius eligendum esse, sed testatur neminem se ex scriptoribus scholasticis invenisse, qui oppositum asserat.

Probatur insuper multis rationibus, quarum etiam nobis est habendus delectus. Ille certe peccat, qui exponit se peccandi discrimini: sed, sed qui agit, de quo dubitat, num sit per se conforme, nec ne Divinae legi, exponit se periculo Divinae legis reapse violandae, et consequenter peccandi, siquidem peccatum est dictum, factum, et concupitum contra legem aeternam Dei. Ergo etc.

Respondent adversarii. Qui dubitat tantum speculative de conformitate actionis cum lege, posse nihilominus practice certum fieri, hanc actionem sibi licere certitudine orta ex dictamine practico, quo judicat licere uti opinione probabili, tumque hominem exponere se tantum periculo materialiter peccandi, non autem peccandi formaliter.

At hoc responsum mihi videtur labefactari posse plana, brevique argumentatione, quisque voluntarie se exponit periculo violandi alicujus Divini praecepti, peccat formaliter: atqui fatentibus adversariis, qui facit, quod dubitat, num sit conforme Divinae legi, exponit se periculo violandi alicujus divini praecepti, et voluntarie se exponit, ut manifestum est. Ergo ille peccat formaliter. Major probatur. Actus contra divinum praeceptum commissus tum solum est peccatum materiale, nec imputatur ad formalem culpam, quando talis actus est absolute involuntarius, penitusque, et sine culpa defuit cognitio, vi cujus praecaveri potuisset. Atqui ille, qui dubitat, num actus sit conformis, nec ne praecepto, praecavere potest peccatum materiale abstinendo a tali actu. Ergo si per actum illum revera transgreditur praeceptum, ea transgressio talis est, quae praecaveri potuit, nec proinde dici potest penitus involuntaria. Ergo talis transgressio revera est peccatum formale. Deinde quisquis sciens, et volens admittit peccatum materiale, peccat formaliter. Ergo quisquis sciens, et volens exponit se periculo peccandi materialiter, exponit se quoque periculo peccandi formaliter; sed qui exponit se periculo peccandi formaliter, peccat formaliter, Ergo etc.

Tandem allatis auctoritatibus invictissime refellitur hic modus deponendi dubii practici, manente dubio, quod vocant speculativum, circa intrinsecam conformitatem actionis cum lege. Enim vero allatae auctoritates dum jubent in dubio tu-

tius amplectendum, non utuntur tantum simplici voce dubii, quod locum aliquem relinquere posset commentitiae adversariorum distinctioni, verum etiam designat quale sit illud dubium: ajunt quippe primo tutius eligendum, quando oppositae sententiae sunt, aut creduntur aeque probabiles, ut Corduba: quando probabilitas hinc inde est aequalis, ut Sylvester; quando sunt altercationes inter doctos de aliqua re, utrum sit peccatum, nec ne, ut Scotus: ajunt secundo abstinendum a contractu, quamdiu ignoratur, utrum adsit simonia, ut Alexander. Tertio ajunt in contrarietate opinionum bonam conscientiam non formari, nisi per prudentem adhaesionem uni parti tamquam probabiliori, ut D. Antoninus. Jam vero per dictamen practicum ab adversariis inductum potest quis opinioni faventi libertati adhaerere, etiam quando oppositae sententiae sunt aut creduntur aeque probabiles; quando probabilitas hinc inde aequalis agnoscitur; quando sunt altercationes inter doctos, quandoquidem hoc ipso, quod creduntur aeque probabiles, potest quis vi ejus dictaminis utrumlibet eligere. Secundo non tenetur a contractu abstinere etiam, dum ignorat num reapse sit Simonia, nec ne, modo probabile sit non adesse Simoniam, quod est expresse contra Alexandrum. Tertio in contrarietate opinionum potest bonâm conscientiam sibi formare, non solum de probabiliori, sed etiam de minus probabili. Ergo dictamen illud practicum adversariorum penitus convellit allatas auctoritates; vel si doctrina tot auctoritatibus confirmata consistit, necesse est corruat dictamen illud practicum.

Probatur tertio plurimis summorum pontificum decretis, in quibus facile est deprehendere, illos id principium habuisse tamquam regulam universalem juris, quam non de novo constituerunt, sed ad propositas quaestiones dirimendas accommodarunt. Primo itaque cap. *Juvenis* de sponsalibus, in dubio de validitate sponsalium cum puella minore septenni, quam juvenis traduxerat ad domum, ducta deinceps ejusdem puellae consobrina; mandat pontifex a juvene dividendam consobrinam postmodum ductam. Allata proinde dubii ratione decernit: « Quia igitur in his, quae dubia sunt, quod « certius existimamus, tenere debemus, tum propter hone« statem ecclesiae. quia ipsa conjux ipsius fuisse dicitur tum « propter praedictam dubitationem mandamus, quatenus con« sobrinam ipsius, quam postmodum duxit, dividas ab eodem.

Nota primo. Ex littera canonis fuisse dubium de validitate sponsalium. In hoc porro dubio tutiorem partem fuisse, quae removebat periculum quod ex cohabitatione cum consobrina imminebat, si priora sponsalia valida fuissent.

Nota 2. Verbo, *mandamus*, praeceptum significari, non consilium, prout etiam rite animadvertit, probatque Fagnanus in id cap., qui omnino videndus.

Secundo capite *Dominus* de secundis nuptiis decernitur dubitantem de morte conjugis, nisi prius certificatur, contrahere non debere; et si contraxit reddat, sed non exigat debitum. Haec porro sunt verba Canonis: « Si vero aliquis, « vel aliqua de morte prioris Conjugis adhuc sibi existimat « dubitandum, ei, quae sibi nupsit, debitum non deneget « postulanti; quod a se tamen noverit nullatenus exigendum. »

Nota primo in hoc dubio tutiorem partem esse, quae praescribitur a pontefice, ut dubitans non petat, quod incertus est num sibi liceat, attamen reddat petenti, ne injuria fiat conjugi, qui de suo jure nullam habet rationem dubitandi.

Nota Secundo ex pontifice non posse deponi dubium practicum de licita petitione, quamdiu manet dubium speculativum de vita prioris conjugis. Unde patet cum dubio speculativo de ipso jure ad petendum non posse componi per ullum dictamen reflexum certitudinem practicam de honestate petitionis. Vult enim pontifex abstinendum a petendo, quousque habeatur certitudo de morte prioris conjugis, quae dubium illud speculativum prorsus tollat.

Nota tertio hinc refelli responsum eorum, qui dicunt saltem post adhibitam multam diligentiam deponi posse dubium practicum, manente speculativo: Nam pontifex eodem modo praecepit abstinendum a petitione post initum conjugium, quemadmodum prohibet, ne, manente tali dubium, quisque migrare praesumat ad secundas nuptias. Atqui dum manet dubium speculativum quacumque facta diligentia, non licet contrahere. Ergo etc. Tum etiam refelli responsum eorum, qui dicunt ideo pontificem praecipere abstinendum a petitione, quia conjugium fuit initum mala fide, utpote in dubio de vita prioris conjugis. Non enim hanc malam fidem affert pontifex pro caussa, sed ipsam incertitudinem. Deinde hoc idem postea praecepit Innocentius III. cap. *Inquisitioni* 44.

de Sent. excom. in dubio ex probabili caussa orto post matrimonium bona fide initum.

Nota quarto Decretum *Dominus* a Lucio III. datum esse pro universis Christianis in captivitate saracenorum positis, ut minime sit dubitandum quin ad forum internum etiam praecipue directum fuerit.

Nota quinta quam parum apte a nonnullis dicatur ita fuisse a pontifice responsum, quod dubium ageretur de valore Sacramenti. Siquidem pontifex praecipit, quod agendum est non circa matrimonium ipsum, ut confirmandum, vel iterandum, sed circa usum licitum, vel illicitum conjugii, quae longe differunt.

Tertio Cap. *Ad Audentiam* de homicidio, in dubio de lethali vulnere inflicto a Presbytero haec dicuntur: « Quia « vero utrum occasione vulneris decessisset dubium habetur « tuae discretioni duximus respondendum quod, quum in « dubiis semitam debeamus eligere tutiorem, te convenit « injungere presbytero memorato, ut in sacris ordinibus non « ministret, et eidem injuncta poenitentia congruenti sibi po« teris concedere, ut minoribus ordinibus sit contentus. » Et cap. *Significasti* 18. ibid. « Quod si discerni non possit, ex « cujus ictu percussus interiit, in hoc dubio tamquam ho« micida debet haberi sacerdos: et si forte homicida non « sit, a sacerdotali officio abstinere debet; quum in hoc « casu cessare sit tutius, quam temere celebrare, pro eo, « quod in altero nullum, in reliquo vero magnum pericu« lum timeatur. »

Nota primo respondere adversarios memorata decreta consilium continere, non praeceptum; ita quidem illi dicunt, sed non probant. Nos dicimus ea decreta vim praecepti habere: nobisque suffragatur ipsa littera decretorum.

Nota secundo ex adversariis per illa decreta novum jus inductum esse: atque adeo restringendum ad casus, pro quibus adhibetur. Dicunt equidem, sed repugnat litera; nullum ibi extat vestigium novi juris; sed antiqua regula ex ipso naturali jure ducta a pontifice adhibetur ad quaestionem propositam dijudicandam. Quod si pontifex novam legem sanxisset, ejus legis non debuisset sacerdos arceri ab officio, quia homicidium patratum fuerat ante legem illam decretalem. Denique si haec decreta essent ad expressos casus re-

stringenda, valere non deberent in ullo alio dubio facti quoad irregularitatem etiam caussa homicidii. Atqui tamen ab adversariis ipsis traducuntur ad facta dubia, e quibus irregularitas caussa homicidii contrahitur, etsi ea non sit illis decretis expressa. Ergo etc.

Nota tertio a nonnullis etiam dici canones illos solum latos esse adversus eos, contra quos vigebat possessio tituli certi sufficientis ad caussandum homicidium. Sed hoc falsum. Nam quum certum esset homicidium, si certum quoque fuisset a presbytero caussam datam esse sufficientem secutae mortis, nullum dubium esse potuisset: nam si plures sicarii simul lethalia vulnera in capite, in pectore infligerent, unusquisque merito haberetur tamquam certus homicida. Dubium ergo ex eo nascebatur, ut ipsa littera innuit, quod non constaret utrum percussio esset sufficiens ad mortem inferendam. Igitur ex sola caussa dubia mortis pontifices propter illam regulam generalem *in dubiis etc.* inducti sunt, ut decernerent presbytero abstinendum esse ab ordinum ministerio. Sicut igitur lex vetans homicidium, vetat etiam caussam ejus probabilem, sic etiam lex vetans usuram, furtum, adulterium vetat quoque caussas eorum probabiles, probabilem usuram, probabile furtum etc. Unde in his etiam ubi occurrentibus utrimque rationibus aeque probabilibus emergit dubium, tutior omnino pars est eligenda.

Quarto cap. *Illud* de clerico excommunicato. « Quia tamen in dubiis via est eligenda tutior, etsi de lata in eum « sententia dubitaret, debuerat tamen potius se abstinere, « quam Sacramenta Ecclesiastica pertractare. »

Nota hic sententiam ipsam fuisse dubiam. Nam haec tantum per famam innotuerat: nullum ergo est discrimen, quod inter dubium facti, et dubium juris adversarii constituunt, quod in dubio facti lex sit certa; in dubio juris sit incerta; unde in dubio facti possessio faveat legi, in dubio vero juris possessio faveat libertati. Nam etiam in dubio sententiae per idem principium possessio faveret reo: atqui tamen in foro conscientiae contrarium ex hoc decreto Innocentii III eruitur.

Quinto denique cap. *Exivi de Paradiso* Clemens V. in Concilio Viennensi in dubio a fratribus minoribus proposito quoad multa, quae ambigebant, num vi regulae praecepta essent. « Nos itaque, qui in sinceris horum conscientiis de« lectamur, attendentes, quod in his, quae animae salutem

« respiciunt, ad vitandos graves remorsus conscientiae, pars « securior est eligenda, dicimus quod licet fratres non ad « omnia, quae sub verbis imperativi modi ponuntur in re- « gula, sicuti ad praeceptum, seu praeceptis aequipollen- « tium observantiam teneantur, expedit tamen ipsis fratribus « ad observandam puritatem regulae, et rigorem, quod ad ea, « sicuti ad aequipollentia praeceptis se noverint obligatos, « quae hinc inferius adnotantur. »

Nota primo fuisse hoc dubium juris, et quidem dubium ex gravibus, et probabilibus utrimque momentis ortum, de quo scilicet fratres minores in utramque partem disputabant, et ipsum pontificem consulendum esse duxerant.

Nota secundo nec pontifici, nec fratribus minoribus innotuisse rationem, qua, stante dubio speculativo de conformitate actionis cum praecepto, deponi possit dubium practicum de licite agendo vi dictaminis practici, licitum esse demonstrantis, quod quis agit ex motivo probabili, licet per motiva contraria, et probabilia videatur actio esse contra praeceptum; secus facile potuissent fratres minores practicum dubium deponere, omnemque remorsum conscientiae vitare, nec opus habuissent consulere pontificem. Pontifex vero potius eos docuisset eam rationem deponendi dubii, non autem ex hac regula profectus, in dubiis tutiorem partem eligendam esse, ea sanxisset, ad quae observanda fratres tenerentur.

Nota tertio nihil contra nos efficere, qui haec verba pontificis « Quia in iis, quae animae salutem respiciunt ad evi- « tandos graves remorsus conscientiae pars securior est te- « nenda » sic interpretantur. « Hoc est, danda est opera, « ut declarentur omnia dubia, et lex sit clara, et manife- « sta; » ex quo colligunt pontificem eam solum declarasse singula enumerando, in quibus obligaret, non autem generatim sanxisse in omnibus, quae ad salutem pertinent viam securiorem tenendam esse, nisi de consilio. Nam ex hac ipsa, interpretatione constat, quando lex non est clara, sed dubia non posse vitari graves remorsus conscientiae ab eo, qui partem amplectitur faventem libertati contra legem. Ergo in ipso dubio juris tenenda pars tutior ex praecepto: nam si solum ex consilio, non haberentur graves remorsus conscientiae.

Objiciunt vero: qui dubitat num in jure sit pro aliquo

defectu, delicto sancita irregularitas non eum debere se irregularem reputare: idque probare volunt ex canone 35., qui de sententia excommunicationis in 6. ubi habetur: « Nisi « irregularitas fuerit expressa in jure, non incurratur. » Ergo non semper quis tenetur tutiorem partem eligere.

Resp. Neg. Ant. Nam qui dubitat num irregularitas sit espressa in jure tenetur quamdiu dubitat partem tutiorem eligere: nec refragatur canon citatus. Debet autem qui dubitat diligentiam adhibere, qua adhibita vel irregularitas invenitur expressa in jure, vel non invenitur: si invenitur certo scit se esse irregularem: si non invenitur expressa, certo scit se non esse irregularem ex canone allato, qui proinde ad praesentem quaestionem non pertinet.

Ob. insuper. Si in dubiis juris tutior esset semper pars eligenda, lex dubia pro decisione alicujus Caussae afferri posset, ut nimirum pars tutior eligeretur. Sed hoc est falsum.

Resp. Duplici modo intelligi posse dubiam esse legem: vel quia dubitatur de ipsa lege num lata sit, nec ne, vel quia dubitatur de vero sensu legis propter dissidentes in ejus interpretatione doctorum sententias. Si dubitatur de ipsa lege, num sit, et onus probandi incumbat actori, non potest judex ea quidquam statuere contra reum. Sed hoc maxime confirmat nostram sententiam, quia haec revera pars est tutior pro judice, ut postea declarabitur. Si autem dubitatio sit de intellectu legis, debet interpretationem sequi probabiliorem, ipsique legi maxime consentaneam.

Ob. praeterea caput *Quia circa* de consanguinitate, et affinitate, ubi pontifex decernit dissimulari posse in matrimonio per dispensationem invalidam contracto, et tamen certe tutius fuisset non dissimulare. Igitur etc. Porro haec sunt verba Canonis. « De nobili Viro, pro cujus dispensa« tione, indulgentia scilicet remanendi cum ea, quae ipsum « quinto consanguinitatis gradu contingit, a Sede Apostolica « obtinendă, falsa nobis caussa fuerat alligata, proles vide« licet. Quum tamen ante dispensationem obtentam unica fi« lia quam habebat, viam fuerit universae carnis ingressa, « prout tua consultatio continebat, dissimulare poteris, ut « remaneant in copula sic contracta, quum ex separatione, « sicut asseris, grave videas scandalum imminere. »

Resp. Veterum Canonistarum, in primisque Hostiensis sententia hoc rescripto novam contineri pontificis dispensatio-

nem, etenim in eo, quod ait pontifex dissimulari posse, prodit se se indulgentia ipsius annuentis, ut remanerent in copula sic contracta: quae indulgentia vera dispensatio censenda est. Enim vero, quum aeque facile fuerit pontifici matrimonium validum reddere dispensando, atque indulgere dissimulationem in matrimonio invalido, atque adeo in concubitu ex se incestuoso, increbile videtur, pontificem talem incertum potius relinquere voluisse, dissimulationem permittendo, quam eum tollere dispensando. Huc accedit, quod ipsa fert inscriptio capitis. « Non valet dispensatio obtenta « a Papa super matrimonio inter consanguineos contracto, « si ibi caussa falsa sit expressa, nisi postea eam Papa « confirmaret. »

Ergo supponit per hoc decretum fuisse revera confirmatam dispensationem. Ad quem locum haec etiam verba adjecta inveniuntur: *Hoc nimirum dictum esse secundum verum, et communem intellectum.*

CAPUT IV.

De quibusdam principiis juris, quae memoratam regulam de tutiore parte in dubiis eligenda circumscribere videntur.

Celebratur ab adversariis regula 4. Juris in 6. *Quum sunt partium jura obscura, reo favendum est potius, quam actori*; tum hoc etiam, quod ex jure civili profertur: *In dubio benigniorem sententiam esse praeferendam*: cui et illud consentaneum est: *dubia in meliorem partem interpretanda esse*; ac denique pervulgatum effatum: *In dubio meliorem esse conditionem possidentis*, ex quibus effici putat, in dubiis non semper necessario tutiorem partem eligendam esse, quae nimirum stat pro lege; sed eam eligi posse, quae libertati possessionem idest libere agendi facultatem asserit.

Verum illud est primo loco animadvertendum dictum illud sic universe prolatum, ut afferri solet, non esse regulam juris: nam regula juris 65. in 6. hoc tantum habet: *In pari delicto vel caussa potior est caussa possidentis*, quae delicti, et caussae mentio regulam adstringit ad peculiarem justitiae materiam, ut praestantissimi etiam inter veteres scholasticos, et praesertim Vasquesius agnoverunt. Quin etiam nec semper

in materia justitiae valere plurimi senserunt. Nam Adrianus, referente Vasquesio, docet, eum, qui dubitat, num res, quam possidet sua sit, si post diligens examen dubium permaneat, debere potius eam restituere, quam sibi retinere. Et Sotus in 4. de Justitia in pari caussa propter aequalitatem dubii rem esse dividendam censet. Corduba vult eam possessorem retinere quidem posse, sed non alienare: ex quo patet, quam alieni fuerint veteres ex illa regula 65. universalem conclusionem eruere, qua in omni dubiorum genere ad coscientiam pertinentium libertas in tuto poneretur contra legem.

His positis videndum, an allatae juris regulae aliqua ex parte illi repugnent, quam superiore capite propugnavimus, an potius ex eadem ducantur, eidemque mirifice consentiant.

PROPOSITIO I.

Regula Juris undecima praescribens, quum jura partium sunt obscura reo potius esse favendum, quam doctori, oritur ex regula de tutiori parte in dubiis eligenda, eamque maxime confirmat.

Prob. Tutior pars ea est, quae ab omni periculo, vel saltem a majoris mali periculo removet. Atqui ubi partium jura sunt obscura Judex ab injustitiae periculo magis removetur favendo reo potius, quam actori. Nam in caussis civilibus actor petit ab eo, qui aliquo modo possidet. Ergo in dubio certo injustum esset reum possessione sua, vel jure spoliare, idque sine ulla potiore ratione, quandoquidem in pari caussa versamur, in actorem transferre, ut copiosius mox declaraturi sumus.

In caussa vero Criminali idem patet apertissime. Nam in dubio utrum accusatus sons sit, an insons, hinc obversatur periculum facinorosi hominis absolvendi, illinc periculum damnandi innocentis. Sed in damnando innocente multo majus malum existit, quam in absolvendo facinoroso. Nam utroque jure traditur sanctius convenientiusque esse nocentem absolvere, quam innocentem condemnare; damnatio quippe innocentis per se intrinsece mala est, et injusta: non autem per se malum est, immo certis de caussis honestum est quandoque reum absolvere. Unde Gen. 18. Abraham sic

Deum alloquitur: « Numquid perdes justum cum impio? Si « fuerint 50. justi in Civitate, peribunt simul? Et non parcas loco illi propter 50. justos, si fuerint in eo? Absit a « te, ut rem hanc facias, ut accidas justum cum impio. « fiatque justus sicut impius: Non est hoc tuum, qui judicas omnem terram. » Patet denique id omnino expedire cum singulis, tum etiam reipublicae: nemo est enim, qui utpote ignarus futurorum casuum non optet hanc legem omnibus esse constitutam, ne quisquam, nisi de crimine convictus damnetur; eo, vel maxime, quod reparabile est damnum, quod sequitur ex absoluto nocente, potest enim tempus crimen in apertam lucem proferre. Irreparabile vero, ut plurimum est damnum, quod sequitur ex damnatione innocentis. Atque hoc etiam aurea sententia complexus est S. Zozimus Papa Epist. 4. ad Aurelium Carthaginensem. « Tolerabilius est innocentem quemlibet tardius inveniri, quam « cito pro nocente damnare innocentem. »

Hinc patet eos a vero hujus regulae intellectu aberrare, qui eam a foro externo ad forum conscientiae sic detorquent, ut velint in conscientiae foro libertati potius esse favendum, quam legi. Nam praeterquamquod absurdum est in hoc foro libertatem ut reum, legem quasi actorem, conscientiam vero ut Judicem supra Deum et hominem constituere, ut mox declarabitur; ratio, propter quam debet Judex in dubio favere potius reo, quam actori, tota sumitur ex eo, quod haec pars magis eum removet a periculo injustitiae: adeoque contra conscientiam rectam ageret, nisi eam partem sequeretur. Ergo conscientia recta semper postulat, ut in dubiis pars eligatur a peccati periculo remotior; ideoque si paritas recte instituatur inter utrumque forum, nostram maxime sententiam confirmabit.

Offert se hoc etiam discrimen, quod in foro externo sistit se reus, non ut dubius, sed ut negans: quippe negat delictum, non autem se dubium de crimine profitetur. Jam vero accusato crimen neganti, non id oneris incumbit, ut probare cogatur, ita postulante bono reipublicae. At actor accusantis partes sustinens tenetur probare, quod affirmat: quod si praestare nequit, accusatio pro nulla habetur. Verum in foro conscientiae reus ipse sibi obversatur non ut negans, sed ut dubius de ipsa lege, vel delicto: unde non opus habet expectare certam probationem legis, aut delicti,

sicut eam Judex tenetur expectare: quod si in ipso judiciali foro reus se sisteret ut dubius, etiam ad tutiorem partem obligaretur, idest ad eam, quae a majore malo, et periculo removeret, ut revera factum esse intelligitur ex citatis canonibus in caussa dubia irregularitatis ex homicidio.

PROPOSITIO II.

Regula etiam de dubiis in benigniorem partem interpretandis oritur ex regula de tutiore parte in dubiis eligenda, nostramque adeo sententiam maxime confirmat.

Prob. Quum momenta occurrunt utrimque aequalia pro innocentia, vel improbitate proximi, tunc aut judicat animus de ipsa innocentia, vel improbitate, aut ab omni judicio abstinendum ducit. Si vult judicare, imminet ex una parte simplex periculum erroris, judicando innocentem, qui revera est improbus: ex alia vero parte imminet periculum injustiae si judicetur improbus, qui bonus est. Atqui regula de tutiore parte sequenda docet multo magis cavendum esse periculum injustitiae, quam erroris in re contingenti, et per se non adversa regulis morum. Ergo in tali dubio primo saltem est abstinendum a judicio in malam partem interponendo, juxta illud Christi Domini: *Nolite judicare, ut non judicabimini*, in quo neque inest periculum erroris. Atque hoc est saltem negative dubia in meliorem partem interpretari. Deinde quum saepius accidat, ut perversus quidam affectus vel odii, vel invidiae, vel vindictae plurimum augeat pondus rationum pro judicanda improbitate proximi; et propter illud pondus, quod cupiditas adjicit, momenta, quae stant pro improbitate aequalia videantur momenti, quae suadent innocentiam, multo alioquin leviora futura, profecto tenetur quisque id omne discutere, quod prava cupiditas suggerit contra proximum, et ad ea potius attendere, quae charitas suppeditat pro ejus innocentia: quo praestito momenta proximo faventia vires acquirent, sicque lancem deprimenl, ut prudens omnino de bonitate illius judicium effici queat. Hoc autem praestare lege charitatis unusquisque tenetur, atque adeo etiam positive dubia in meliorem partem hoc pacto interpretari.

Hic etiam: manifeste patet rationem, propter quam tenetur quisque dubia ad personam proximi pertinentia inter-

pretari in partem benigniorem, totam sumi ex eo, quod tenetur quisque cavere, quantum potest, periculum peccandi contra charitatem, vel justitiam. At vero etiam manifeste patet in dubio de proprio delicto, vel de lege obligationem imponente severiorem interpretationem neminem exponere discrimini peccandi contra charitatem vel justitiam, sed potius a tali periculo removere: unde propter eamdem rationem, qua tenetur quisque benignius interpretari dubia ad proximum pertinentia, tenetur severius interpretari dubia de proprio delicto, vel obligatione, ut etiam perspicue docet S. Thomas 2. 2. quaest. 60. art. 4. ad 3.

PROPOSITIO III.

Regula Juris 65. sanciens in pari caussa, vel delicto potiorem esse conditionem possidentis oritur etiam ex regula de tutiore parte in dubiis eligenda, eamque maxime confirmat.

Prob. Nam in rebus ad justitiam pertinentibus, quales significantur per haec verba in *pari caussa*, et *delicto* possessio aliquid confert, quo solvatur dubium, et solvatur in favorem bona fide possidentis. Dubium enim est propter paritatem caussae, cujus sit res aliqua, an possidentis, an vero alterius. Tale porro dubium solvitur, et quidem in favorem possidentis, si possessio ligitimum titulum praebeat, vi cujus possessor rem in pari caussa retinere debeat. Atqui possessio revera legitimum titulum praebet. Nam ut sapienter docet card. Pallavicinus disput. 6. quaest. 4. art. 3. plurimum expedit reipublicae, ne qui possident bona fide, sine gravi caussa possessione deturbentur, alioquin incerta redderentur jura possessionum, nec quidquam amplius tuto vendi, emi, donari posset, nec ullus rebus suis, aut contractibus fidere: idque ut reipublicae, sic etiam singulis expedit. Igitur ex convenientia, et voluntate cum reipublicae, tum singulorum possessio titulum confert possidenti, vi cujus legitime retineat, quod possidet. Ergo quidquid sit, utrum praecisa possessione res sua sit, an aliena, certum est in paritate caussae possessionem ei praebere justum titulum retinendi, quod possidet. Quo posito non amplius manet dubium de legitimo jure possidendi. Immo etiam lapsu tempo-

ris hoc legitimum jus retinendi transit in jus directum, quod in rem possessam acquiritur ex praescriptione. Ex quo patet injustitiam in hoc futuram, si a possidente res auferretur, et sine ullo titulo praevalente, alteri, qui non possidet, adjudicaretur.

Hinc facile solvitur, quod objici solet, eum, qui retinet, quod possidet, dubius, utrum suum sit, an alienum, exponere se periculo retinendi rem alienam. Ergo tutius esset eam alteri tradere, vel saltem cum eo dividere. Nam, ut diximus, possessio bona fide incepta tollit directe dubium, et praebet verum jus retinendi; nemo porro exponit se periculo injustitiae, quamdiu retinet, quod habet verum jus retinendi, ex ipsa etiam voluntate reipublicae, cui dominia sunt subjecta. Ergo rem totam retinere potest sine ullo injustitiae periculo.

PROPOSITIO IV.

Regula Juris de potiore conditione possidentis in pari caussa, vel delicto nullo pacto favet possessioni libertatis adversus legem in dubio de obligatione.

Prob. Regula illa juris his conditionibus nititur. Primo ut in caussa ceteroquin dubia possessio sit saltem certa. Secundo, ut sit veri nominis possessio. Tertio, ut sit caussa inter contendentes. Prima conditio colligitur ex cap. *Si a Sede* in 6. Altera ex ipsismet verbis regulae patet. Tertia ex ipsa caussae natura. Atqui ubi occurrit dubium de obligatione conscientiae propter legem dubiam. Primo possessio libertatis contra legem non est certa. Secundo nec ulla esse potest veri nominis possessio in libertate adversus legem. Tertio nec fingi ullo pacto potest libertatem, quasi possidentem ex una parte, et legem velut actorem ex alia contendere in tribunali conscientiae quasi judicis libertatem inter, et legem. Ergo etc.

Dicimus primo in dubio de lege, de obligatione agendi, de honestate actionis faciendae nullam haberi posse certam possessionem libertatis adversus legem. Nam haec libertatis possessio sumi potest vel pro physica facultate agendi quod libet, sive legi obtemperando sive legem violando; et de tali possessione non hic est quaestio; etenim haec, etiamsi

certa sit lex, non ammittitur; potest enim homo, si vult, agere contra legem certam, et peccare; vel sumi potest pro facultate morali agendi quod libet sine culpa; eaque est possessio libertatis, de qua hinc agitur, quae nimirum praebet homini moralem facultatem, et legitimam agendi; quod sibi libuerit magis. Igitur dicere, hominem esse in certa possessione suae libertatis ad aliquid agendum, idem est omnino, atque dicere certo licitum esse homini illud agere. Atqui ubi obversatur dubium de actione, utrum sit vetita, nec ne, utrum licita, manifeste repugnat actionem simul certo licere. Ergo etiam manifeste repugnat in dubio de honestate actionis seu de lege, et obligatione, haberi certam possessionem libertatis, seu certam facultatem id licet agendi, siquidem certa possessio libertatis est facultas certo immunis ab obligatione; sed ubi viget dubium de nexu obligationis, facultas non est certo immunis ab eo nexu. Ergo etc.

Dicimus propterea secundo nullam in homine intelligi posse libertatis possessionem, qualem eam adstruere coguntur adversarii. Quippe ajunt voluntatem esse sui juris, atque adeo habere plenum dominium in suos actus, et aliarum potentiarum, ipsamque voluntatem ex naturali suae conditionis excellentia esse in plenissima possessione talis dominii: non debere autem voluntatem ab ea possessione deturbari, donec evidenter constet legem existere: nec enim teneri admittere incertas exceptiones, et limitationes juris. Ex quo concludunt: « Ecce regula illa juris: *in dubio melior est* « *conditio possidentis*, non solum ad aequalitatem, sed cum « manifesto excessu potiorem locum tenet in voluntate relate « ad omnem omnino materiam, quam habet in materia ju- « stitiae, quando nullum certum jus ad illam rem praeces- « sit. » Quo posito sic argumentamur. Nulla est possessio libertatis, quam jactant adversarii, si jus illud omne, quod habet voluntas ad aliquid ligitime agendum, sive aut ad suos actus licite eliciendos, sive ad actus aliarum facultatum legitime imperandos, non oriatur ex naturali conditionis ejus excellentia, et naturali, seu physico dominio quod habet in suos actus; sed omnino pendeat ex superiore quodam jure, cui in omni usu, et actu est obnoxia. Haec propositio est certissima, nam adversarii supponunt hanc possessionem libertatis esse jus, quod habet voluntas ad legitime agendum, idque ortum ex naturali dominio in suos actus, et naturali

ejus conditionis excellentia; et aliunde fatentur possessionem non valere contra certum jus, quod praecesserit. Atqui jus, quod habet voluntas ad legitime agendum, non oritur ex naturali dominio in suos actus, et ex naturali excellentia suae conditionis: sed hoc jus pendet ex quodam superiore jure, nempe ex Divina lege tamquam prima regula omnium actionum. Ergo commentitia illa possessio libertatis nulla est. Minor probatur. Etenim ex naturali, et physico dominio, et conditione voluntatis oritur tantum physica potentia agendi, ut libet, ex qua unde, et simpliciter spectata actus exeunt, ut liberi, nem autem, ut legitimi. Legitimum enim ex ipsa vi nominis ordinem dicit ad legem, seu regulam, atque ut prima parte demonstratum est, actus in ordine morali constituuntur ex conformitate, vel difformitate quam habent ad legem; actus autem spectati ut legitimi constituuntur in ordine morali.

Deinde libertas est facultas, quae oritur ex ratione, et voluntate; ut suo loco declaratum est. Ratio porro spectari potest, vel ut est potentia hominis physica; tumque libertas ex ea etiam oritur, ut potentia physica; vel spectari potest ut regula dirigens, tumque libertas, prout ei subest, intelligitur esse facultas moralis. Nemo enim habere potest moralem, ac legitimam facultatem aliquid agendi, nisi prout facultas agendi, qua naturaliter pollet, conformis esse censetur rectae rationi, atque adeo rationi, et regulae dirigenti. Jam vero ratio non habet vim regulae dirigentis, nisi ex lege aeterna et vi aeternae legis, ut constat. Ergo libertas moralis, et legitima facultas, jusque agendi, totum pendet ex ipsa aeterna lege, cui legi proinde obnoxia est voluntas in omni suo actu, et usu facultatum, quae sibi subjectae sunt. Tantum ergo abest, ut aliqua sit in voluntate possessio adversus legem divinam, quin potius ipsum jus legis semper antecedit quemcumque usum, et actum libertatis. Falsum est igitur in dubio, utrum aliquid immediate, vel mediate aeterna lege prohibeatur, sitque adeo illicitum, vel permittatur, sitque adeo licitum, possessionem stare pro libertate, et non potius pro lege Dei, quod etiam opportuno admodum exemplo demonstrat Jgnatius de Camargo in signis teologus: Paulus scilicet, vel ex gratitudine, vel pure liberaliter concedit Petro facultatem amplissimam utendi rebus suis, aliquibus tantum exceptis, retinens tamen sibi rerum omnium suarum jus absolutum,

atque directum: occurrat Petro dubium circa rem aliquam determinatam an sit ex illis, quas Paulus excepit, ita ut nec possit Paulum consulere, nec alia via dubium resolvere, certe si dubio isto perseverante Petrus uteretur re illa, de cujus concessione, vel exceptione sibi non constat, procul dubio peccaret, et injuste se gereret contra Paulum, quod nemo, puto, negare audeat. Quare vero Petrus peccaret? quia non habet jus aliquod ad usum rerum Pauli, nisi ex libero ipsius Pauli consensu: quapropter ubi dubius consensus est, nonnisi dubium jus Petrus habere potest.

Jam vero quis negare audeat dominium, quod habet voluntas in suos actus, totum sibi a Deo concessum fuisse, quin Deus supremum suum in voluntatem ipsam, omnesque illius actus dominium amittere unquam potuerit? Quis neget non posse adeo voluntatem legitime uti tali dominio, nisi prout ejus usus sibi fuit a Deo permissus, et concessus? Quis non videat ex eo perpicue sequi in dubio utrum Deus talem usum ejus dominii permittat, an prohibeat, non posse voluntatem sine injuria in Deum illata hoc dominio uti, ut sibi libet; quandoquidem jus, quod habet a Deo legitime utendum, totum est ex concessione Divina, qui proinde usus in dubio de concessione numquam legitimus esse potest?

Hoc autem plurimus fefellit, quod in materia justitiae, vera, legitima, et certa possessio rei sejungi possit a vero, legitimo, et certo jure dominii in rem eamdem. Ex gr. possidet quis bona fide praedium haereditate acquisitum. Fieri potest ut haec possessio sit certa, et legitima: deinde fieri potest, ut excitetur dubium de jure dominii in ipsum praedium; tandem fieri potest, ut antea quam dominium praescriptione acquiri potuerit, proferatur ex parte adversa titulus, quo constet alterum habere verum, et certum jus dominii in hoc praedium: attamen quamdiu res fuit sub dubio ex aequitate, et voluntate reipublicae, cui dominia sunt subjecta, possessio tribuebat possidenti verum jus retinendi praedii: etiamsi revera careret vero, et legitimo dominio. Ex quo patet, quemadmodum in materia justitiae possit interdum vera, certa et legitima possessio sejungi a vero, certo, et legitimo jure dominii. At vero in omni alia materia, vera, certa, et legitima possessio numquam potest sejungi a vero, certo, et legitimo jure. Sic juvenis ante vigesimum primum aetatis annum est in vera, certa, et le-

gitima possessione suae libertatis ad non jejunandum, quia pollet vero, legitimo, et certo jure, quod eximitur a lege jejunii. Ergo quotiescumque jus ad agendum non erit certum verum, et legitimum, nec vera, certa, et legitima esse poterit possessio libertatis ad agendum. Sed ub occurrit dubium, num licite quis agere quidquam possit, patet jus ipsum agendi licite, non esse certum, legitimum, et verum. Ergo nec vera, aut certa, aut legitima possessio libertatis.

Dicimus propterea tertio alienum esse prorsus, quod tamen quodammodo fingere coguntur adversarii, in dubiis libertatem se gerere tamquam reum, legem velut actorem, conscientiam vero ut judicem sedere; quae proinde jure veluti suo manu teneat libertatem in sua possessione, quousque de jure legis ad coercendam libertatem certo constet. Primo enim nulla litis species interesse posse intelligitur inter Deum, et hominem. Nulla quippe lis esse potest inter duos de re, in qua unus ab altero absolute pendet, et jus ipsius juri alterius est prorsus obnoxium. Atqui hoc modo se habet libertas erga Divinam legem. Ergo rabula sit oportet, qui velit libertatem instigare ad litigandum de sua possessione contra divinam legem. Deinde nemo profecto personam, et conditionem Judicis illi tribueret, qui nihil posset suo consilio, suaque sententia statuere, quique non posset aliud judicare, quam quod unus litigantium ipsi jure suo judicandum praescriberet: atqui tamen talis est conditio conscientiae, prout refertur ad legem: enim vero judicium conscientiae non aliud est nisi judicium ductum ex lege, ut antea vidimus; adeo ut munus conscientiae in decernendo quid sit agendum, non aliud sit, quam intimare quod ipsa lex praescribit. Igitur nullo pacto potest conscientiae congruere conditio, et munus judicis inter libertatem, et legem nec libertati jus aliquod asserere contra legem. Quod etiam hoc exemplo patebit. Si quis princeps vellet per interpretem mandata sua perferri ad subditum; atque occurreret dubium de aliquo mandato principis, eo quod ipse interpres non plane intellexisset voluntatem principis, profecto eo eventu subditus, cui ab interprete deferretur mandatum dubium principis de aliquo agendo, minime posset propter illud dubium ab interprete solvi obligatione, neque excusaretur apud principem, si, stante dubio, eam suasu interpretis partem elegisset, quae suae libertati faveret. Jam vero conscientia est velut interpres declarans,

quid in singularibus actibus Deus vel jubeat, vel prohibeat, vel permittat agere. Ergo in dubio de jussione, aut prohibitione legis divinae nullam vim habet, qua hominem solvere queat illa universali obligatione, qua tenetur, ne se committat periculo aliquid agendi contra Dei voluntatem.

Prob. insuper eadem propositio invictissima ratione. Nam si verum est, quod expressis verbis post Terillum adversarii communiter docent tamquam evidens, voluntatem esse ex naturali suae conditionis excellentia in plenissima possessione dominii circa suos omnes actus, nec ab ea deturbari debere, nisi pari evidentia constet, usum hujus dominii aliqua sibi lege restringi, adeoque donec certo constet existere legem restringentem dominium naturale, ejusque usum, non teneri hominem talem legem admittere: si haec inquam, vera sunt: ergo vere docuit Caramuel posita tantum non certitudine legis, oriri certitudinem de honestate operationis contra legem, adeo ut quidquid non certo constat esse prohibitum, eo ipso certo constet esse licitum. Atqui tamen hoc perniciosum dogma rejiciunt ipsimet probabilistae, utpote quod continet principium contentum in propositione tertia damnata ab Innocentio XI de tenui probabilitate: nam certe quamdiu habetur probabilitas tenuis quidem, sed tamen vera probabilitas, utpote quae ex finibus probabilitatis non exit, suadens rem esse licitam, non plane certo constat, et evidenter, illam esse illicitam: et tamen licet proter talem probabilitatem, tenuem, sed veram, non certe constare possit actionem esse prohibitam, decernit pontifex non propterea talem actionem licere. Igitur falsum est, ac damnatum Caramuelis exitiosum principium. Atqui tamen hoc principium Caramuelis idem est, atque illud, quod ponitur a Terillo, nimirum hominem esse in plenissima possessione dominii ad legitime agendum quod sibi placet, donec certe constet, et evidenter existere legem hoc dominium restringentem: et hoc principium contineri quoque videtur in extensione regulae, quam adstruere adstipulatores illius conatur de meliore conditione possidentis in dubiis Ergo etc.

Prob. denique, quia si propter allatam regulam posset quisque eligere partem libertati faventem, utpote possidenti, haec regula valeret non solum in dubio juris speculativo, ut contendunt adversarii, sed etiam in omni dubio quantumvis practice practico, quod tamen ipsi negant. Nam ratio, pro-

pter quam in primo genere dubii hanc regulam valere volunt, tota nititur hoc fundamento, nimirum voluntatem manere in possessione suae libertatis ad quidvis legitime agendum, quousque non constet de aliqua obligatione libertatem adstringente. Atqui in dubio etiam practico, quantumvis practice practico, non constat haberi aliquam obligationem hoc potius, quam illo modo agendi, secus non esset dubium. Igitur in hoc etiam dubio semper posset voluntas libertatem suam naturalem praetendere, et partem libertati faventem jure suo eligere.

Hinc dubius de contracta irregularitate, vel excommunicatione non deberet se gerere tamquam irregularem, et excommunicatum, eo quod antea erat in possessione sacri ministerii obeundi, vel bonorum spiritualium communium.

Hinc dubius utrum casus sit reservatus posset ab illo absolvere.

Hinc dubius utrum commiserit peccatum mortale, non teneretur illud confiteri.

Hinc dubius de legitima potestate praelati, non teneretur illi obedire.

Hinc dubius utrum beneficium sit tenue, non teneretur officium recitare.

Quae omnia multi, et quidem ex celeberrimis probabilistis ex illa commentitia regula duxerunt, atque docuerunt, quia revera tali principio admisso tales conclusiones sponte sua fluunt, quae tamen quum haud probandae videantur, satis demonstrant falsitatem ejus principii, e quo legitime illas concludi agnoverunt non pauci acutissimi viri, maximeque insignes, qui hoc principium adhibuerunt.

Hinc etiam patet commentitias esse prorsus distinctiones a nonnullis adhibitas pro dijudicanda possessione libertatis, vel legis, ex. gr. dicunt, si dies est jovis, dubitetur autem num jam media nox elapsa sit, potest adhuc esculenta quaevis sumere, quia die jovis libertas est in possessione. Si autem dies est sabbati similiterque dubitetur de media nocte, debet abstinere a carnibus manducandis, quia praeceptum possidet: quae quidem videntur esse joco similia. Possessio libertatis, ut jam vidimus, non alia intelligi potest, nisi facultas moralis ad aliquid legitime agendum, quae proinde nullo nexu obligationis sit impedita; quae possessio proinde,

ut sit certa, oportet, ut certo haec facultas nulla sit obligatione impedita. Ex alia parte certo constat, die veneris, ac sabbati interdictum esse ab ecclesia esum carnium, reliquis diebus permissum. Igitur, sive dubium sit de die dominica forte nondum incepta sive de die jovis forte jam elapsa, perinde non constat, utrum jam revera locum non habeat praeceptum abstinendi a carnibus, atque adeo non constat immunitas libertatis a nexu obligationis. Perinde ergo non est certa libertatis possessio adversus legem.

Objicitur primo. Subditus dubitans de justitia belli tenetur nihilominus, jubente principe, arma ferre, et militare adversus hostes, et generatim unusquisque tenetur obedire superiori in dubio etiam, utrum id, quod praecipitur sit justum, an injustum: eo tamen eventu qui paret, exponit se periculo faciendi, quod in se injustum revera sit. Ergo non semper tenetur partem amplecti tutiorem.

Resp. Concedendo propositionem, negando consequentiam. Tenetur certe subditus in dubio de justitia belli, pugnare, jubente principe, contra hostes. Sed haec revera est pars tutior, ut perspicue constat ex Augustino relato in canone. *Quid culpatur?* quaest. 1. caussa 23. ubi primum docet non solum auctoritatem suscipiendi belli, sed etiam consilium de suscipiendo bello penes principem esse: « Ordo enim, inquit il« le, naturalis mortalium paci accommodatus hoc poscit, ut « suscipiendi belli auctoritas, atque consilium apud principem « sit. » Ex quo perspicue intelligitur minime pertinere ad subditos consilium, seu disquisitionem, et judicium de justa, vel injusta belli caussa. Deinde illo eodem canone de subdito in bello forte injusto bellante concluditur, recte illum, rege jubente, bellare; quippe in tali dubio innocentem militem ostendit ordo serviendi. Quum ergo subditus eo eventu nequeat subducere se imperio sui principis sine manifesta violatione ordinis naturalis, atque paci mortalium accommodatissimi, et ex alia parte tutius sit quod removet a majoris, certiorisque mali, et peccati periculo, patet in eo dubio tutius esse illi obedire, penes quem certo constat jus esse imperandi: alioquin maxima sequeretur in republica, et tota humani generis societate perturbatio si propter inferiorum dubia, quae infinita exoriri possunt, justa suppeteret ipsis caussa detrectandi imperii. In illis quoque rebus, de quarum justitia, vel injustitia potest subditus cognoscere, dubio post debitam adhibi-

tam diligentiam perseverante, pars tutior est superiori obedire, prout et sanctorum patrum auctoritatibus constat.

Ob. Secundo cap. *Laudabilem de frigidis, et maleficiatis* in dubio de impotentia conceditur conjugibus, ut per triennium hanc explorare, utrum sit, nec ne, cohabitando queant: atqui tamen eo eventu tutius foret a tali experimento abstinere, in quo forte coujugii actus praeter coujugium exerceatur. Ergo etc.

Resp. Quod citato capite conceditur in dubio de impotentia revera tutiori parti favere. Nam ex dubio de impotentia dubium emergit, num contractum matrimonium sit validum, nec ne. Imminet ergo ex hac parte periculum, ne forte aut validum declaretur matrimonium, quod reverà nullum est, quo, et sacramenti sanctitas violaretur, et laederetur jus unius partis ad contrahendum legitimum conjugium, aut invalidum declaretur matrimonium revera validum, quod etiam et uni conjugi, a quo alter abstraheretur, injuria fieret, et violaretur indissolubilis nexus sacramenti. Ergo quum ex utraque parte periculum alicujus mali immineat, merito est constitutum, ut ea pars teneatur, quae a majoris mali periculo removet. Est autem majus periculum violationis nexus indissolubilis sacramenti, tum etiam injustitiae erga unum conjugem, quam periculum, quod imminet ex alia parte actus conjugii exercendi praeter conjugium.

Ob tertio. Qui dubitat, num aliquod votum fecerit, non tenetur dubium illud votum persolvere. Atqui ob rationem sane, quod ei suffragatur possessio suae libertatis. Ergo pariter in aliis libertatis possessio praevalere judicanda est contra partem tutiorem.

Resp. Neg. propositionem. Nam dubio voto unumquemque adstringi rectissime probat Vasquesius disputatione 65. cap. 3. ex eo, quod possessio libertatis non magis favet dubitanti de voto nuncupato, quam dubitanti de homicidio perpetrato. Atqui tamen hic tenetur tutiorem partem sequi, seque gerere ut irregularem; ergo etiam partem tutiorem amplecti qui dubitat an voverit. Addit etiam si regula de meliore conditione possidentis in dubio voto valeret, futurum ut in omni quoque alio dubio valeret, quo alia regula corrueret, de tutiore parte in dubiis eligenda.

At inquies: si dubium votum esset de pecunia ex liberalitate alicui homini largienda, tunc saltem melior esse de-

beret conditio possidentis: nam in dubio voti non habet jus majus ad pecuniam habendam ille, cui destinata fuisse ex voto dubitatur, quam alter ad pecuniam retinendam. Ergo praevalere debet possessio. Verum quis non videat non hic agi de obligatione justitiae, ubi possessio utique suffragatur possidenti? Nam qui vovit, non ex justitia est obligatus erga hominem, cui vovit, se daturum pecuniam, sed est obligatus Deo, cui promisit eam pecuniam se illi homini daturum. Quare obligatur sacro religionis vinculo ad votum persolvendum: quumque in dubio voti periculum immineat violandae religionis, nisi votum solvatur, patet ex dictis nullam possessionem praetendi posse, vi cujus tuto possit homo se tali discrimini objicere.

CAPUT V.

Utrum per reflexa quaedam principia tollatur obligatio sequendi partem tutiorem in dubiis.

Post allatas regulas, quas superius expendimus, alia quaedam effata ex iisdem ducta opponunt adversarii, quibus effici putant in parium momentorum conflictu licitum esse cuique partem amplecti libertati indulgentem. Haec breviter proponere jam opus est, brevibusque animadversionibus refellere.

Ajunt itaque primo: legem, seu interdictum dubium non posse parere obligationem certam. Quod etiam ex eo confirmant quod lex non praesumitur, nisi probetur. Secundo legem, de qua diligenti adhibito studio dubitetur num existat, nec ne, non esse saltem sufficienter promulgatam, adeoque non obligare. Tertio legem, quam latam esse, omni adhibito studio, explorate percipi non potest, invincibiliter ignorari, immo recte judicari posse non fuisse latam, quia si esset, post eam diligentiam perspicue innotesceret.

PROPOSITIO I.

Lex dubia parit obligationem certam, non directe vi sua, et propria, sed vi legis generalis vetantis, ne quis exponat se discrimini peccandi.

Prob. Est certa lex naturalis, et divina vetans, ne quis exponat se periculo peccandi, ut antea probatum est. Sed ille, qui dubius, num quod committit sit forte contra praeceptum, atque adeo sit illicitum, exponit se periculo faciendi aliquid contra legem, atque adeo peccandi, quandoquidem peccatum est dictum, factum, vel concupitum contra legem. Ergo licet non obligetur vi directa ejus legis, quae dubia est, obligatur tamen vi legis illius generalis, quae certissima est, vetantis, ne quis se exponat periculo peccandi.

Atque hanc quidem legem naturalem esse, ex eo confirmari potest, quod eam vel ipsi veteres philosophi naturali lumine agnoverint, ut proinde cautius, ac severius hac in re, quam adversarii, loquatur Tullius lib. 1. de officiis. « Bene praecipiunt, qui vetant quidquam agere, quod dubites « aequum sit an iniquum. »

Accedit auctoritas Tertulliani lib. de Cor. Mil. cui quum objiceretur illud ipsum, quod opponunt adversarii: *Quod non prohibetur, ultro permissum est*: Agebatur autem de eo, quod liceat, quum adhuc lex est incerta: ipse respondet: *immo prohibetur, quod non ultro permissum est:* ex quo intelligitur, nisi multo potior sit ratio existimandi actionem esse permissam, tamdiu ab ea esse abstinendum. Quod porro additur, legem non praesumi, nisi probetur, valet in judiciis, pertinetque ad ea, quae dicta sunt de regula praescribente, quum partium jura sunt obscura, reo potius esse favendum, quam actori.

Patet autem, quod dictum est de dubia latione legis, valere quoque de dubia illius promulgatione. Nam stante dubio concedimus legem non obligare quidem vi propria, et directa, sed indirecte vi legis generalis vetantis agere, quod dubites aequum sit, an iniquum.

PROPOSITIO II.

In dubio de obligatione nulla esse potest ignorantia ejusdem invincibilis eximens a peccato.

Prob. Nam ignorantia invincibilis a peccato eximens, ea est, quae facit actionem esse prorsus involuntariam, prout est haec actio contra legem: sic si quis ex antecedente ignorantia hominem interficiat, putans feram occidere, ideo culpa caret, quia nec cognovit, nec cognoscere potuit occisionem quam patrabat, esse homicidium: atque idcirco ipsi homicidium est penitus involuntarium. Et sane si probabili aliqua ratione suspicatus ille fuisset, ibi latere hominem, quo sagittam dirigeret, nemo diceret homicidium ei fuisse involuntarium. Atqui ille, qui proprie dubius est de obligatione, habet eo ipso notitiam aliquam de actione, si non certo, saltem probabiliter, vel dubie vetita. Ergo si ponit hanc actionem, talis actio non est ei prorsus involuntaria: et si forte haec actio sit contra legem, non est ei prorsus involuntarium, quod legem violaverit. Atqui violatio legis, quae materialis dicitur, statim atque non est prorsus involuntaria, est peccatum. Ergo etc.

Certe ubi habetur dubitatio de facto nulla est ignorantia invincibilis ejusdem. Ergo etiam in dubio de lege ignorantia legis, et consequenter obligationis nequit esse invincibilis. Consequentia valet: nam, licet quoad aliqua non eodem loco habenda sit ignoratio juris, et facti, tamen ipsa ratio, definitio, et idea invincibilis ignorantiae secundum se spectatae eadem est pro jure, atque facto. Quod ergo adversarii contendunt dubiam obligationem, si adhibito studio dubia permaneat, nullam fieri, hoc sane qualecumque sit, quod satis apparet ex dictis, non ex eo saltem capite evincere possunt, quod in tali dubio actionis pravitas ignorantia invincibili excusetur.

Alia est proinde ignorantia invincibilis excludens omnem prorsus notitiam legis, alia est ignorantia invincibilis excludens tantummodo certam notitiam existentiae legis. Prior ideo eximit a culpa, quia sub ea ignorantia actus est ex omni parte involuntarius. Posterior autem non reddit actum penitus involuntarium. Ponamus enim dubitari de contractu quodam, u-

trum liceat, nec ne, ponamus contractum illum in se revera esse illicitum, licet hoc non potuerit certo constare, in tali dubio qui contractum illum facit, ille certe revera committit contra legem, atque adeo admittit peccatum saltem materiale. Insuper tale peccatum materiale contra legem non ei est prorsus involuntarium: nam stante notitia dubia legis poterat ab eo abstinere, et voluntarie fecit, quod sciebat forte esse contra legem. Sed ignorantia invincibilis non eximit a peccato, nisi prout actum reddit prorsus involuntarium. Ergo quum in dubio actus non sit prorsus involuntarius, ignorantiae invincibilis nomine excusari non potest: quod si contractus, de quo dubitatur, esset in se revera licitus, non peccaret quidem contra legem aliquam justitiae, verbi gr. qui cum dubio talem contractum iniret, sed nihilominus peccaret contra universalem legem vetantem exponere se peccandi periculo.

Sunt vero qui ajunt: multum studium adhibui, nec tamen legem certo deprehendere potui. Lex ergo illa non est, secus mihi innotuisset; sed hoc nimis confidenter dictum videtur. Quis enim sibi blandiri possit in studio divinae legis investigandae, addiscendae, meditandae nullam culpabilem negligentiam, nullam praejudicatam notionem, nullum vitiosum affectum sibi obrepisse? Longe modestius de se sentiebat regius propheta, qui Deum orare non desinebat, ut sibi tribueret intellectum ad scrutanda ejus mandata, atque se bonitatem, atque disciplinam, et scientiam doceret. Non videtur itaque refellenda oratio, quam nemo non adhibebit, qui modo se hominem meminerit.

Objicies vero Lactantium, qui lib. 3. Instit. cap. 27. ait: « Stultissimi est hominis praeceptis eum velle parere, quae « utrum vera sint, an falsa dubitatur. Et ideo nemo paret, « quia nemo vult ad incertum laborare. „

Resp. Lactantium loqui de praeceptis regendae vitae, quae variae sectae gentilium philosophorum exprimebant: ostendit autem illis philosophis, et auctoritatem defuisse condendorum praeceptorum, et eos insuper in variis, incertisque, et contrariis conjecturis plerumque versatos esse, et ob eam caussam merito dicit stultissimi hominis esse se ad illas vitae institutiones adjungere, quales praescribuntur a philosophis. Sed nusquam dicit Lactantius in dubio de praecepto a legitima auctoritate profecto non esse obtemperandum. Quare perperam in hanc quaestionem detorquetur locus ille Lactantii.

Objicitur etiam D. Gregorius lib. 9. registri, ep. 26. ajens: „ Melius est in dubiis non districtionem exequi, sed ad benignas potius partes inflecti. „

Resp. D. Gregorium ea epistola romano defensori praecipere, ut donatam ab Ammonia romanae ecclesiae domum, Calixeno illius nepoti Stephaniae filio reddat. Scilicet Stephania sanctissimo pontifici, et nimiam parvuli Calixeni pauperiem cum lacrymis, et obsecratione exposuerat, et simul Ammoniam, quae domum alienarat, ejus alienandae facultatem non habuisse. Contradictor autem extiterat Cyprianus diaconus asserens Stephaniam nullum jus habere domus repetendae. In hac disceptatione S. Pontifex ne mulieris indigentis lacrymas inanes relinqueret, et plus sequi rigoris viam, quam caussas videretur pietatis complecti, mandat ut domus reddatur, subjungens in dubiis melius esse non districtionem exequi, idest proprium jus nimio rigore persequi, sed ad benignas potius partes inflecti, idest partem sequi charitati, et misericordiae in pauperes magis faventem. Quo dicto utrum D. Gregorius eorum opinionibus faverit, qui volunt in dubiis ultro sequendam partem libertati contra praeceptum indulgentem, penes omnes judicium esto, ut proinde adversarii, qui ea duo loca ex Gregorio, et Lactantio protulerunt, si quidem ea viderunt, et recognoverunt, vix liberari possint aliqua minus aequi animi suspicione.

QUAESTIO III.

De conscientia probabili.

Perspicuum est conscientiam dici probabilem, cujus judicium probabilibus tantum argumentis nititur. De hac multae, veehementesque disputationes inter theologos excitatae sunt, de quibus si quidem vera sunt, quae superioribus quaestionibus fuerunt constituta, liquido constare jam potest quid sit sentiendum. Multus tamen sermo, qui passim de probabilibus opinionibus habetur, facit, ut aliqua sint etiam nobis de iisdem singillatim dicenda.

CAPUT I.

Notiones afferuntur probabilitatis, et opinionis.

Probabile latissima significatione acceptum, si quidem accurata, et philosophica ejus vocis notio exquiratur, definiri posse nobis videtur argumentum seu medium contingenter cum perspecta quadam veritate connexum, vi cujus intelligitur, cur aliquid potius esse, quam non esse debeat, aut contra. Hujus definitionis amplior explicatio non est hoc loco repetenda. Accidit vero interdum duo esse contingenter quidem connexa, sic tamen ut posito uno connexo, alterum ut plurimum ponatur. Tum si quis, uno posito connexo, concludit alterum vel positum, vel ponendum, judicium faciet simile plerisque veris judiciis. Erit ergo tale judicium verisimile. Et haec esse videtur verisimilis propositionis perspicua notio. Opinia dici potest assensus probabili argumento innixus. Verum in hac tota disputatione nobis constitutum est ab usitatis definitionibus non recedere, illisque sic uti conabimur, ut ex iis veritatis explicatio sponte sua fluxisse videatur.

Opinio vulgo definitur assensus uni parti contradictionis cum formidine alterius. Breviter hic notandum, assensum opinantis tribui propositioni ut verae, sive per assensum, quem opinans propositioni tribuit, eam judicari veram ab assentiente, ut ipsi etiam agnoscunt probabilistae his verbis: « Omnis opinio est assensus, quem quis putat verum, et non « falsum, quia impossibile est assentiri, nisi moveat veritas « saltem apparens, et apprehensa. Unde omnis opinio est ad « solum verum. » Unde formido, quae consequitur assensum opinantis, non impedit, quominus veram judicet propositionem, cui assentitur. Haec formido proinde non alia esse intelligi potest, quam reflexa cogitatio, qua mens secum ipsa reputans argumentum, quo nititur ejus assensus, judicat absolute fieri posse, ut res aliter habeat, licet eo tempore propositionem ut veram reapse habeat. Sic dum quis assentitur, et credit amico probo, et diligenti rem aliquam sibi perspectam narranti, ejus assensus non est nisi opinativus, et tamen rem ab amico narratam absolute credit veram esse. Formido ergo talem assensum consequens non est, nisi ea reflexa cogitatio, qua reputat nihilominus non repugnare, ut falsum sit,

quod amicus narrat, etiam dum ei sine ulla haesitatione credit, et assentitur. Talis ergo formido spectanda est ut actus potius concomitans, vel consequens assensum opinantis, quam ipsum intime afficiens.

Opinio probabilis non una eademque ratione definitur ab ipsis probalilistis. Layman eam sic definit. « Quae certitudi-« nem non habens, tamen vel gravi auctoritate, vel non mo-« dici momenti ratione nititur. »

Hinc primo dividitur probabilis opinio in probabilem extrinsece, et probabilem intrinsece. Prior quae gravi auctoritate, posterior quae non modici momenti ratione nititur.

At quaeri potest, quae sit auctoritas gravis, item quae ratio non modici momenti. Ad primum respondet laudatus scriptor, auctoritatem gravem hoc loco censeri debere, quae est saltem unius viri docti, et probi, qui tamen talem doctrinam non inconsiderate, et temere, sed post perspecta rationum pondera, quae in oppositum afferri possunt, amplexus est. Ratio vero non modici momenti ex eodem illa esse intelligitur, quae persuadet viro docto propositionem aliquam esse veritati consonam; vel, ut alii dicunt, motivum grave, et magni momenti est, quod per se loquendo aptum sit virum prudentem determinare ad assensum. Sed quum auctoritas gravis ei viro tribuitur, quem moveant rationes graves, aut saltem non modici momenti, quique proinde sit et doctus, et prudens; rationes autem istae graves, et non modici momenti dicuntur illae, quae movent virum doctum, gravem et prudentem; dumque adeo a viro gravi delabendum est in rationem gravem, rursumque a ratione gravi redeundum in virum gravem, haud levis momenti res esse videtur, aut viri, aut rationis gravis intelligentiam eruere. Sed de his deinceps.

Celebris scriptor opinionem probabilem definit judicium incertum, nitens motivo absolute, et respective gravi. Vult itaque primo motivum esse grave, tale scilicet, quod sit aptum virum prudentem pertrahere ad assentiendum. Secundo, ut sit absolute grave non ex accidente, velut ex vehemente passione, ex pertinacia, ex inordinatione affectus, ex negligentia inquirendi verum. Tertio, ut sit etiam respective grave, idest grave adhuc remaneat etiam, quum attenduntur motiva opposita, quae opposita motiva, si certa prorsus fo-

rent, non amplius erit illud respective grave, sed elidetur.

Alter ex casuistarum mente opinionem probabilem sic describit: « Firmum, fixunque judicium ex gravibus rationibus « ortum, quod nec evidenti rationi, nec verbis scripturae « sanctae, nec conciliorum actis, nec summorum pontificum « decretis, nec unanimi patrum consensui adversatur. » Graves autem rationes vocat: « Quae tam prope ad veritatem « accedant, ut, licet non cogant, tamen animo sapientis, « et intelligentis viri satisfaciant, et ita solidae sint, ut aperte « falsae demonstrari nequeant. »

Quod autem hac postrema definitione dicitur opinio, firmum esse, fixumque judicium superiori definitioni adversari videtur, qua incertum esse opinionis judicium statuitur. Verum conciliari possunt allatae probabilistarum definitiones, si superior referatur ad opinionem probabilem objective consideratam, postrema ad opinionem probabilem spectatam subjective. Objective probabiles dici possunt opiniones omnes, quae in scholis in utramque partem inter doctores agitantur. Nam ex una parte tales opiniones ejusmodi argumentis nituntur, quae apta sunt aliquos solum doctores movere; ex alia parte quum sint opiniones non unius tantum, aut alterius privati, sed in scholis publice disputentur, Ecclesia vel permittente, vel tolerante, nulli privato licet, quantumvis dissentiat, earumque falsitatem perspicue sibi deprehendere videatur, easdem censoriis notis inurere. Subjective autem probabilis opinio est, quam quisque suo judicio approbat, eidemque ut verae assentitur. Talem assensum consequitur firmum, fixumque judicium, quo quis verum id esse statuit, quod sibi reapse ut verum repraesentatur. Sic multi firmo, constantique judicio assentiuntur sententiae D. Thomae negantis actus indifferentes in individuo, eique assentiuntur, ut sententiae prorsus verae. Nihilominus quia opposita opinio multis placet, iisdemque praestantissimis theologis, adhuc censenda est objective probabilis ab iis etiam, qui eam in se falsam prorsus esse judicant.

Hinc secundo facilius intelligi poterit altera probabilis opinionis divisio, qua dicunt aliam esse probabilem quoad se, aliam quoad nos. Priorem ajunt, quae a parte rei nititur motivo gravi, licet gravitas ejus a nobis non agnoscatur. Revera tamen a parte rei omnis opinio est vera, vel

falsa, omneque proinde motivum, seu argumentum adducens ad verum est a parte rei grave, leve a parte rei, quo falsum concluditur. Revera itaque haec major, vel minor gravitas referri debet ad humanum intelligendi modum. Nihil tamen vetat, ut probabilis quoad se dicatur opinio tantum objective probabilis, modo illud etiam retineatur, talem probabilitatem, atque ut talem cognitam, utpote indifferentem ad verum, et falsum, examini subjiciendam esse, antequam approbetur, et per se non habere nisi immunitatem a privati cujusque censura. Opinionem porro probabilem quoad nos dicunt, « quae invincibiliter a nobis judicatur niti motivo gra-
« vi, quamvis reipsa grave non sit: ideoque opinio talis,
« quae reipsa non nititur motivo gravi existenti, sed tantum
« praesumpto; licet secundum se non sit reapse probabilis,
« tamen respective ad intellectum nostrum ita dispositum cen-
« setur probabilis.

Hinc tertio aliae perhibentur opiniones certo probabiles, aliae probabiliter tantum probabiles, aliae tenuiter, aliae dubie probabiles. « Certe probabilis est opinio, quae de facto
« viget inter auctores, quamque ecclesia tolerat, nec sapien-
« tes improbant: si tamen alicui contra eam occurrerent no-
« vae, et gravissimae rationes, desineret respectu ipsius esse
« certo probabilis. » Haec definitio est probabilistarum, qua patet non aliud probabile significari, quam probabile objectivum, et immunitatis a privata censura.

Probabiliter probabilis dicitur, cujus probabilitas motivo tantum probabili innotescit. Ex. gr. sententia, quam de moribus docuerit S. Thomas habet vel ex sola ejus auctoritate probabilitatem sane gravissimam; si autem unius tantum viri probi, et docti testimonio accipiat aliquis talem sententiam fuisse a D. Thoma traditam, profecto gravissima probabilitas ejus sententiae nonnisi probabili motivo innotescit, estque adeo probabiliter tantum probabilis. Tenuiter probabilis dicitur, quae levi fundamento nititur. Contendunt autem recentiores probabilistae duos illos terminos *tenuis*, *probabilitas* sibi esse veluti oppositos, eo quod omnis probabilitas inferat motivum grave, hoc autem tollatur eo ipso, quod probabilitas tenuis dicatur. Itaque nullam tenuem probabilitatem relinquere isti volunt.

Sed hic verendum ne verbi ambiguitate communis hominum sensus offendatur, tenues probabilitates universe agno-

scentium, et pontificum decreta eludantur de tenui probabilitate; quae tamen a probabilitatis finibus non exeat, sitque adeo vera probabilitas. Et sane probabilistae opiniones admittunt alias magis, alias minus probabiles multis etiam gradibus differentes, omnes tamen vere probabiles. Sit ergo una quaelibet opinio probabilis, dicaturque illius fundamentum grave quantumlibet, sit porro ex adverso alia probabilior opinio, erit ergo ejus fundamentum gravius. Igitur fundamentum prioris comparatum cum fundamento alterius minus grave sit necesse est. Minus grave porro comparatum cum graviore, communi hominum et sentiendi, et loquendi usu tenue dicitur, et prout in ea comparatione unum extremum magis distat ab alio, unum tenuius dicitur, alterum gravius. Quum autem probabilistae non vereantur agnoscere opiniones probabiles alias aliis multis gradibus probabiliores, omnino etiam agnoscere debent aliquas esse opiniones probabiles simul, et tenues ex usitata sentiendi, et loquendi consuetudine.

Opinio est dubie probabilis, inquiunt probabilistae, primo si dubitetur, an motivum ejus grave sit, an leve. Secundo si sapientes dubitent de probabilitate illius. Tertio, si detur principium certum, et dubitetur, an ei repugnet opinio. Quarto, si auctores ejus non sint, vel dubitetur an sint omni exceptione majores. Quinto, si ratio ejus non videatur firma. Sexto, si sit opinio singularis auctoris, qui rationem sufficientem non afferat. Septimo, si unus, vel alter tradant eam, plures alii dicant eam vel improbabilem, vel parum tutam, vel rejiciendam. Octavo si auctor, vel auctores non sint diu probatae auctoritatis, vel non sint sufficienter noti ex suis scriptis, aut aliunde. Nec obstat, quod sint multi, quia saepe unus exscribit ex altero, et sequitur velut ovis ovem. Ita probabilistae.

De probabiliore autem opinione, atque de conditionibus, quibus eam insigniunt probabilistae, sermo suo loco recurret. De divisione vero opinionis probabilis in speculative, et practice probabilem, repeti possunt quae superius dicta sunt de dubio speculativo, et practico.

CAPUT II.

Utrum, et quemadmodum certitudo directe oriri queat ex probabilitate.

Prima jam nobis enucleanda sunt consectaria, quae ex probabilitatis, et opinionis notione constituta erui possunt.

Certitudo vel referri potest ad rem ipsam seu propositionem, quae certa dicitur, vel ad cognitationem rei, sive ad assensum, qui tribuitur propositioni. Prior dicitur certitudo objecti, estque immutabilis rei, vel veritatis, sive haec oriatur ex objecti natura, si objectum est necessarium, sive ex determinatione jam facta, si objectum sit contingens. Posterior certitudo, quae subjectiva vocari potest, est « firmitas « quaedam assensus nostri ad rem, quae cognoscenda, vel « credenda proponitur. » Ita Bellarm. lib. 3. de Justificat. cap. 2.

Certitudo vulgo triplex distinguitur; metaphysica, quae principia evidentia, et conclusiones rite ex iis ductas consequitur; physica, quae sensuum testimonio, et experientia nititur; moralis, quae argumentis officitur non quidem necessario per se, et natura sua cum veritate conjunctis, sed tamen numquam, vel vix umquam fallentibus. Ad certitudinem metaphysicam eminentiore quodam modo revocatur certitudo fidei divinae propter immutabilem veracitatem divini testimonii.

Certitudo moralis duplex iterum distinguitur, una perfecta, et summa, quae nullam dubitationem, aut suspensionem ne imprudentem quidem relinquit. Talis est certitudo, qua unicuique persuasum est existere, vel saltem hactenus extitisse urbem, quae dicitur Constantinopolis. Et quidem talem certitudinem, quae oritur ex communi, et constanti hominum testimonio cujusque gentis, aetatis, et generis principio niti metaphysico, atque adeo ipsi physicae certitudini antecellere nos alibi demonstravimus.

Certitudo moralis imperfecta subjective sumpta recte describitur a probabilistis magni nominis, nempe illam esse, qua « in temporalibus ancipitis exitus rebus, atque negotiis « contenti esse solent homines sui, rerumque suarum tem« poralium minime negligentes, nec imprudentes, ac stulti

« habiti in saeculo. » Rectissime quoque docent: « Si omni-
« bus ex veritatis amore utrimque perpensis, aliquis judicet
« sententiam aliquam ita esse veram, ut vix supersit aliqua
« apparentia veri, vel scrupulus pro opposita, eo quod etiam
« hujus argumenta ad satisfactionem intellectus facile sol-
« vantur, talem sententiam dici debere ipsi moraliter cer-
« tam. »

At minus recte docere videntur ad efficiendam hoc modo sententiam moraliter certam non sufficere, ut sit longe probabilior, vel etiam probabilissima, sed oportere ut excedat terminos omnes probabilitatis, et opinionis. Contra.

PROPOSITIO.

Certitudo moralis subjectiva ex veri nominis probabilitate directe quandoque oritur, potestque ideo dari assensus opinionis moraliter certus.

Prob. primo. Certitudo moralis subjectiva est *firmitas quaedam assensus nostri ad rem, quae cognoscenda, vel credenda proponitur.* Ita Bellarminus. Atqui opinio vere probabilis est firmum, fixumque judicium ex gravibus rationibus ortum, sapientisque viri animo plane satisfacientibus: ita veri nominis probabilitas a probabilistis ipsis definitur. Ergo applicando definitionem certitudinis moralis a Bellarmino datam ad ipsam definitionem probabilitatis a probabilistis exhibitam comperitur in assensu opinativo vere probabili existere certitudinem moralem subjectivam, seu firmitatem assensus ad rem, cui quis assentitur.

Prob. secundo Quoties motivum non est fidei divinae, nec plane scientificum, tale motivum non est, nisi probabile, atque adeo ex eo non nisi assensus opinativus oriri potest. Hincque fatentur ipsimet probabilistae, opinionem generatim sumptam complecti etiam fidem humanam. Atqui tale motivum quandoque hujusmodi est, ut vix ullam pro parte opposita relinquat apparentiam veri, aut scrupulum, vel dubium prudens, idque est hoc ipsum, quod probabilistae vocant moraliter certum, velut si duo homines gravitate, et fide spectabiles rem adspectabilem a se visam narrent. Ergo ex motivo vere prababili gigni quandoque potest assensus quidem opinationis, sed moraliter certus. Ratio a priori est; quia etsi

non absolute repugnet subesse falsum tali motivo, nulla tamen est sufficiens ratio id falsum pro eo tempore suspicandi, estque aliunde gravissima ratio verum affirmandi. Assensus ergo erit vere opinativus, cui non repugnet falsum subesse, et tamen erit moraliter certus, quia excludet omnem gravem suspicionem de opposito. Ex quo patet opiniones omnes, si objective considerentur, merito incertas dici, non autem opinionem omnem incertam esse, si subjective spectetur, et prout incertitudo opponitur certitudini dumtaxat morali: quo uno bene animadverso, objecta omnia facile solventur.

Prob. Insuper auctoritatibus; primo D. Thomae 2. 2. quaest. 70. art. 2. « Certitudo non est similiter quaerenda « in omni materia: in actibus enim humanis, super quibus « constituuntur judicia, non potest haberi certitudo demon« strativa, eo quod sunt circa contingentia, et variabilia, et « ideo sufficit probabilis certitudo, quae ut in pluribus ve« ritatem attingat, et sic in paucioribus a veritate deficiat. » En probabilem certitudinem, et proinde argumentis tantum probabilibus innixam, expressis verbis a D. Thoma constitutam.

Secundo S. Antonini prima parte Summae tit. 3. cap. 10. §. 10. « Tertia certitudo scilicet moralis, et civilis tangitur « in principio Ethicorum, ubi dicitur, quod disciplinati est « in unaquaque re certitudinem quaerere juxta exigentiam « materiae. Aeque enim vitiosum est persuadentem quae« rere mathematicum, et moralem demonstrantem, non « enim consurgit certitudo moralis ex evidentia demonstra« tionis, sed ex probabilibus conjecturis grossis, et figurali« bus magis ad unam partem, quam ad aliam se habenti« bus. Dicitur autem probabile, quod pluribus, et magis sa« pientibus apparet verum. Ex his igitur sequitur, quod in « humanis agibilibus, teste Aristotele, et experientia, suffi« cit talis certitudo, quae non semper scrupulos omnes abj« iciat, sed sufficit ut contemnat, seu superet eos. » Hactenus Antoninus. Perspicuum est porro, quod ait de scrupulis contemnendis non intelligi de contemptu ex levitate animi, vel impetu libertatis, sed de scrupulis propter ipsam certitudinem moralem contemnendis, seu propter probabiles rationes magis ad unam, quam ad aliam partem se habentes.

Tertio Card. Bellarmini lib. 3. de justificatione cap. 2.

« Tertium gradum habent illa, quae tot signis, et conjectu-
« ris nituntur, ut securum hominem reddant, et anxietatem
« excludant, non tamen formidinem omnem expellant: atque
« haec dicitur certitudo conjecturalis, et opinionis est potius
« quam fidei.

Constat itaque summorum theologorum auctoritate certitudinem ex probabilitate oriri, et cum assensu opinantis, seu subjectiva opinione quandoque componi posse.

Quemadmodum autem probabilistae recentiores, qui negant certitudinem ex sententia vel probabilissima directe prodire posse, nihilominus velint dictamen practicum vi reflexi principii habere in opinione etiam minus probabili certitudinem summam, id vero quale sit inferius explicabimus.

CAPUT III.

Controversiae status, veriorque sententia breviter exponitur.

Illud omnium consensione constat neminem recte agere, nisi qui agit ex conscientia recta, et moraliter certa de honestate actionis. At quum de honesto in utramque partem disputatur, magna quaestio est, unde recta conscientia, et certa effici queat de honestate actionis, cujus quaestionis tota caussa dilucide, quantum fieri poterit, explicanda est.

Primo itaque quum ex opinionibus oppositis una favet legi, altera libertati, sunt qui putant eam semper amplectendam esse, quae stat pro lege: non quod ea opinio vera in se censeatur, sed quod certum sit in eo, quod per talem opinionem proponitur, nullum malum inesse, aut peccandi periculum. Illi ergo quum semper tutiorem partem esse sequendam decernant, *Tutioristae* dicti sunt. Horum sententia confixa est propositione tertia damnata ab Alexandro VII. « Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilis-
« simam. »

Secundo multi existimat omnem opinionem, quae vera, et gravi probabilitate nitatur sive intrinseca, sive extrinseca conscientiam efficere rectam, et certam de honestate actionis, non quidem vi probabilitatis directae, sed vi reflexi judicii, quo quis certo judicat licitum esse id sequi, quod gravi probabilitate nititur, licet illa opinio probabilis in se falsa es-

set, et quod ea opinione continetur, in se contrarium legi. Immo etsi opinio favens legi evidenter probabilior videretur, nihilominus volunt vi ejus reflexi principii, quo statuunt licitum esse operari ex opinione graviter probabili, volunt, inquam, posse quempiam amplecti minus probabilem. Quod autem prorsus liceat sequi opinionem quamcumque gravi probabilitate nixam contra legem multo etiam probabilius propositam, id vero eruunt ex illis principiis, quae memoravimus, ubi proprie locum habent, scilicet possessionem libertatis, incertitudinem legis, quae hoc ipso, quod incerta est, nequit parere obligationem certam: sed haec principia proprie non valeant, nisi ubi paria sunt pro lege, et libertate momenta. Porro si demonstratum fuit in ejusmodi parium momentorum conflictu tutius omnino sequendum esse, liquido constare debet, ubi minus probabilis est caussa libertatis contra legem, multo minus vi ejusmodi principiorum eligi posse partem libertati faventem. Quare quod attinet ad ea principia res plane confecta videri potest, ut de illis nihil addere hic opus sit. Sed tamen remanet principium adhuc universalius, nimirum quicumque probabiliter operatur, eum sane prudenter operari, qui autem prudenter agit, eum certissime haud peccare, sed recte agere. Atque hoc est praecipuum fundamentum certitudinis probabilisticae.

Probabilisticam opinandi rationem primus induxisse fertur Medina 16. fere labente seculo. Multi tamen contendunt Medinam non aliud voluisse, nisi licere quandoque sequi opinionem objective quidem minus probabilem, idest minus communem inter theologos majoris auctoritatis, sed quae tamen ei, qui eam amplectitur subjective probabilior appareat, nec aliam fuisse mentem gravissimorum quorumdam theologorum, qui primi Medinae sententiam approbarunt.

Verum post id tempus innumerabiles scriptores docuerunt licere cuique abjicere opinionem faventem legi, quae sibi reapse longe probabilior videatur, eamque sequi, quae libertati favet, etiam dum eam minus probabilem agnoscit. Certum est porro post probabilismum natum multas labes invectas esse in disciplinam morum: utrum ex probabilismo ex dicendis unusquisque facile judicare poterit. Ceterum quod quis impetu quodam libertatis voluntarie abjiciat, quod animo suo plus satisfacit, sibique videtur et veritati: et honestati convenientius, ut sequatur, quod sibi videtur et veritati, et hone-

stati minus consentaneum, dissimulari non potest in eo ingenii levitatem quamdam se prodere evangelicae simplicitati minus congruentem.

Tertio tutioristas inter, et probabilistas media via incedunt, qui dicuntur *probabilioristae*, qui ex una parte negant semper teneri hominem sequi opiniones tutiores, idest legi faventes, idque adversus tutioristas: ex alia vero parte contendunt illicitum esse sequi opinionem minus probabilem libertati faventem, contra probabiliorem faventem legi, idque adversus probabilistas.

Notandum est porro nonnullos esse probabilioristas existimantes quamcumque probabiliorem opinionem sufficere ad rectum efficiendum judicium conscientiae semperque adeo licite agere quemque, modo probabiliorem opinionem sequatur: atque hi quidem opinioni probabiliori praecise ut probabilior est, eamdem vim tribuunt, quam probabilistae tribuunt probabilitati gravi praecise, ut est gravis probabilitas. In quo sane nec satis docti, aut acuti esse videntur, et magnam probabilistis tribuunt contra ipsos dicendi libertatem. Nam quum opinio probabilior spectata praecise, ut est probabilior, erroris periculum morale non excludat, possit autem subesse opinioni minus probabili, profecto si propter periculum errandi non licet sequi opinionem minus probabilem, idem quoque valebit de opinione probabiliori spectata tantum, ut probabiliori: atque hi quidem probabilioristae vix sunt a probabilistis sejungendi.

Ut ergo intelligatur, quae sit recta de hac re sentiendi ratio animadvertendum est aliquando contingere, ut propositio aliqua sit probabilior opposita, quin tamen de sua veritate directam moralem certitudinem praebeat. Sic doctioribus physicis probabilius videtur cometas constantes periodos planetarum instar obire; multi tamen, qui id probabilius existimant, fatentur id sibi plane certum non esse. Itaque in comparandis ejusmodi probabilitatibus animus judicat quidem unam partem esse probabiliorem altera, sed non directe affirmat tamquam sibi compertam, et moraliter certam veritatem alterutrius. Contingit vero quandoque, ut antea vidimus ex D. Thoma, S. Antonino, et Bellarmino tantam esse probabilitatem, ut gignat in animo directam certitudinem de veritate rei: sic nonnisi probabile est testimonium duorum hominum fide, gravitate spectabilium rem aliquam a se visam affir-

mantium: etenim non repugnat ei subesse falsum: attamen qui propter tale testimonium assentitur, directe affirmat rei veritatem, eamque habet pro vera, et certa.

Itaque probabilitas sive major, sive minor aliquando non valet ingenerare in animo directam, prudentem, et moraliter certam persuasionem de rei veritate, tumque per probabilitatem sive majorem, sive minorem non excluditur gravis dubitandi ratio: siquidem proprie dubium quoad se solvi directe non potest nisi per inventionem veri: nec ipsa dubitantis affectio deponi proprie potest, nisi per putatam saltem inventionem veri: aliquando vero probabilitas, ut egregie docet Bellarminus, talibus signis, et conjecturis nititur, ut securum hominem jure, ac merito reddat, tumque probabilitas est medium, quod non indifferenter se habet ad verum, et falsum: sed quo ipsa veritas manifestatur eo modo, quo manifestari expostulat, et potest pro conditione materiae.

Recolendum illud porro etiam, quod superius omni argumentorum genere probatum fuit, conscientiae judicium numquam esse rectum, nisi sit legi aeternae consentaneum, atque ex morum principiis legitima conclusione ductum: quo constituto haec duo consequuntur, opinionem probabilem, cui subsit falsum, numquam rectum efficere posse judicium conscientiae: tantumque a culpa excusare, si error est invincibilis. Alterum est probabilitatem dumtaxat valere posse ad rectum efficiendum judicium, quum et ipsum judicium conscientiae verum est, et probabilitas, qua nititur, tanta, ut moraliter securum hominem reddat de ipsius judicii veritate.

In hoc ergo vertitur quaestionis cardo inter probabilistas, et eos, qui majorem veritatis rationem haberi volunt, quod probabilistae vi reflexi principii, de quo supra dictum est, putent quamcumque opinionem probabilem, etsi minus probabilem: et libertati faventem, certum efficere posse, et rectum judicium conscientiae sine ulla certitudine directa de honestate actionis secundum se, contra isti alteri putant probabilitatem, ut simplex probabilitas est praescindens a vero, et falso, non esse regulam morum, sed ipsam veritatem, quae tamen in moralibus quandoque probabilibus argumentis innotescit, quum nimirum post diligentem adhibitam circumspectionem gravia momenta unius partis veritatem suadent,

et ex alia parte nihil se offert, quod prudentem injicere queat dubitandi rationem. Tum vero si opinio tali probabilitate donata libertati faveat, licitum esse illam amplecti, utpote quae moralem, ac prudentem certitudinem faciat de sui veritate: quo evertitur fundamentum tutiorismi negantis licitum esse adhaerere ulli opinioni dumtaxat probabili, quae libertati faveat, ex alia vero parte ubi opinio libertati favens habeat ex adverso momenta aeque probabilia, aut probabiliora, talem opinionem nusquam facere posse probabilem certitudinem de sui veritate, atque adeo imprudenter eum agere, et periculo peccandi se exponere, qui talem opinionem cognitam ut talem amplectatur.

Licet autem haec omnia tamquam consectaria sponte sua profluant ex his, quae disputata sunt de conscientia recta, et dubia, juverit nihilominus argumenta etiam collegisse, quae valent speciatim, ubi agitur de opinione minus probabili anteponenda probabiliori. Primo itaque opinionem minus probabilem conferemus cum probabiliore, quod attinet ad ipsam rationem probabilitatis, ut praebet motivum assentiendi: ex quo patebit opinionem minus probabilem subjective spectatam in conflictu cum probabiliori excidere prorsus a ratione verae probabilitatis, prout ab ipsismet probabilistis constituitur, ipsosque adeo niti falso supposito, dum ajunt eum probabiliter operari, qui sequitur opinionem, quam agnoscit esse minus probabilem. Secundo eamdem comparationem instituemus, quod attinet ad praescriptum prudentiae de opinionibus eligendis, ex quo patebit falsum assumere probabilistas, dum ajunt eum prudenter operari, qui probabiliter operatur probabilitate sumpta prout se habet indifferenter ad verum, vel falsum, qualis est suapte natura minor probabilitas, cui proclivius est subesse falsum, quam verum. Tertio demonstrabimus nullam esse certitudinem ejus principii reflexi ex ipsismet adversariorum principiis, unde pateat numquam per illud effici certum posse dictamen practicum conscientiae. Quarto argumenta proferemus, quibus pateat exponere se periculo peccandi, qui deserta probabiliore sequitur opinionem minus probabilem. Quinto occurremus objectis.

CAPUT IV.

De opinione minus probabili comparata cum probabiliore, quod attinet ad rationem assensus, et probabilitatis.

PROPOSITIO I.

In conflictu minus probabilis cum probabiliore non potest voluntas directe imperare assensum parti minus probabili cognitae ut tali.

Prob. primo. Voluntas imperare nequit assensum, nisi praeeunte intellectu: imperium enim quamvis à voluntate ut movente repetatur, supponit tamen rationem ut intimantem. Ut ergo voluntas directe movere posset intellectum ad assensum minus probabilis in conflictu probabilioris, oporteret, ut ratio directe monstraret esse minus probabilem eligendam potius, quam probabiliorem: atqui hoc ratio directe dictare non potest; nam oporteret, ut rationi directe tamquam verum se offerret hoc principium: « Id, in quo minus elucet indicium « veri, est anteponendum ei, in quo elucet majus indicium « veri. » Si enim tale principium non se offerret rationi, ut verum, numquam ratio dictare poterit minus probabilem anteponendam probabiliori: siquidem ipsismet fatentibus probabilistis, intellectus sola apparentia veri moveri potest. Atqui hoc principium non potest se directe offerre intellectui ut verum: quandoquidem si apparentia veri sola potest intellectum movere, manifeste repugnat, ut intellectus motivum assentiendi reperiat in minore apparentia veri. Ergo etc.

Prob. secundo. Qui praestat absolutum assensum uni propositioni, affirmat propositionem cui assentitur: atque adeo absolute judicat praedicatum convenire subjecto. Ita ergo mens afficitur ex medio, quod est motivum assentiendi, ut per illud medium extrema sibi repraesententur ut connexa. Sic multi argumentis Aristotelis, et D. Thomae inducti, dum assentiuntur huic propositioni: *Virtus moralis consistit in mediocritate*: illis argumentis sic afficiuntur, ut per illa terminorum connexio tamquam existens sibi repraesentetur: atque adeo propositio absolute vera ab iis reputetur: secus non as-

sentirentur, quippe in assensu, quo affirmo rem ita esse, continetur hic actus: *Mihi videor deprehendere rem ita esse.* Jam vero, qui agnoscit propositionem oppositam, ut probabiliorem, scilicet probabilius esse virtutem moralem non consistere in mediocritate, ex motivo probabiliore sic afficitur, ut sibi deprehendere videatur terminos illius disjunctos esse potius, quam connexos: atque adeo in actu, quo eam ut probabiliorem agnoscit, continetur hic actus: *Mihi videor potius deprehendere rem ita non esse, quam ita esse.* Atqui fieri non potest, ut quis simul componat hos duos actus: *Mihi videor deprehendere rem ita esse*, qui actus praerequiritur ad assensum, *et mihi videor deprehendere potius rem ita non esse*, qui ex notitia opinionis probabilioris enascitur: licet enim ex diversis motivis oriantur, tamen respiciunt unum, idemque objectum, nempe convenientiam vel non convenientiam terminorum, et contradictorie opponuntur. Ergo etc.

Deinde quaestio est veritatis inquisitio, concluso veri inventio, in qua per assensum animus acquiescit. Quisquis ergo concludit assentiendo, vel verum invenit, vel saltem invenisse se putat: neque enim in conclusione acquiesceret assentiendo, nisi putaret se invenisse quod quaerebat: sed repugnant, ut quis putet se invenisse verum, dum judicat contra id, quod sibi probabilius, aut propius ad verum accedere videtur: ergo fieri non potest, ut quis assentiatur opinioni minus probabili, ut tali cognitae.

Prob. tertio auctoritate clarissimorum scriptorum inter probabilistas, quorum haec est sententia: si tibi pars opposita quaestionis probabilior videatur, seu majora rationum momenta in illam partem perspicias, licet assensum omnem cohibere tunc possis, tamen ex hypothesi, quod alteri parti assentiri velis, necesse est, ut probabiliori assentiaris, alteri autem, quae minus probabilis tibi apparet, assentiri tunc non potes: si enim minus probabili assentiaris, seu veram judices, hoc ipso oppositam falsam aestimas, quod fieri non potest, dum ea tibi probabilior, seu verisimilior apparet, propterea quod intellectus judicativus secundum specificationem non omnino liber sit, sed a rationibus, et motivis propositi objecti determinetur. Neque responderi potest, propositionem una quidem ratione veram, altera vero falsam esse, quia veritas, et falsitas, quum inter terminos contradictorios versentur, latitudinem non habent.

Duo contra objiciuntur a celebri alio probabilista contendente posse voluntatem directe flectere intellectum ad assensum partis minus probabilis. Primum est. Etsi una pars cognoscatur ut probabilior, adhuc tamen rapraesentatur ut incerta: intellectus proinde ad hujus assensum non cogitur. Ergo potest voluntas intellectum flectere ad partem oppositam. Sed haec argumentatio nihil concludere videtur. Verum quidem est non adstringi mentem ad assentiendum parti etiam evidenter probabiliori: potest ergo voluntas impedire ne assensus praestetur; at ex eo non sequitur voluntatem posse intellectum flectere ad assentiendum parti oppositae: nec aliquid scriptor ille affert, quo unum probet sequi ex alio: aliunde satis constat multos actus subjici voluntati quoad exercitium, non autem quoad specificationem, unde non valet sine probatione transitus ex uno in aliud.

Alterum hujusmodi est. Dum quis fruitur bona fama de honestate morum, non est certum esse innocentem: tamen probabilius est illum esse innocentem, et tamen hominis infensi voluntas saepe flectit intellectum, ut temere judicet illum esse noxium. Ergo ubi pars aliqua probabilior est: sive ubi praeponderat majus pondus probabilitatis, potest voluntas flectere intellectum ad partem oppositam.

At vero neque haec ratio quidquam efficit: nam qui est alteri infensus facile quidem reum existimat illum esse, quem odit, sed non directe flectendo intellectum ad ejusmodi judicium contra majorem probabilitatem cognitam. Nemo enim de inimico suo judicat in hunc modum: mihi sane probabilius videtur inimicum meum esse virum frugi, et probum, attamen volo judicare ipsum esse improbum, et scelestum, quia sic mihi placet: sic volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas. Sed in ejusmodi caussa sic evenire solet, ut qui alterum odit persuasum habeat, multisque argumentis notam sibi, ac testatam teneat malam ejus voluntatem: unde licet bona existimatio, qua homo ille fruitur, ceteris, qui pacatum animum gerunt erga ipsum, probabilius argumentum praebeat ejus innocentiae, tamen hoc argumentum minoris momenti est apud eum, qui sibi videtur in suo inimico pravitatem aliis occultam deprehendisse. Unde patet allato argumento nihil confici.

PROPOSITIO II.

Opinio minus probabilis in conflictu cum probabiliore vere propabilis esse desinit respectu ejus, qui ut minus probabilem agnoscit.

Prob. Nam opinio probabilis ab adversariis describitur, quae nitatur motivo gravi, quod valeat pertrahere ad assensum viros graves, quod satisfaciat animo sapientis, quo firmum, fixumque judicium nitatur, et quidem de ipsa rei veritate, siquidem omnis assensus est in id, quod quis putat esse verum. Atqui haec nullo modo cadere possunt in opinionem minus probabilem, dum spectatur in conflictu cum probabiliori, nam, ut constat superiori propositione, fatentibus ipsis probabilistis pars minus probabilis in conflictu probabilioris nequit pertrahere intellectum ad ipsi assentiendum, sed si quis velit assentiri, necesse est ut probabiliori assentiatur, nec proinde motivum minus probabilis potest viri sapientis animo satisfacere, quandoquidem nequit ei per assensum acquiescere, nec denique ex tali motivo oriri potest firmum, fixumque judicium de ipsius veritate: secus oporteret, ut falsa judicaretur, quae probabilior apparet. Igitur fatentibus ipsismet adversariis pars minus probabilis in conflictu probabilioris amittit conditiones, quas ipsimet requirunt ad veram probabilitatem constituendam. Ergo quum ei non amplius conveniat definitio probabilitatis ab adversariis prolata, neque amplius probabilis existimari debet respectu ejus, qui eam partem ut minus probabilem agnoscit, licet objective probabilis, et respectu ad alios censeri possit.

Neque dicant hoc saltem sufficere. Nam ipsimet sua definitione requirunt, ut motivum opinionis probabilis non solum absolute, sed etiam respective sit grave: hoc est in conflictu cum motivo partis oppositae, valens tunc etiam pertrahere ad assensum: sed ubi pars opposita est probabilior, hoc fieri nequit, ut probatum est. Igitur repugnat etiam partem minus probabilem habere motivum respective grave. Ergo in conflictu cum probabiliore excidit prorsus a notione probabilitatis.

Patet igitur falso supposito, et quod ipsis eorum principiis evertitur, niti adversarios, dum constituunt eum, qui

partem minus probabilem, ut talem cognitam sequitur, nihilominis probabiliter, seu ex vera probabilitate agere.

CAPUT V.

De opinione minus probabili comparata cum probabiliore, quod attinet ad praescriptum prudentiae de opinionibus eligendis.

Opinio minus probabilis, potest esse falsa. et licet etiam possit esse vera, eo tamen ipso, quod ut minus probabilis agnoscitur, nulla potest haberi moralis certitudo eam reapse veram esse. Igitur quisquis amplectitur opinionem minus probabilem libertati faventem, nullo modo certus esse potest, se non amplecti opinionem falsam, et quae dicat non esse contra legem, quod revera in se sit contra legem. Si ergo constabit prudentiam nullum judicium dictare posse, quod non sit cum veritate conjunctum, omninoque abhorrere a lumine prudentiae judicium ejus, qui statuat non esse contra legem, quod revera sit contra legem, illud etiam constabit, prudentiam omnino vetare, ne quis amplectatur opinionem, cui falsum perinde, ac verum subesse queat. Atqui talem esse prudentiam probatur primo sanctorem patrum auctoritate: secundo ipsa notione prudentiae, qualis naturali lumine cognita fuit vel ab ipsis veteribus philosophis, et maxime ab Aristotele, cujus doctrinam de prudentia magna ex parte probarunt christiani doctores: tertio doctrina ipsa D. Thomae: quarto definitione probabilioris opinionis ab ipsismet adversariis tradita.

ARTICULUS I.

PROPOSITIO.

Patrum auctoritate constat judicium prudentiae numquam esse a veritate sejunctum.

Prob. primo. S. Ambrosius lib. 1. de officiis cap. 24. probat veterum definitionem, qui prudentiam dixerunt, *quae in veri investigatione versatur:* et insuper: « Primi igitur « nostri definierunt prudentiam in veri cognitione consistere. »

Ergo quisquis probabilitates investigat, et non veritatem; quisquis post investigationem a veri cognitione deficit, est extra prudentiam. Idem ep. 45. ad Sabinum: « Labor et « diuturna meditatio cum Dei gratia dat perfectam pruden- « tiam. » Quis porro dixerit gratiam Dei dari ad amplectendam opinionem falsam, aut quae saltem possit esse falsa, et exponat eum, qui agit ex ea, transgrediendae legis, ac peccandi periculo? ergo qui eligit opinionem minus probabilem faventem libertati non agit ex virtute prudentiae.

Secundo S. Augustinus lib. 19. de Civit. Dei cap. 4. « quid « illa virtus, quae prudentia dicitur? Nonne tota vigilantia « sua bona discernit a malis, ut illis appetendis, istisque « vitandis nullus error obrepat? » Quod autem Augustinus eum errorem intellexerit, quo judicatur bonum, quod in se malum est, liquido constat ex lib. contra mendacium ad Consentium cap. 15. « Quae contra legem Dei fiunt justa « esse non possunt: dictum est autem: lex tua veritas: ac « per hoc, quod est contra veritatem justum esse non po- « test. » Quo patet reprobari ab Augustino, et consequenter prudentiae adversum existimari quidquid in se sit contra legem Dei, et veritatem. Tum etiam lib. de quantitate animae cap. 15. « Ratio non dicenda est, aut existimanda, nisi « vera; et cujus vita per omnia congruit veritati, is est « profecto vel solus, vel certe maxime qui bene, atque ho- « neste vivit; et qui ita sit affectus, solus habere virtutem, « et ea vivere judicandus est.

Tertio S. Basilius hom. in principium proverb . . « Pru- « dentiam unam esse scimus ex generalibus virtutibus, qua « nos homines bona, malaque, et indifferentia edocemur. » Jam vero tota illa fere homilia docet Basilius prudentia fieri, ut falsum caveatur magna etiam probabilitatis specie obtectum. Pauca describemus. « Si quando offendat problemata « aequas utrimque probationes habentia, in quibus verisimi- « lioris inventio judicatu difficilis, sit; quoniam tamen exer- « citatus in proverbiis est, non confundetur, etiamsi disce- « ptantes quam vehementissime aequales argumentorum pla- « gas sibi invicem inferre videatur. » Ubi ergo verisimilior pars ultro se obtulisset, longe aberat Basilius ab hac sententia, ut putaret amplectendam minus verisimilem. Et deinceps: « Quoniam autem externi quoque sapientes multum « de justitia disseruere, et probabilibus verbis fallunt eos,

« qui ejus rei, quae expendenda proponitur, rationem ve-
« ram assequi non possunt, indicaturum se justitiam veram
« pollicetur liber ille, ut noxam caveamus sophismatum. »
« Idem Basilius in regulis brevioribus ad interrogationem
260. *Imprudens est, qui non intelligit voluntatem Domini.*

Hunc faciunt, quae supra ex D. Bernardo attulimus, et alia innumerabilia, quae apud Patres passim occurrunt, et studio brevitatis omittere cogimur.

ARTICULUS II.

Brevis descriptio prudentiae ab Aristotele lib. 8. Ethic.

Huc redit summa disputationis Aristotilecae. Vis expetendi sequitur vim dijudicatricem: ex utraque autem prodit electio. Vis expetendi potest sibi proponere finem bonum, aut malum moraliter. Vis dijudicatrix, ut versatur circa media eligenda, quae contingentia sunt, et aliter se habere possunt, potest verum, aut falsum tenere. Vis expetendi perficitur virtute morali qua dirigitur in finem honestum: non potest autem suum finem attingere, nisi vis dijudicatrix viam, modumque, recta habita consultatione, praescripserit. Ut ergo habeatur electio virtutis, oportet, et vim dijudicatricem bene consulere, et appetitionem id sequi, quod recta deliberatione constitutum fuerit. Quum autem haec vis dijudicatrix versetur circa contingentia, sitque proinde opinativa, possitque aut in verum, aut in falsum deduci, ejus perfectio, et rectitudo in veritate sita est. Opus ergo habet virtute aliqua, quae hanc ipsi rectitudinem praebeat, eaque virtus est prudentia, ex qua quum mens judicat numquam mentitur. Omne itaque judicium de agendis, ut constanter sit verum, debet proficisci a prudentia, quumque nulla sit virtus moralis, quae non praesupponat aliquod judicium verum de agendis, nulla est virtus moralis, quae non pendeat a prudentia, et sine ipsa queat consistere, unde merito prudentia dicitur virtutis omnis moralis lex, et norma.

ARTICULUS III.

D. Thomae principiis demonstratur nullum judicium, nisi verum ex prudentia esse.

Disputationes D. Thomae de prudentia cum plenae sunt divinae, humanaeque sapientiae, tum nitent mira quadam perspicuitate, habentque ex ejus nominis auctoritate amplissimam sane commendationem. Jam vero sive prudentiam spectes, ut est virtus, sive ratione objecti, sive ex modo quo se habet ad fines virtutum moralium, sive ratione partium, quas comprehendit, sive illam referas ad dona, quibus perficitur, comperies in omnibus explicandis D. Thomam numquam veritatem a prudentia sejungere, atque ex ejus principiis effici, nullum esse judicium prudentiae, quod non sit verum, nec sinere prudentiam, ut minus probabile probabiliori anteponatur.

§. I.

De prudentia ut virtute.

Demonstrat S. Thomas 2. 2. quaest. 47. art. 1. et 2. prudentiam inesse in parte animae cognitionis participe, atque in ipsa practica ratione, velut perfectionem ejusdem, atque adeo prudentiam unam esse ex virtutibus intellectualibus, quarum objectum est verum. Art. porro 4. demonstrat potiorem virtutis rationem inesse in prudentia, quam in reliquis virtutibus intellectualibus, eo quod reliquae virtutes intellectuales tendunt quidem in id, quod secundum se est bonum, quippe tendunt in verum, quod secundum se est aliquod bonum: non tamen in ipsum tendunt, quatenus est bonum, sed solum quatenus verum est. Perfectior autem est ratio virtutis ejus, quae non solum spectat in id, quod est materialiter bonum, sed illud etiam attingit sub ratione formali boni, quales sunt virtutes morales, quae hoc ipso, quod tendunt in ipsum bonum, ut bonum, efficiunt appetitionem rectam. Utrumque porro docet convenire prudentiae, primo ut spectet in verum secundum se, et materialiter sumptum, secus non esset virtus intellectualis: secundo ut in ve-

rum tendat non solum sub ratione veri, sed etiam sub ratione boni, qua parte praestat reliquis virtutibus intellectus, et inter morales enumeratur.

Quod quidem dilucide explicat Cajetanus in art. 4. « Prudentia habet utrumque, et quod respicit verum, ut verum « et propterea ponitur inter virtutes intellectuales, et quoque « respicit verum, ut bonum, et propterea connumeratur virtutibus moralibus, et ponitur prima virtus cardinalis: et « ne duas formales rationes uni habitui tribuas, quas uni « potentiae non licet tribuere, memento, quod non secundum idem haec verificantur, sed prudentia secundum cognitionem respicit verum: secundum praeceptum, sive applicationem respicit bonum: et similiter prudentia secundum id, quod habet ex intellectu respicit verum: secundum id, quod habet ex appetitu, respicit bonum, est enim « perfectio intellectus, ut subest appetitui recto: commune « est autem subordinatis posse habere plures rationes. » Hactenus Cajetanus.

PROPOSITIO I.

Quum prudentia sit virtus intellectus nullum judicium prudentiae potest esse a veritate sejunctum etiam materialiter accepta.

Prob. Actus cujusque habitus, et virtutis numquam potest vagari extra objectum ejus habitus, et virtutis: nam actus, et habitus ex eodem objecto speciem sumunt. Atqui prudentia, ut est virtus intellectualis, habet pro objecto ipsum verum secundum se, et materialiter spectatum; nam hoc est ei commune cum reliquis virtutibus intellectualibus, quae ex vero materialiter sumpto speciem sumunt. Igitur nullus actus, et consequenter nullum judicium prudentiae potest esse falsum vel materialiter. Atqui assensus opinioni minus probabili potest esse falsus. Ergo numquam potest esse ex prudentia.

§. II.

De prudentia ratione objecti considerata.

« Ad prudentiam pertinet non solum consideratio ratio-« nis: sed etiam applicatio ad opus, quod est finis practi-« cae rationis: nullus autem potest alteri convenienter ali-« quid applicare, nisi utrumque cognoscat: scilicet, et id, « quod applicandum est, et id cui applicandum est. Opera-« tiones autem sunt in singularibus: et ideo necesse est, « quod prudens et cognoscat universalia principia ratio-« nis, et cognoscant singularia, circa quae sunt ope-« rationes. » Ita D. Thomas art. 3. Principia porro universalia rationis, quae prudentia applicat ad singulares operationes sunt principia contenta in Synderesis, et conclusiones generales, seu sententiae morales ex illis principiis ductae de licito, et illicito. Singularia autem, circa quae sunt operationes, sunt ea omnia, quae pro aliquo tempore singillatim eligenda, et agenda occurrunt. Unde prudentia dicitur recta ratio agibilium.

Ipsae ergo sententiae morales de licito, et illicito duplici ratione spectari possunt: velut applicantur ad singulares operationes, et hoc pacto sunt principia: vel ut ex duabus sententiis una prae alia eligenda proponitur, et hoc pacto sunt veluti objectum circa quod electio versatur. Videamus jam ex D. Thoma, quid prudentia praescribat circa considerationem principiorum universalium, et circa electionem agibilium.

Quoad primum S. Doctor art. 15. posteaquam dixit prudentiam includere cognitionem, et universalium et singularium, ait: « Quantum ergo ad universalem cognitionem ea-« dem est ratio de prudentia, et scientia speculativa, quia « utriusque prima principia universalia sunt naturaliter nota, « nisi quod principia communia prudentiae sunt magis con-« naturalia homini. Hinc concludi argumentum potest; eo-« dem modo se habet prudentia ad prima principia practica « quoad universalem cognitionem, sicut se habet scientia « circa prima principia. » Ita D. Thomas. Atqui scientia non aliter versatur circa prima principia, nisi prout ex iis veras, et legitimas conclusiones ducit. Etenim consideratio primorum principiorum per se non pertinet ad habitum scien-

tiae, sed ad habitum intelligentiae, et ad scientiam solum pertinent conclusiones ex iisdem ductae, si quidem legitimae sunt, et verae: quippe omnis falsa conclusio non potest pertinere ad scientiam: igitur etiam prudentia sic versari putanda est circa prima principia morum, quae continentur in Synderesi, ut solae conclusiones legitimae ex iisdem ductae, atque adeo solae verae scientiae morales de licito, et illicito pertinere censendae sint ad habitum, et considerationem prudentiae. Sed hoc illustrius patebit ex dicendis §. sequenti.

Quod vero attinet ad agibilia, circa quae proprie prudentia versatur, expresse ait S. Thomas art. 5. ad tertium: « Agibilia sunt quidem materia prudentiae secundum quod « sunt objectum rationis, scilicet sub ratione veri: » et art. 3. ad 2. quum sibi objecisset, singularia, utpote infinita, non posse comprehendi ratione, ita respondet. « Per expe« rientiam singularia infinita reducuntur ad aliqua finita, « quae ut in pluribus accidunt: quorum cognitio sufficit ad « prudentiam humanam. »

PROPOSITIO II.

Quum prudentiae sit in singularibus agendis, et eligendis ipsam sequi rationem veri, electio, qua minus probabile anteponitur probabiliori cognito ut tali, non est electio prudentiae.

Prob. primo. Electio ut sit actus prudentiae debet esse de agibili ut vero: nam agibile ut verum est materia prudentiae, et objectum rationis ex D. Thoma. Atqui repugnat opinionem minus probabilem eligi posse, ut veram, prout superius demonstratum est. Ergo etc.

Prob. secundo. Cognitio, et consequenter electio prudentiae versatur circa singularia, ut in pluribus accidunt: ita S. Thomas: nam absurdum esset putare D. Thomam requirere ad prudentiam, ut cognoscantur, quae accidunt in pluribus, tantum ut cognoscantur, non autem, ut ea cognitio moderetur electioni: quippe cognitio prudentiae debet esse cognitio practica, et velut proxima regula electionis. Atqui ea, quae in pluribus accidunt, sunt probabiliora: nihil enim aliud probabilioris nomine intelligitur. Ergo si ad prudentiam requiritur, ut cognoscantur, quae in pluribus accidunt, et

ea cognitio moderari debet electioni, omnis electio prudentiae debet esse de probabilioribus.

§. III.

De prudentia, ut se habet ad fines virtutum moralium.

Prudentiae non est praestituere finem virtutibus moralibus, sed solummodo de his, quae ad finem sunt, disponere, ut docet S. Thomas art. 6.: quod ut intelligatur advertendum finem virtutis moralis esse opus ipsius proprium, sive objectum formale: nam, ut ait art. 3. *opus est finis practicae rationis:* sic indigentiam proximi sublevare, opus est, et finis, et objectum misericordiae: jam vero de hujusmodi finibus virtutum moralium docet D. Thomas eos praesupponi ad prudentiam tamquam principia existentia in ratione practica, et quae deinceps prudentia applicat ad agenda; velut principium est existens in ratione practica, sublevandam indigentiam pauperis: omne ergo judicium prudentiae debet tamquam a principio progredi ex aliquo fine virtutis moralis, idest ex aliqua propositione generali proponente objectum formale alicujus virtutis. Patet autem quamlibet sententiam moralem falsam de licito, vel illicito, verbi gr. non teneri aliquem vi solius superflui ad elargiendam eleemosynam, deflectere a fine, seu opere virtutis misericordiae, utpote quae ex objecto, et secundum se adversatur illi virtuti: et quamquam talis sententia per errorem inculpabilem obreperet, adhuc certe non attingeret ipsum finem, et opus virtutis misericordiae. Hoc posito.

PROPOSITIO III.

Quum omne judicium prudentiae, ex aliquo virtitutis moralis fine tamquam principio duci debeat, judicium, quo licitum affirmatur, quod est ex objecto formali, seu fine intrinseco illicitum, nusquam potest esse prudentiae.

Prob. Ut judicium de re singulari agenda, et consequenter actio sit ex prudentia, oportet, ut judicium ducatur ex aliquo fine virtutis, et actio sit ad illum finem attingendum accommodata. Ita D. Thomas. Atqui judicium, quod ducitur

ex opinione secundum se falsa, licet probabili, non est ductum reapse ex fine virtutis, et actio utpote in se adversa virtuti, non est ad eum attingendum accommodata. Ergo tale judicium, talisque actio non est ex prudentia.

§. IV.

De prudentia secundum suas partes considerata.

Multa hic summatim complectemur, quod longior excurreret disputatio nostra, si singulis esset exacte insistendum.

PROPOSITIO IV.

Partes, quibus constat prudentia, demonstrant, hoc esse munus prudentiae, ut in contingentibus per probabiliora dirigat in id, quod ex objecto reapse, et verum sit, et bonum.

Prob. primo. D. Thomas quaest. 49. art. 1. memoriam ponit partem integralem prudentiae: hoc autem principio ducitur, nempe in his, in quibus non potest dirigi homo per ea, quae sunt simpliciter, et de necessitate vera, opus habet dirigi per id, quod in pluribus est verum. Ergo ex D. Thoma prudentiae est tendere ad verum vel per evidentia, et absolute certa, vel per probabiliora.

Prob. secundo. S. Doctor art. 4. docilitatem statuit esse partem prudentiae, eo quod docilitas ad hoc pertinet, ut homo bene se habeat in acquirendo rectam opinionem ab alio, sicut solertia ad hoc pertinet, ut bene se habeat in acquirendo rectam aestimationem per seipsum. Atqui recta opinio, et recta aestimatio non est, nisi vera opinio, et vera aestimatio, ut docet Aristoteles, cujus principiis inhaeret D. Thomas, et ut constat communi sensu, et aestimatione prudentum. Ergo etc.

Prob. tertio. D. Thomas de solertia loquens art. 4. sibi objicit hanc pertinere ad Rhetores: non ergo ad prudentiam: respondet autem ad 3. Rhetoricam etiam ratiocinari circa operabilia: « unde nihil prohibet idem ad Rhetoricam, et « prudentiam pertinere. Haec tamen conjecturatio hinc non « sumitur solum secundum quod pertinet ad conjecturas,

« quibus utuntur Rhetores, sed secundum quod in quibus- « cumque dicitur homo conjicere veritatem. » Ergo solertia tantum pertinet ad prudentiam, quatenus facultatem praebet conjiciendae veritatis. Insuper quis non rideret solertiam rhetoris, qui minus probabilia adhiberet rejectis probabilioribus? Multo ergo magis a prudentia deflectere censendus, qui solertiam adhibet ad fingenda, vel eligenda minus probabilia.

Prob. quarto. Cautionem art. 8. constituit partem prudentiae hoc argumento. « Ea circa quae est prudentia sunt « contingentia operabilia, in quibus sicut verum potest ad- « misceri falso, ita et malum bono propter multiformitatem « hujusmodi operabilium, in quibus bona plerumque impe- « diuntur a malis, et mala habent speciem boni, et sic ne- « cessaria est cautio ad prudentiam, ut sic accipiantur bona « quod vitentur mala: » Ergo ad prudentiam pertinet, ne quis quacumque specie boni decipiatur, sed quae sunt reapse bona tantum accipiat, contraria vitet.

Prob. quinto. S. Thomas quaest. 51. art. 3. ad 1. loquens de Synesi virtute ad prudentiam requisita, cujus munus est recte judicare de operabilibus ab homine, ait: « Rectum ju- « dicium in hoc consistit, quod vis cognoscitiva apprehendit « rem aliquam secundum quod in se est. » Rectitudo ergo judicii non alia est, quam veritas judicii qua res cognoscuntur, et affirmantur ut sunt, quae rectitudo propria est Synesis, et consequenter prudentiae.

Prob. sexto. S. Thomas quaest. 56. art. 4. loquens de inconsideratione, ut peccatum est sub imprudentia contentum, ait: « Dicendum, quod consideratio importat actum intelle- « ctus veritatem rei intuentis. » Igitur ubicumque D. Thomas loquitur de consideratione rectae rationis circa principia moralia, et eorum conclusiones, plane intelligendus de consideratione intellectus intuentis quod verum est.

Prob. septimo. Ex triplici prudentiae ratione, quam distinguit S. Doctor quaest. 47. art. 13. unam falsam, cui praestituitur finis malus, sed quae bene disponit media ad illum finem accommodata: alteram veram quidem, sed imperfectam, sive ratione finis, eo quod finem sibi proponat bonum quidem, sed non optimum, idest ultimum, qualis est ejus prudentia, qui accommodatissimam rationem tenet negotiandi, vel navigandi, unde dicitur prudens negotiator, vel nauta: sive quia, etsi proponat sibi finem optimum,

non efficaciter praecipit, quae sunt ad finem. Tertia prudentia, et vera est, et perfecta, quae et finem totius vitae communem sibi praestituit, et de his, quae sunt ad eum finem bene consiliatur, bene judicat, bene praecipit. Prima prudentia est in peccatoribus: altera, quae imperfecta est ratione finis, seu boni particularis tantum, quod intendit, communis est justis, et peccatoribus. Tertia justorum tantum est. Hoc posito paret, quantum ad rationem consilii capiendi, atque judicandi non minus accuratam, cautam, et circumspectam esse oportere veram, et perfectam prudentiam in his, quae pertinent ad salutem animae, et observantiam legis Divinae, quam sit prudentia negotiatoris in his, quae pertinent ad lucrum percipiendum. Atqui negotiator, qui media minus probabilia, simulque minus tuta omnibus circumspectis, et comparata jactura, quae timeri potest, cum lucro, quod potest sperari, probabilioribus anteponeret, merito censeretur vel ab ipsa imperfecta prudentia deficere. Ergo a fortiori etc. Neque hic distinctio facienda inter formale, et materiale. Nam negotiator, qui per vias minus probabiles amitteret ipsum materiale pecuniae, esset imprudens negotiator. Porro ut lucrum prudentiae imperfectae, sic verus finis virtutum propositus est prudentiae perfectae. Qui ergo insistens minus probabilibus hunc finem reapse non attingit, haud est prudens prudentia vera, et perfecta.

§. V.

De prudentia prout subest dono consilii.

Necessitatem doni Spiritus Sancti ad consilium capiendum de singulis agendis adstruit S. Thomas quaest. 52. art. 1. ubi ad primum haec habet: « Sed quia humana ratio « non potest comprehendere singularia, et contingentia. « quae occurrere possunt, ideo indiget homo in inquisitione « consilii dirigi a Deo, qui omnia comprehendit, quod fit « per donum consilii, per quod homo dirigitur quasi con« silio accepto a Deo: sicut etiam in rebus humanis, qui « sibi ipsis non sufficiunt in inquisitione consilii a sapientio« ribus consilium requirunt. » Demonstrat vero art. 2. in quo, et ad quid prudentia opus habeat perfici, et adjuvari per donum consilii: nimirum, inquit: « Manifestum est,

« quod rectitudo rationis humanae comparatur ad rationem « Divinam, sicut principium motivum inferius, quod move- « tur ad superius, et refertur in ipsum. Ratio enim aeterna « est suprema regula omnis rectitudinis humanae. Et ideo « prudentia, quae importat rationis rectitudinem, maxime « perficitur, et juvatur secundum quod regulatur, et move- « tur a Spiritu Sancto, quod pertinet ad donum Consilii. »

Hac sane sapientissima doctrina, maximeque Theologica evertitur adversariorum systema, nostrumque adstruitur.

Primo rectitudo rationis numquam haberi potest, nisi per conformitatem cum ipsa ratione aeternà, suprema regula omnis rectitudinis, talemque rectitudinem importat prudentia. Ergo judicium omne, quo judicatur licitum, quod in se revera est difforme legi aeternae, non habet rectitudinem, nec est judicium prudentiae.

Secundo ad hanc rectitudinem praestandam, non sufficit minor probabilitas: nam in singulis operabilibus saepe difficile est invenire hanc rectitudinem. Et ad hanc inveniendam opus habet homo juvari, et perfici per donum consilii. Porro minus probabile invenire non est admodum difficile, sed occurrit ultro: nec ad minus probabile inveniendum juvari opus habet homo per donum Spiritus Sancti. Ergo probabilitas non potest illam rectitudinem praestare, nisi prout moraliter securum hominem reddit de conformitate actus cum lege aeterna, vel jubente, vel vetante, vel permittente. Moraliter autem securum hominem reddere numquam potest minor probabilitas de ipsa conformitate secundum se: potest autem quandoque securum reddere major probabilitas, ut antea demonstratum est ex Bellarmino.

Tertio qui agit ex dono consilii agit secundum veritatem non solum formaliter, sed etiam materialiter spectatam. Nam Deus, qui omnia comprehendit, non potest movere ad falsum per suum consilium. Atqui hoc donum consilii necesse est, ne prudentia deficiat. Ergo ubi quis non agit secundum veritatem, prudentia deficere putanda est: nam si ubi prudentia in falsum impingit etiam per minus probabilia, adhuc esset prudentia, non opus haberet dirigi per donum consilii. Et sane quicumque actus, qui nec perficitur, nec perfectibilis est per donum consilii, non est actus prudentiae, sed actus falsum eligentis, nec perficitur, nec perfectibilis est per donum consilii. Ergo etc.

Quarto denique ad inquirendum, dijudicandum, et constituendum quis probabilitatis gradus moralem certitudinem afferat de honestate actionis, prorsus opus est diligentia, solertia, cautione, circumspectione, consilio, quibus rebus omnibus constat prudentia, et efficitur. Nihil autem horum requiritur ad sectandas opiniones minus probabiles; siquidem ad hoc sufficit librum aperire. Ergo in electione opinionis minus probabilis vix reperire est aliquod satis expressum vestigium prudentiae: ad probabiliorem vero eligendam, quae moralem certitudinem afferat, judicium prudentiae omnino requiritur.

ARTICULUS IV.

Idem probatur notione ipsa probabilioris ab adversariis tradita.

Probabilior opinio sic describitur a celebri probabilista ex communi apud probabilistas notione. Probabilior intrinsece est, quae pro se habet meliores rationes: probabilior extrinsece, quae pro se habet majorem auctoritatem. Si opiniones sunt circa revelata, illa est probabilior, pro qua potius videtur stare revelatio: si circa res spectantes ad jus positivum, illa est probabilior, cui magis favent leges, vel consuetudo, quae est optima legum interpres: si circa mentem legislatorum, vel circa intelligentiam legum etiam moralium, plus tribuendum est antiquis, quam recentibus, quia illi fuerunt magis vicini auctoribus legum, et ab initio interpretes earum: si sint circa materias fidei, et morum, plus est tribuendum sanctioribus, quam aliis, quia illi, et amplius illuminantur a Deo, et melius sciunt mystica discernere: circa materias attingentes conscientiam plus tribuendum theologis, quam juristis; circa materias juridicas plus juristis, quam theologis etc., quia cuique in sua arte, et professione est magis fidendum. Ita probabilistae conceptis verbis.

Illa ergo definitio continet notas, et differentias, quibus opinio probabilior in se constituitur, et ab opinione minus probabili secernitur, secus nulla esset definitio, seu descriptio ab ipsis adversariis prolata. Hoc posito quisquis docet in opinionum delectu prudenter quemque posse probabiliorem praetermittere, et adhibere minus probabilem libertati

faventem, docet prudenter facere illum, qui deserit opinionem praeditam conditionibus in definitione memoratis, et eam sequitur, quae tales conditiones non habet, qui scilicet deserit opinionem, quae pro se habet, meliores rationes, et majorem auctoritatem, pro qua potius videtur stare revelatio, cui magis favent leges, et consuetudo, cui suffragantur antiqui, et sanctiores. Atqui hoc est aperte contrarium prudentiae, et omnibus ejus partibus, nimirum bono consilio, et bono judicio, quod melioribus semper rationibus, et sanctiori auctoritate regi debet, docilitati qua fit, ut auscultemus sapientioribus, et sanctioribus, cautioni, et circumspectioni etc., quod sane qui non agnoscat vix praeditus videatur eo sensu, quem prudentiae proprium post Aristotelem docet S. Thomas quaest. 48. Ergo etc. Sed hoc est argumento plane invicto demonstrandum.

PROPOSITIO.

Ubi agitur de moribus eadem ratio, quae facit, ut una opinio sit altera probabilior, facit etiam ex prudentiae lege, ut probabilior anteponi debeat.

Prob. Ubi agitur de intelligentia legum etiam moralium atque de rebus ad mores pertinentibus illa est opinio probabilior, pro qua stant antiquiores, et sanctiores. Ita expressis verbis loquuntur nobiles admodum probabilistae. Ratio vero, propter quam talis opinio est probabilior, et ab ipsis affertur, quae etiam est evidentissima, quod nimirum plus sit tribuendum antiquis, quam recentibus, plus sanctioribus viris, quam aliis, utpote qui magis illuminantur a Deo. Jam sic argumentum concludi potest.

Qui dicit plus esse tribuendum antiquioribus, et sanctioribus dicit opinionem illam esse amplectendam, pro qua sunt antiquiores. Atqui adversarius ipse ex una parte dicit plus esse tribuendum antiquioribus, et sanctioribus, et ex alia parte dicit opinionem probabiliorem esse, pro qua stant antiquiores, et sanctiores. Ergo etiam dicere debet opinionem probabiliorem esse amplectendam: secus incidet in manifestam repugnantiam, quae hoc pacto adhuc demonstratur . . . Nam qui negat ex praescripto prudentiae amplectendam opinionem probabiliorem, vel negare debet opinionem probabi-

liorem esse, pro qua stant antiquiores, et sanctiores, vel negare plus esse tribuendum antiquioribus, et sanctioribus: sed adversarius fatetur opinionem probabiliorem, opinionem, pro qua stant antiquiores, et sanctiores, unum, idemque esse, siquidem unum per aliud definit, et aliunde plus esse tribuendum sanctioribus, et antiquioribus idem est, ac sequi opinionem pro qua stant antiquiores, et sanctiores. Ergo qui haec fatetur, et simul negat amplectendam probabiliorem, idem simul affirmat, et negat, in quo manifesta est repugnantia.

Praeterea ideo opinio, pro qua stant sanctiores, et antiquiores, est probabilior, qua plus est tribuendum sanctioribus, et antiquioribus: sed si revera ex praescripto prudentiae plus est tribuendum sanctioribus, et antiquioribus, erit etiam ex praescripto prudentiae amplectanda opinio, pro qua stant sanctiores, et antiquiores, secus non plus illis tribueretur. Ergo ratio ab adversariis allata, quae facit, ut opinio sit probabilior, facit etiam ut sit ex praescripto prudentiae amplectenda.

ARTICULUS V.

Idem probatur ex naturali propensione, et perfectione intellectus.

Quod est contra naturalem inclinationem intellectus, et ad nullum finem virtutis referri potest, illud non est ex virtute prudentiae. Nam quod est contra naturalem inclinationem intellectus, est etiam contra perfectionem ejusdem: prudentia autem est perfectio intellectus: ex alia parte prudentia semper tendit in aliquem finem virtutis, et ex aliquo fine virtutis procedit applicatio ipsius ad agenda; ut proinde quod non est ex aliquo fine virtutis numquam possit esse ex prudentia. Atqui eligere opinionem minus probabilem, in conflictu probabilioris legi faventis est contra naturalem inclinationem intellectus, nec potest esse ex aliquo fine virtutis. Prob. Minor, primo ad hominem auctoritate celebris probabilistae, cujus verba superius recitavimus: nimirum intellectus in consideratione speculativa rerum, etiam practicabilium saepe habet se ad instar principis, qui dignitatem, aut praemium lagiturus est digniori: nam quum audit merita excel-

lentia unius, et res bene gestas, inclinat, ut largiantur illi dignitatem: quum autem proponitur alter, de quo similia merita narrantur, fluctuat quousque benevolus affectus in alterum eorum inclinet. Sic intellectus veritatis magnus indagator, quasi desiderat stare pro meritis majoris verisimilitudinis: ergo quum similem, et ejusdem meriti verisimilitudinem invenit in rationibus utriusque partis poterit haesitare dubius, quousque nova ratio adveniat vel practica, vel speculativa, vel affectio voluntatis, quae ad assensum alterius partis inclinet. Hactenus auctor. Intellectus itaque quum naturaliter magnus sit indagator veritatis non potest non habere naturalem propensionem in id, quod praeseferet majorem speciem veri, seu, prout hic dicitur, desiderat stare pro meritis majoris verisimilitudinis: adeoque quum partes oppositae sunt, atque verisimiles, ut intellectus inclinetur in unam partem, oportet ex auctore, ut nova superveniat ratio, vel affectio voluntatis ipsum inclinet. Jam vero, si nova supervenit ratio sive practica, sive speculativa, haec nova ratio efficiet partem, cui favebit, probabiliorem: quippe omnis ratio se tenet ex parte facultatis cognoscentis animi: atque adeo intellectus in eam inclinans naturalem suam inclinationem sequetur. Posteaquam vero ea pars, ratione superveniente, facta est probabilior, ut intellectus inclinet in partem oppositam, sola efficere potest affectio voluntatis: nam si esset propter novam aliam rationem se tenentem ex parte cognitionis, jam haec pars esset ipsa probabilior. Duplici ergo ex capite moveri potest intellectus in unam partem: vel quia ei parti magis favet cognitio rationis, sive quia est probabilior, vel quia ei magis favet affectio voluntatis. Ergo quoties affectus voluntatis movet intellectum ad partem minus probabilem, atque ut talem cognitam, imperat actum, qui est contra naturalem inclinationem intellectus, qui scilicet ut naturaliter indagator veritatis, naturaliter desiderat stare pro meritis majoris verisimilitudinis. Ex alia parte affectio voluntatis deflectens intellectum a parte probabiliore favente legi non potest esse ex aliquo fine virtutis, siquidem movet in favorem libertatis contra legem. Ergo actus, quo intellectus deflectitur a parte probabiliore favente legi in partem minus probabilem libertati faventem, est contra naturalem inclinationem ipsius, nec potest esse ex aliquo fine virtutis. Non est igitur actus prudentiae.

Secundo. Idem probatur auctoritate S. Basilii, qui hom. in principio Proverb. num. 9. docet inaequalitatem judicii, quae in proverbiis adumbratur per pondus magnum, et parvum abominabilia apud Deum, non solum in judiciis faciendis fugiendam esse, sed etiam in singulis rebus in vita seligendis. Nonne autem pondus illud magnum, et parvum tribuunt voluntati, qui volunt voluntatem efficere posse pro arbitrio, ut minus probabilia, quum voluerit, praeponderent probabilioribus? Tum num. 10. haec habet Basilius, quae rem conficere prorsus videntur. « Quoniam igitur juxta ipsum « Salomonem cogitationes justorum judicia sunt, opera est « sedulo danda, ut intus in abdito cogitationum foro recta « de rebus judicia feramus, habeamusque mentem trutinae « similem, quae citra inclinationem ullam agenda quaeque « appendat. » Vult ergo Basilius, ut in judicio de singulis rebus agendis mens tamquam trutinae similis agenda quaeque appendat, et ei parti se adjungat, pro qua stat pondus rationum: vult hoc fieri citra inclinationem: nam trutina non est recta, quae inclinat se se in unam partem potius, quam in aliam, facitque ut minus pondus praeponderet graviori. Numquam ergo ex Basilio rectum dici poterit judicium, quo ex inclinatione voluntatis trutinae proprietatem mens amittit, atque minore rationum pondere deprimitur in partem minus probabilem libertati faventem: quin etiam Basilius in abdito cogitationum foro de singulis rebus agendis eam rectitudinem requirit, quam debet habere judex in judiciis. Atqui judici non licet partem minus probabilem sequi. Ergo etc. Denique in occulto animae judicio Basilius ad rectitudinem jubet praeceptum adhiberi tamquam assessorem: quod qui recte perpenderit, non dubitabit ex Basilio ad rectum judicium, legi favendum potius, quam libertati.

CAPUT VI.

Reflexum principium probabilistarum nullam certitudinem habere probatur probabilistarum principiis.

Quoties quis agit ex opinione minus probabili favente libertati, nullam haberi posse certitudinem de honestate actus directe profectam ex ipsa opinione minus probabili fatentur probabilistae. Attamen ad excludendum periculum peccandi

requirunt, ut dictamen practicum de actione licite facienda sit saltem moraliter certum, et verum. Hanc porro certitudinem repetunt ex hoc principio reflexo, prudenter eum, et licite agere, qui agit ex opinione vere probabili, tametsi minus probabili: quod principium ex ipsis debet esse certum, et indubie verum, ut ex eo ultimum dictamen practicum in eligenda opinione minus probabili habeat certitudinem, quae requiritur ad excludendum periculum peccandi. Patet autem oportere illud principium esse directe certum, et indubium: nam, si directe spectatum esset incertum, non posset certum fieri, nisi vi alterius principii reflexi, et sic progrediendum esset in infinitum. Principium ergo, quod reflectit certitudinem in dictamen practicum, oportet esse vi sua et ratione sui directe spectatum omnino certum.

Ut ergo evertatur probabilismus non aliud requiritur, quam ut ostendatur illud principium reflexum saltem certum non esse: nam si certum non est, neque certum esse poterit dictamen conscientiae practicum ex eo deductum. Atqui hoc effici potest ipsis probabilistarum decretis. Est effatum probabilistarum nullam sententiam certam esse, quamdiu opposita est certo probabilis. Ergo si nostra sententia negans illud principium reflexum valere, est certo probabilis, profecto non potest esse certa sententia adversariorum, seu principium illud suum reflexum, quod tuentur. Atqui sententiam nostram certo probabilem esse demonstrari potest ipsis etiam adversariorum principiis: nam illa sententia est certo probabilis, quae certo gravi auctoritate nititur; habetque pro se auctores omni exceptione majores. Quod, ut compendio probem, omittam sanctos patres, quos tamen nobis favere multis argumentis constat, eo quod quaestionem probabilismi nondum invectam expresse non tractaverint: omittam veteres scholae principes, de quibus, licet immerito, adversarii litigare volunt; omittam privatos scriptores recentissimos, et nihilominus constabit auctoritatem tantam nobis remanere, quanta plane requiritur, ac sufficit.

Laudare jam possumus sapientissimum pontificem Benedictum XIV, qui perspicuis verbis nostram sentiam adserit, dum confessarios admonet, ut eam sententiam amplectantur, cui magis suffragari rationem, et auctoritatem favere cognoverint: deinde amplissimos S. Romanae ecclesiae cardinales Bona, De Aguirre, De Lauraea, tum doctissimum Henri-

cum Norisium, ut taceam de summo theologo Roberto Bellarmino, quem tamen probabilismum oppugnasse luce maeridiana clarius est in admonitione ad episcopum Theanensem nepotem suum: praeterea eximium theologum, et praesulem clarissimum Benignum Bossuetum, et alios multos antistites, velut Genetium, insuper Antonium Charlas, Prosperum Fagnanum egregium decretalium interpretem, Tyrsum Gonzales societatis Jesu praepositum generalem, Antonium Merenda in universitate bononiensi professorem, Julium Mercorum inquisitorem Mantuae: tum egregios scriptores Michaelem de Elizalde, Ignatium de Camargo, Andream Blancum, Paulum Comitolum, Johannem Baptistam Gonet, Vincentium Contensonium, Ferdinandum Rebellum, Natalem Alexandrum, Antoine, aliosque plurimos, qui proferri possent. Quis porro neget tot tantisque scriptoribus eam efficiendae opinionis probabilis auctoritatem, quam vel uni Bonacinae, vel cum paucis aliis adversari concedunt? Efficitur ergo ipsis eorum principiis, ut nostra sententia sit certo probabilis. Ergo ipsorum sententia certo non est certa. Ergo certum non est reflexum illud principium, licitum esse, quod fit ex opinione minus probabili favente libertati. Ergo ex tali principio certum fieri non potest dictamen practicum de honestate actus, qui fit ex tali opinione. Ergo nequit per illud dictamen excludi periculum peccandi. Probabilismus igitur suis principiis evertitur.

CAPUT VII.

Multiplici argumentorum genere probatur non licere sequi opinionem minus probabilem faventem libertati.

Cogunt nos angustiae temporis multam praeterire copiam argumentorum magnam vim habentium ex iis, quae a probatissimis scriptoribus proferri solent. Sed quandoquidem non omnia describere juvat, quae pridem collecta, et saepius exscripta nulla difficultate reperiri, ac legi possunt, tanto aequiori animo ferimus hanc brevitatis necessitatem, quanto minore studio copiosam disputationem habere hoc loco potuissemus.

Probatur itaque *primo* sacrarum litterarum auctoritate. Apostolus ad Eph. 5. « Fructus enim lucis est in omni bo« nitate, justitia, et veritate; probantes quid sit beneplaci-

« tum Deo.... Videte itaque fratres, quomodo caute ambu-
« letis.... Propterea nolite fieri imprudentes, sed intelligentes
« quae sit voluntas Dei. » Quomodo autem dici potest caute ambulare in bonitate, justitia, et veritate, probare caute quid sit beneplacitum Deo, intelligere, quae sit voluntas Dei, qui sequitur id, quod probabilius est falsum, malum, injustum, quod probabilius cognoscit esse in se contra praeceptum, et voluntatem Dei? Idem apostolus 1. ad thessalonicenses 5. *Ab omni specie mala abstinete vos.* Jam species mala quid aliud est, quam species mali? Porro quod non solum probabiliter, sed probabilius malum est, ac prohibitum, habet certe speciem, seu apparentiam mali. Ergo jubente apostolo, ab eodem abstinendum.

Prob. secundo propositionibus damnatis ab Innocentio XI., scilicet propositione num. 3. « Generatim dum probabilitate
« sive intrinseca, sive extrinseca quantumvis tenui modo a
« probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus,
« semper prudenter agimus. » Haec propositio damnatur prout loquitur de probabilitate tenui quidem, sed quae tamen non exeat a finibus probabilitatis; adeo ut tenuitas hic non absolute sumenda sit prout excludit probabilitatem, sed comparate prout opponitur graviori probabilitati. Ergo falsum est generatim principium adversariorum, quo constituunt licite adhiberi posse opinionem minus probabilem in conflictu probabilioris: datur siquidem opinio revera minus probabilis inter fines ipsos probabilitatis, qua confisi prudenter non agimus. Falsum est ergo omnem probabilitatem sufficere, ut prudenter quis agere sit censendus. Jam quum omnis opinio minus probabilis eo ipso sit tenuis comparate ad probabiliorem, valde periculosum esset velle definire, quo gradu tenuitatis probabilitas a prudentia recedat, nec amplius suffragetur. Prudentius igitur sentire videntur, qui minori probabilitati minus fidendum existimant.

Damnata est insuper propositio num. 2. « Probabiliter
« existimo judicem posse judicare juxta opinionem etiam mi-
« nus probabilem. » Equidem adversarii coacti fuerunt propter damnatas propositiones agnoscere multis in casibus non licere sequi opinionem minus probabilem. Ut autem opinionis minus probabilis usum in aliis retinerent, nonnullas caussas, et rationes excogitarunt, cur judici, medico, et aliis similibus non liceat sequi opinionem minus probabilem, liceat au-

tem eam sequi, ubi solum agitur de observantia mandatorum Dei. Verum illae rationes apertissime valent pro omni materia, ut proinde non alia hic argumenta proferre opus sit, quam quae suppeditant probabilistae.

Judicem porro speciatim teneri ad probabiliorem sententiam sic probant probabilistae. Primo: « Judex tenetur tamquam persona publica dicere unicuique jus suum pro aequitate. » Atqui etiam pro aequitate, et justitia tenetur unusquisque tamquam persona Deo subdita reddere Deo, quae Dei sunt, praecepta ejus observando. Secundo: « Judex se habet ut arbiter, qui tenetur dicere quod sentit. » Atqui etiam conscientia se habet ut arbiter, qualem eam adversarii constituunt inter libertatem, et legem. Si ergo dicere quod quis sentit, est dicere, quod sibi probabilius videtur, quod supponit adversarius, tenebitur etiam conscientia dicere, quod sentit, et ideo dictare, quod sibi probabilius videtur. Tertio: « Est tacitus contractus cum republica ex vi officii suscepti, « ut sententiam ferat secundum aequitatem, et majora motiva rationum. » Hanc rationem extendunt etiam adversarii ad medicum, qui tenetur ex simili contractu cum privatis ad ponenda media conducibiliora ad effectum intentum consequendum. Unde ajunt pari modo medicum non posse minus probabilia sequi, quia tenetur quantum potest id ponere, quod est necessarium ad effectum obtinendum. At vero etiam Deus mandata sua imposuit hominibus, ut in effectu observarentur, non ut circa ea luderent, aut disputarent per probabilitates: nec vero minor est obligatio, quae oritur in unoquoque ex mandato Dei, quam quae oritur in judice, ac medico ex contractu, vel quasi contractu. Ergo etiam quilibet tenetur adhibere vias accomodatiores ad implenda in effectu mandata Dei et ad nihil faciendum, quod secundum se sit contra praeceptum Dei. Quarto: « Alias pateret semper janua acceptioni personarum, posset enim prout vellet favere amicis, vel dantibus munera. » Alias etiam pateret semper jauna acceptioni opinionum, quae non minus repugnat veritati, quam personarum acceptio aequitati; et posset prout vellet quisque cupiditati, vel utilitati indulgere contra legem. Quinto: « Princeps non teneretur peritos judices statuere, « quia quivis fere sufficiet ex advocatorum relationibus, et « deductionibus judicare probabilitatem esse utrimque, tumque procedet licite, ut volet. » Multo minus opus esset

cautionibus praescriptis ab ecclesia semper, et a concilio tridentino speciatim, quod attinet ad explorandam scientiam, et peritiam eorum, qui praeficiuntur muneribus ecclesiasticis: potest enim quilibet parochus, et confessarius aperire aliquem librum casuisticum, videre probabilitatem utrimque, et licite procedere, ut volet. Sexto: « Alias foret melius constituere « sortes ad terminandas lites: sors enim faveret aequaliter « omnibus, nec requireret tantas expensas. » Sic etiam posset unusquisque praetermisso studio divinae legis probabiles opiniones cartulis inscribere, cartulas complicatas in urnam conjicere, tumque sorte depromere. Quamcumque opinionem sibi sequendam decerneret, is tamen homo esset prudens?

Prob. tertio Patrum auctoritate. Augustinus lib. 22. de civit. Dei cap. 23. justos docet « excubare sollicite, ne opi« nio verisimilis fallat, ne dicipiat sermo versutus, ne se « tenebrae alicujus erroris offundant, ne quod bonum est « malum, aut quod malum est bonum esse credatur... ne « in ea, quae agenda non sunt, cupido praecipitet. » Hic sane reprobat Augustinus omnem quamcumque opinionem verisimilem, cui falsum subsit, et faciat, ut licita credamus: quae sunt illicita: praecipit sollicite excubandum; ne tali opinione quis decipiatur. At qui sequitur opinionem minus probabilem libertati faventem, quo tempore agnoscit probabilius malum esse, quod ea opinione tenetur, is profecto non cavet quantum potest, ne opinio verisimilis fallat. S. Chrysostomus Hom. 13. in cap. 7. 2. ad Corinth. *Ne igitur multorum opiniones habeamus, sed res ipsas inquiramus:* quo satis ostendit non opiniones, seu probabilitatem per se se, sed veritatem esse regulam morum... S. Gregorius Magnus 5. moralium cap. 6. « Saepe opus nostrum caussa damnationis « est, quod profectus putatur esse virtutis. Saepe unde pla« cari judex creditur, inde ad irascendum placidus instiga« tur Salomone attestante: Est via, quae videtur homini re« cta, et novissima illius ducunt ad mortem. Unde sancti « viri quum mala superant sua etiam bene gesta formidant, « ne quum bona agere appetunt de actionis imagine fallan« tur, ne pestifera tabes putredinis sub boni specie lateat co« loris. » Quid porro est putredinis tabes latens sub boni coloris specie, nisi opus malum, quod probabiliter bonum apparet? Neque hic putandum est agi de tenuissima probabilitate,

quae imprudentibus tantum possit illudere: quippe loquitur Gregorius de tali specie, quae possit illudere justis, eosque sollicitos tenere debeat, ne fallantur; in quo est animadvertendum sanctos patres generatim reprobare omnes illas verisimilitudines, quibus falsum subeat, nulla distinctione adhibita inter momenta plus, minusve gravia: unde patet eos minime putasse opinionem verisimilem falsam posse ullo tempore, aut modo licitum, et bonum reddere, quod per se illicitum, et malum sit.

Prob. quarto auctoritate principis theologorum. Celebre est D. Thomae testimonium Quod libeto 8. art. 13. « Dicendum « quod quando quae opiniones sunt contrariae de eodem « oportet esse alteram veram, et alteram falsam. Aut ergo « ille, qui facit contra opinionem magistrorum, utpote ha- « bendo plures praebendas, facit contra veram opinionem, « et sic quum facit contra legem Dei non excusatur a pec- « cato quamvis non faciat contra conscientiam: sic enim con- « tra legem Dei facit: aut illa opinio non est vera, sed ma- « gis contraria, quam iste sequitur, ita quod vere licet ha- « bere plures praebendas: et tunc distinguendum est, quia « aut talis habet conscientiam de contrario, et sic iterum pec- « cat contra conscientiam faciens, quamvis non contra legem: « aut non habet conscientiam de contrario, seu certitudi- « nem, sed tamen in quamdam dubitationem inducitur con- « trarietate opinionum, et sic, si manente dubitatione plures « praebendas habet, periculose committit, et sic procul du- « bio peccat, utpote magis amans beneficium temporale, quam « propriam salutem: aut ex contrariis opinionibus in nullam « dubitationem inducitur: et sic non committit se discrimini, « nec peccat. » Hic agebatur de quaestione difficili, et utrimque probabili, in qua, ut ait, inveniuntur theologi theologis, et juristae juristis contraria sentire. Porro si D. Thomas putasset opinionem probabilem faventem libertati, licet in se falsam, in conflictu alterius opinionis, aut aeque probabilis, aut probabilioris faventis legi excusare a culpa, imperite omnino, de illa quaestione disseruisset. Primo enim quum dicit ex duabus opinionibus contradicentibus oportere unam veram esse, alteram falsam, debuisset addere utramque esse posse aut probabilem, aut improbabilem, aut magis, vel minus probabilem: nam ex hoc pendet maxime resolutio de his, quae licite fieri possent in probabilistico systemate. Secundo

non debuisset dicere, posito, quod opinio, quae statuit licite haberi posse plures praebendas, sit falsa, eum peccare, qui eam sequitur, licet non faciat contra conscientiam, eo quod faciat contra legem Dei, sed potius debuisset dicere, quod dicunt probabilistae, talem, licet faciat materialiter contra legem Dei non peccare, posito, quod opinio falsa sit probabilis. Tertio non debuisset dicere, illum, qui sequitur opinionem, quae ait licitum esse habere plures praebendas, hoc tantum casu licite agere, si nimirum et opinio illa est vera, et non contraria legi divinae, et quum nullam habet dubitationem: nam daretur alter casus, in quo licite posset habere plures praebendas, si nimirum opinio tametsi falsa, et in se contraria legi, nihilominus esset probabilis.

Prob. quinto illustrium recentium auctoritate V. Bellarminus admonitione ad episcopum Theanensem: « Si quis velit in tuto salutem suam collocare, et simul oporteat eum « episcopali officio fungi, is omnino debet de octo controversiis (quas memorat) certam veritatem inquirere, et non « respicere quid multi hoc tempore dicant, aut faciant. Etsi « rei certitudo non possit ad liquidum apparere, debet omnino « tutiorem partem sequi: agitur enim de summa rei, quum « de salute aeterna tractatur, et facillimum est conscientiam « erroneam exemplo aliorum induere: et eo modo conscientia non remordente ad eum locum descendere, ubi vermis « non moritur, et ignis non extinguitur. » Hactenus Bellarminus. At dixit aliquis hanc doctrinam fuisse a Bellarmino propositam episcopis et pro controversiis eo loco memoratis; pro aliis non valere. At quis non videat Bellarminum quum episcopum instituendum accepisset, regulam suapte natura generalem episcopo proposuisse in iis maxime controversiis adhibendam, in quibus proclivius putabat episcopo per opiniones, aliorum, et exempla fucum fieri posse? Ceterum nisi regula valeret in omnibus morum controversis prout ad cujusque officium pertinet, sed in his probabilismus licite adhiberi posset, procul dubio episcopo etiam eadem via interdici nec posset, nec deberet. Neque vero ex allatis verbis colligi potest tutioristam fuisse Bellarminum: ait enim tum solum tutiorem partem amplectendam esse, quum rei certitudo non appareat. Porro moralis, et imperfecta, quae in moralibus requiritur certitudo, habetur interdum ex probabilitatibus, ut

superius ex eo vidimus. Tum ergo licebit opinionis certitudinem sequi etiam contra partem tutiorem.

Cardinalis vero de Aguirre, qui probabilismum aliquando tenuerat, reque deinceps melius considerata deseruerat, multa in hanc rem habet praefatione ad Tomos conciliorum Hispaniae. Refert locum mox adductum ex Bellarmino, aitque: « Haec scribebat piissimus ille cardinalis sub initium hujus « saeculi, quando probababilismus nondum radices miserat: « quid diceret longe postea, ubi tot monstra opinionum adver- « sus moralem christianam, et disciplinam ecclesiasticam, et « canonicam eruperunt?.... Atque in sacris hisce congrega- « tionibus quotidie occurrunt innumerae caussae; quarum de- « cisio ex sacris conciliorum canonibus pendet. Ubi autem « variae auctorum occurrunt sententiae, illa omnino prae- « fertur, quae omnibus hinc inde consideratis tutior videtur, « aut juri, et aequitati conformior (idest verior, et proba- « bilior ut alibi explicat) nimirum hic fuit semper spiritus « ecclesiae tam in pontificibus romanis, cardinalibus, et epi- « scopis, quotquot canones conciliorum ediderunt, quam in « iis, qui pietatis, et doctrinae laude illos usque modo imi- « tati sunt: unde ab initio fere pontificatus Alexandri VII « mirum est, quo zelo, qua eruditione, et constantia quam « plurimi episcopi praestantissimi nominis partim vita functi, « partim superstites probabilismum luxuriantem represserint. » Hactenus vir doctissimus.

Prob. sexto ex illis tam multis propositionibus damnatis, quae a pietate, et lege vel primo aspectu apertissime abhorrere videntur, et tamen ab acutissimis, et magni nominis probabilistis, quorum ex libris excerptae sunt, ut probabiles habitae fuerunt, ac defensae. Antequam ergo damnarentur, vel erant probabiles, poterantque a culpa excusare, qui eas sequerentur, vel non erant probabiles. Si dicetur ante damnationem probabiles fuisse, et potuisse a culpa excusare, contra est, quod ante damnationem erant scandalosae, et in praxi perniciosae, atque adeo praebentes occasionem peccati: nam quod fuit caussa damnationis praecessit sane damnationem: sed illae opiniones ideo damnatae fuerunt eo quod essent christianae disciplinae relaxativae, et perniciem animarum inferentes, ut ipsemet pontifex Alexander VII testatur. Ergo tales erant, quales pontifex eas dicit fuisse, nec factae sunt scandalosae, quia damnatae, sed damnatae quia

scandalosae. Hic porro juvat referre quod respondet celebris probabilista: illas scilicet opiniones ante damnationem scandalosas, et perniciosas in praxi materialiter, et secundum se fuisse, non formaliter, et quoad nos: nimirum quae erant vere probabiles, erant quidem occasio peccati materialis, quia inducebant ad actionem legi Dei antecedenti difformem: quia tamen id invincibiliter ignorabamus, et nitebantur motivo gravi, fundabant nobis prudens dictamen, et sic per accidens excusabamur a peccato formali. Hactenus probabilista.

Quid ergo illae opiniones hoc tantum sensu scandalosae erant, et perniciosae, quod in peccata materialia inducerent, non in peccata formalia? Atqui contrarium profitetur pontifex, qui ait eas tales fuisse, quae animarum perniciem inferrent, quas si pro recta regula fideles in praxi sequerentur, ingens irreptura esset vitae christianae corruptela: quae ideo damnandae fuerunt, ne via salutis perverteretur, et ut oves sibi creditae ab hujusmodi spatiosa, et lata via, per quam itur ad perditionem, in rectam semitam revocarentur. Porro propter peccata materialia, ut fatentur ipsi adversarii, non deseritur via salutis, non itur ad perditionem: igitur tales opiniones vere inducebant in peccata formalia; siquidem per eas pervertebatur via salutis, spatiosamque, et latam viam ostendebant, qua itur ad perditionem.

Secundo. Quomodo scriptor ille dicere non dubitavit se, aliosque viros theologos invincibiliter ignorasse pravitatem tot flagitiorum, quot vel apertissima ipsismet rudibus plerisque illis opinionibus continentur?

Tertio. Quomodo nec dicere dubitavit ejusmodi opiniones nixas revera fuisse motivo gravi, et fundasse prudens dictamen? Siccine talia sunt motiva gravia probabilismi, tale prudens dictamen, quod opiniones approbet, e quibus ingens christianae vitae corruptela, et animarum pernicies erumpat?

Quarto. Quomodo non vidit auctor plagam, quam intulit probabilismo, dum coactus est fateri sub vera probabilitate, et tuta in praxi, latere tamen aliquando potuisse opiniones adeo scandalosas, et perniciosas in praxi? Quis jam prudenter fidere audeat probabilismo, qui talia sinu suo continere, et protegere convincatur?

Quod si alii dixerint etiam ante damnationem tales opiniones non fuisse probabiles, doceant, quomodo discerni pos-

sint opiniones vere probabiles a non probabilibus vi probabilismi, si opiniones, quas defendebant multi spectati auctores, et acutis rationibus propugnabant, non fuerunt probabiles? Sed hoc docere numquam poterunt: immo contrarium ex ipsorum principiis doceri potest: nam si dicent illas non fuisse probabiles, quia sophisticis rationibus nitebantur, quod unum dicere possunt, nos id falsum esse horum principiis arguemus: nam apud probabilistas sophistica ratio non est simpliciter ratio concludens falsum sub specie veri, ut omnes docti, et indocti semper existimarunt. Sed ut ratio sit sophistica oportet, *ut sciatur esse falsa:* ita decernit celebris probabilista. Porro si auctores illarum sententiarum scivissent suas rationes esse falsas, non eas simul habere potuissent, et defendere ut probabiles. Ideo ergo illas defendebant, quia non putabant esse falsas. Ergo non erant rationes sophisticae ex principiis adversariorum.

Hinc sequitur probabilismum facilius, quam par est, ducere posse in laxitatem: etenim si theologi omnes aliam semper sententiam tenuissent non licere agere ex probabilitate favente libertati contra legem, nisi quando ea probabilitas tanta est, ut directa quaedam, et moralis certitudo exoriatur actionem esse licitam secundum mentem D. Thomae, profecto nemo unquam theologus tales opiniones proponere ausus fuisset: vix enim quispiam eas habere potuit velut moraliter certas directe, et secundum se: et si quis aliquando errore occupatus, et velut praestigio quodam talem aliquam opinionem ut veram, et certam directe tenuisset, aliis certe persuadere suam sententiam non potuisset. Sed quum hoc tantum negotii sibi dari crederent, ut opiniones afferrent, in quibus non veritas requirenda esset, sed sola probabilitas, magnam sibi multi sumpserunt licentiam quidvis audendi; non enim difficile erat ingeniosis hominibus aliquem probabilitatis colorem inducere, ubi nec veritate opus esse putabant, nec majori etiam probabilitate. Hoc ergo praestat nostra sententia opinioni adversariorum, quod ad nostram sententiam accedere vix possunt, et, si alicujus errore accedunt, permanere nullo modo possunt flagitia opinionum, quae tam facile sub probabilismo delitescere potuerunt: vix enim fieri potest, ut res tam absurdas sibi persuadeat, qui in animum induxerit suum non aliter esse probabilitati assentiendum, quam quum per probabilitatem redditur homo moraliter securus de rei veritate.

CAPUT VIII.

Satisfit objectis adversariorum.

Opponunt ex sacris litteris primo illud Math. 11. *Jugum meum suave est, et onus meum leve.* Ergo sectandae sunt benignae opiniones.

Resp. Christi jugum dici suave, et onus ejus leve non indulgentia favente libertati, atque jugum, et onus excutiente, sed gratia, et charitate vires praebente, et alacritatem. Sic D. Thomas in 3. dist. 4o. art. 4. « Jugum suum non « ideo suave Dominus dixit, quia secundum se non sit laboriosum, et asperum » quod tamen velle videntur adversarii, dum ex eo loco patrocinium quaerunt blandis opinionibus minus probabilibus: sed ex D. Thoma suave jugum, et onus leve dicitur « quia lex evangelica ad mandata implenda « inducit ex amore, qui omnia levia facit: « In quam sententiam Augustinus lib. de Natura, et gratia: « Mandata ejus « gravia non sunt: non sunt, inquit, gravia amanti, sed « non amanti gravia sunt. » Concilium vero Trid. ses. 6. cap. 11. mandata non gravia, et jugum suave docet propter hanc rationem: « Qui enim sunt filii Dei, Christum diligunt: « qui autem diligunt eum, ut ipsemet testatur, mandata ejus « observant. » Sic etiam divinae gratiae auxilio jugum Christi suave fieri docet Augustinus sermone 47 de diversis, quia « tametsi durum videtur, quod Dominus imperavit: si quis « vult venire post me abneget semetipsum, sed non est du- « rum, et grave, quod ille imperat, qui adjuvat, ut fiat, « quod imperat ». Dicitur etiam suave jugum Christi, prout comparatur cum jugo peccati. Sic Augustinus serm. 22. De verbis Apostoli: « Jugum meum leve est, et sarcina mea « levis. Quid est levis est? Quid? Si habet pondus? sed mi- « nus. Plus habet avaritia, minus justitia ». Et etiam suave dicitur, prout refertur ad legem mosaicam propter illa tam multa praecepta, quae ideo data fuerunt, ut populum durae cervicis severiore disciplina cohiberent. Licet autem in Evangelio expresse prohibeatur non solum homicidium, verum etiam verbum injuriosum: non solum adulterium, verum etiam aspectus mulieris ad concupiscendum eam; haec tametsi gravia sunt cupiditati, non ideo tamen Evangelii onus

gravius est: quia ut ait Chrysostomus facilius est servare utrumque scilicet, nec videre, nec adulterare, quam videndo non adulterare. Adversariorum proinde interpretatio a traditionis sensu aliena esse videtur, *fitque*, ut ait Mercorus, *injuria divinae gratiae*, quam habemus per Christum, reducere facilitatem observandi divina mandata, et ferendi Christi jugum, in usum probabilitatum, et non potius in ipsam gratiam Spiritus Sancti, per quem diffunditur charitas in cordibus nostris.

Opponunt secundo argumentum a Caramuele objectum Fagnano, ductum ex Alexandri VII. Bulla de Immaculata Deiparae Conceptione. Quaestio illa, inquiunt, est in materia fidei, et morum. Est in materia fidei, quia spectat ad intelligentiam aliquorum textuum Apostoli: est quoque in materia morum, quia Bulla praescribit specialem cultum ob ipsam Immaculatam Conceptionem exhibendum. Atqui tamen, subsumunt, in ea quaestione sola probabilitas sufficit ad assensum in materia fidei praestandum: nec enim pia sententia tamquam de fide est definita; sufficit etiam, ut cultus pie, et licite praestetur. Ergo valebit etiam probabilitas ad licitam reddendam quamcumque actionem contra opinionem vel tutiorem, vel probabiliorem. Nam et hic etiam, ut ait Terillus, pars tutior esset judicium sustinere, donec Ecclesia veritatem definierit: et tamen certo licitum est credere deiparam sine labe conceptam, et ob eam rem specialem cultum exhibere.

Resp. Doctissimum Joannem de Cardenas, tametsi probabilistam, tract. 1. de probabilitate disp. 15 toto art. 6. ingenue fateri, et aperte demonstrare nihil hoc argumentum efficere contra Fagnanum pugnantem etiam, ut nos facimus, pro sententia probabiliore, ubi haec sufficit ad efficiendam eam, quam S. Thomas vocat probabilem certitudinem, in qua nostra sententia nulla difficultas esse potest. Et primo quod attinet ad assensum, notandum est pontificem sententiam, quae asserit Deiparam sine labe conceptam, vocare piam, et religiosam. Secundo vetare, ne opinio contraria publice doceatur. Tertio vetare quoque, ne qui alterutri adhaeserint, haeretici a quoquam vel peccati mortalis rei traducantur. Ex quo sane patet non hic agi de assensu piae sententiae praestando tamquam articulo fidei, secus pia sententia tamquam de fide definita dicenda esset, et alteri ad-

haerentes haeretici essent existimandi. Porro quum pontifex non eam hoc pacto definierit, non sufficiunt argumenta quamtumvis probabilia, et moraliter certa ad ipsi praestandum assensum fidei divinae, ut patet ex propositione 21. damnata ab Innocentio XI. Fideles ergo piam, et religiosam sententiam tenentes ei assentiuntur ut longe probabiliori, ac moraliter certae. Quis porro dicat fideles assentiri parti minus probabili contra probabiliorem, et tutiorem, dum assentiuntur motivis, quae habent ut longe probabilissima, et moraliter certa? Neque porro tutius esset abstinere a tali assensu, ut immerito objiciunt adversarii. Nam ut esset tutius, oporteret aliquam esse legem saltem dubiam, vetantem talem assensum. Talem porro legem numquam sunt allaturi. Igitur quod attinet ad assensum, quem fideles piae, et religiosae sententiae praestant, ut moraliter certae, argumentum Caramuelis est extra rem. Nam quod ait Terillus tutius fore definitionem Ecclesiae expectare, locum haberet, si ageretur de assensu fidei divinae: non autem valet, ubi agitur de sententia, quae dumtaxat per motiva alioquin probabilissima ducitur ex revelatis, et hoc tantum sensu dicitur esse in materia fidei.

Quod vero attinet ad specialem cultum, quem pontifex concedit, neque hic confugiendum est ad dictamen opinionis minus probabilis contra probabiliorem, et tutiorem: nam statim atque pia sententia nititur motivis, et argumentis admodum gravibus, omnino certum est licitum, atque honestum esse Deiparae cultum religiosum exhibere, accommodate ad talem sententiam. Unde dictamen, quo exhibetur talis cultus procedit ex principio prorsus certo.

Opponunt tertio sacrorum canonum auctoritates: nam *primo*, cap. *Ego solis*, distinctione 9 expresse dicitur ex S. Augustino rationes probabiles sufficere ad prudens judicium dirigendum.

Resp. Haec verba esse canonis, seu Augustini: « Alios « autem (scilicet auctores non canonicos) sic lego, ut quan- « talibet sanctitate quantave doctrina polleant, non ideo ve- « rum putem, quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi per alios « auctores, vel canonicos, vel probabiles rationes, quod a « vero non abhorret persuadere potuerunt «. Itaque ad argumentum distinguo. Ex Augustino ad prudens judicium dirigendum sufficiunt probabiles rationes, quae tamen contra

se non habeant alias probabiliores conc., secus nego. Hanc esse mentem Augustini patet, quia rationes, quibus adversantur motiva probabiliora non possunt persuadere falsum non esse, quod illis rationibus adstruitur: tales tamen quaerit Augustinus, quae persuadeant. Secundo quia si Augustinus hoc scripsisset ex adversariorum sententia, cur praeter auctoritatem alicujus scriptoris multa sanctitatis, et doctrinae laude pollentis, quaerit ad assentiendum alias auctoritates, vel alias rationes probabiles persuadentes, nisi quia vult ex probabilitatum concursu elicere quod omni ex parte dignum sit approbatione, sitque adeo vere probabile? Eo ergo ipso refellit Augustinus adversarios, quod Augustinus auctoritatem viri sanctitatis, et doctrinae laude pollentis aliis auctoritatibus quandoque, vel rationibus confirmari opus esse agnoscit, unde incertitudo prorsus tollatur: nam, ut ait lib. 1 de baptismo contra Donatistas cap 3. « Graviter peccaret in rebus ad salutem animae « pertinentibus vel eo solo, quod certis incerta praeponeret.

Secundo. Proferunt caput *sicut quaedam* ex S. Leone dist. 14. ubi dicitur: « In his, quae vel dubia fuerint, aut obscu- « ra, id noverimus sequendum, quod nec praeceptis Evan- « gelii contrarium, nec decretis sanctorum patrum inveniatur « adversum. »

Resp. Id caput nobis favere: ibi enim quaeritur quae constitutiones valeant temperari, et quae non; decernitur autem: „ Sicut quaedam sunt, quae nulla possunt ratione con- « velli (ut ipsum jus naturale, et divinum) ita multa sunt, « quae aut pro necessitate temporum, aut pro consideratione « aetatum oporteat temperari, illa consideratione semper « servata, ut in iis, quae vel dubia fuerint etc. „. Quod autem constitutiones positivo jure sancitae temperentur occurrente necessitate, quid hoc officit nostrae sententiae? Deinde in adversariorum sententia id sequendum proponitur, quod saltem probabilius praeceptis Evangelicis, et patrum decretis contrarium invenitur, quod a mente canonis alienum esse omnino videtur.

Tertio. Ex cap. *inquisitioni* de sententia excommunicationis, ubi de conjuge credente matrimonium esse invalidum dicitur: „ Quum conscientia pulsat animum ex credulitate „ probabili, et discreta, quamvis non evidenti, reddere po- „ test, sed petere non potest debitum „. Ergo, inquiunt, credulitas probabilis sufficit, ut reddi licite debitum possit.

Resp. Eo loci agi de dubio superveniente de invaliditate matrimonii ex motivo probabili, et discreto, quo casu pontifex praescribit partem non solum probabiliorem, sed etiam tutiorem. Etenim qui dubitat, reddere debet, ne laedat jus conjugis, cui favet certa possessio: ipse vero petere non potest propter dubium ex solo motivo probabili, et discreto: a fortiori ergo non posset, si motivum probabilius esset. Igitur patet ex eo loco neminem licite agere, ubi adest motivum solummodo probabile, et discretum, quo credere quis possit actionem esse contra legem. Quo uno probabilismus penitus evertitur.

Quarto. Afferunt caput *Tuas dudum*, et caput *Licet* de sponsa duorum; quibus Alexander III, et Innocentius III declarant matrimonium antecedens ratum non irritari per subsequens consummatum, tametsi aliquos pontifices superiores contrarie sensisse testetur Alexander, et Innocentius memoret contrariam consuetudinem in ecclesia Mutinensi, quam abrogandam quidem statuit, non tamen declarat eos peccasse, qui bona fide illam secuti sunt. Ergo pontifices illi priores opinionem minus probabilem revera probarunt, et ex opinione minus probabili Mutinenses a peccato sunt excusati.

Resp. Pontifices, qui Alexandrum III praecesserunt, nullas decretales edidisse, quibus docerent id licere, quod Alexander III decreto suo fieri non posse declaravit, ut etiam notat Covaruvias in 4. Decretalium cap. 7., quare illi oppositum senserunt, ut privati tantum doctores. Neque ex hoc inferri potest illos ita sentiendo peccavisse, aut ei opinioni cognitae ut minus probabili adhaesisse. Potuerunt enim eam habere, ut omnino probabiliorem. Similiter Mutinenses, qui eam consuetudinem bona fide sequebantur, quod ignorarent motiva opposita, potuerunt ob ignorantiam invincibilem excusari a peccato, secus peccarunt, nec contrarium ait pontifex.

Quinto. Proferunt caput *Ex parte* de censibus, quo Innocentius III concedit, ut qui vota B. Jacobi ad varias, et diversas mensuras persolvebant, nec constaret ad quam mensuram eorum antecessores persolvissent, non sint cogendi, ut ad majorem persolvant, volentes solvere ad minorem: « Quoniam, inquit, quum hujusmodi vota gratuita fuerint « ab initio, benignius sunt a viris ecclesiasticis exigenda, « ne tamquam exactores videantur lucris temporalibus inhia-

« re. » Hic Pontifex in dubio de majore, aut minore mensura ex voto persolvenda pronuntiat in favorem libertatis. Ergo sufficit probabilitas favens libertati ad licite agendum contra quamcumque aliam probabilitatem.

Resp. Pontificem pronuntiare in favorem libertatis, quatenus praecipit viris ecclesiasticis ne cogant ad majorem mensuram persolvendam, et consequenter vi hujus decreti absolvit eos, qui sunt in casu ab eodem expresso, ne teneantur majorem mensuram persolvere: non autem pronuntiat pontifex in favorem libertatis, quatenus declaraverit eos, qui voto tenebantur, non peccasse minorem mensuram persolvendo in dubio, quod deberent majorem persolvere. De hoc enim nil dicit pontifex, nec adeo ex eo capite contra nostram sententiam efficitur.

Sexto. Proferunt caput *Ex parte tua* de postulando: quasi eo capite Pontifex a peccato immunes declaret canonicos regulares, qui officium advocati exercebant in forensibus caussis contra partem tutiorem, quod argumentantur, sive quod Pontifex nova lege id prohibet, sive quia non eos acriter reprehendit.

Resp. Mirum esse tale caput nobis objici posse. Canonici regulares illi putabant sibi licere officia exercere advocati, quia « Capitulum illud, per quod praedicta prohiberi videntur de monachis, non de canonicis regularibus loquitur « manifeste: » suamque sententiam abbate imperante tuebantur; eam proinde sententiam sequebantur non ut minus probabilem. Deinde falsum est Pontificis decreto nullam reprehensionem contineri. Nam Pontifex dicit ab ipsis proponi capitulum illud ad suam insolertiam excusandam, ubi sive legatur *Insolertia*, Pontifex eos arguit inscitiae: sive, ut alii volunt, *Insolentia*, tumque acrior fit reprehensio. Deinde Pontifex consultationi respondet eam partem statuendo, quae est legi conformior, non quasi novum jus constituendo, sed quia putaret vi antiqui juris ita esse observandum: ait enim: *Credimus observandum*, quod plane novum argumentum praebet contra adversarios.

Septimo. Proferunt caput *Capellanus* De Feriis, quo referuntur duae opiniones de tempore celebrandarum nuptiarum, quarum neutra, inquiunt, erat tuta, quia neutra carebat periculo probabili vetito tempore nuptias celebrandi: solumque tutum erat tempus protrahere ad diem Festum D.

Joannis Baptistae, quo tempore nullum erat periculum: tamen haec agendi ratio, quae sola tuta erat, nullibi servabatur, omnes tamen licite agebant alterutram sequentes harum opinionum, quae in decreto referuntur. Ergo ubi habetur probabilis opinio, licite quis eam sequi potest, etsi non careat probabili periculo materialis peccati.

Resp. Utramque opinionem fuisse tutam ex glossa; dum ea, quam unice tutam fuisse ait adversarius, nulla probabili ratione nitebatur. Nihil ergo ex hoc capite erui potest, quo probetur licitum esse opinionem sequi minus probabilem contra probabiliorem simul, et tutiorem. Immo Pontifex docet quid in ejusmodi delectu sit servandum. « Quia ergo « consulti fuimus, inquit, utra istarum opinionum potior « videatur, nobis, et fatribus nostris apparuit, quod . . . po« sterior sententia meliori, et subtiliori nititur ratione. » Atqui opinio probabilior est, quae habet pro se meliores rationes, ut ipsimet probabilistae definiunt. Ergo tales opiniones in delectu omnino amplectendas demonstrat Pontifex.

Octavo. Proferunt caput *Apostolicae Sedis* de clerico excommunicato, quo Gregorius IX ad theologos pragenses ait: « Verum quia tempore suspensionis ignari celebrastis divina, « vos reddit ignorantia probabilis excusatos. Ceterum si forte « ignorantia crassa, et supina, aut erronea fuerit, propter « quod gratia dispensationis egeatis, eam vobis de benigni« tate Apostolica indulgemus. » Ergo, inquiunt, ignorantia probabilis excusat a peccato, et nil aliud intendimus.

Resp. Canonicos illos, qui ad Sedem Apostolicam accesserunt, quum ipsis objectum fuisset censura suspensionis eos teneri, respondisse sententiam ipsis ignorantibus latam fuisse. Porro si probabilioribus argumentis innotuisset ipsis haec sententia, ignorantia ejus sententiae probabili specie praetendi non potuisset, nec solum crassa, et supina, sed affectata ea ignoratio dici debuisset. Nihil ergo ex eo capite concludi potest adversus nostram sententiam.

Nono. Proferunt caput *Placet nobis* de conversione conjugatorum, quo quaeritur, an foemina, quae credens maritum mortuum monasterium ingressa vota nuncupaverat, et redeunte marito educta fuerat, illo deinde mortuo teneatur ad monasterium redire: qua de re respondet Pontifex Coelestinus III consultius, et congruentius ei ad salutem esse, ut ad monasterium redeat, non tamen invitam ad id cogendam.

Quo posito, ajunt, certe videtur probabile illam, quae vota ediderat, quantum in ipsa esset ad vota religiosa servanda. Quid ergo in caussa fuit, cur eam Pontifex cogendam non censeret, nisi quia probabile credebatur eam non teneri? Ergo simplex probabilis persuasio satis est ad tutam conscientiam faciendam contra partem tutiorem quantumvis probabilem.

Resp. Non ideo Pontificem decrevisse foeminam illam non cogendam ad monasterium repetendum, quod solum probabiliter crederetur eam non teneri, quum simul etiam probabile esset eam teneri, ut falso assumit adversarius: etenim certum erat eam non teneri, idque ex decreto Alexandri III capite *quidam* eodem titulo, cujus haec sunt verba. « Quidam intravit monasterium invita uxore qua ipsum re« petente coactus est ad eamdem redire: ea mortua quaeris « an ipse cogatur reverti ad monasterium, an aliam possit « ducere in uxorem? Consultationi tuae taliter respondemus, « quod votum non tenuit: unde ratione voti non tenetur ad « monasterium redire: ulterius vero non poterit uxorem ac« cipere: promisit enim se non exigere debitum, quod in « ejus potestate erat: et ideo quoad hoc votum tenuit. Non « reddere autem non erat in ejus, sed mulieris potestate. » Pari jure manifeste patet non tenuisse votum mulieris, quae ingressa fuerat monasterium vivente marito, nec proinde mortuo marito ratione voti tenebatur ad monasterium redire: tantumque ratione voti non posset alteri nubere. Quare merito Pontifex consultius, et ei congruentius ad salutem esse duxit, ut quum nubere non posset, a saeculi periculis in monasterium se reciperet: si vero ad hoc induci non posset, non cogendam invitam.

Opponit quarto Caramuel exempla Pontificum qui secuti opiniones minus probabiles, simulque minus tutas dispensarunt in voto solemni, in matrimonio rato, in consecratione episcopi per tres episcopos facienda. Sic Alexander III. Nicolao Justiniano monacho professo indulsit, ut uxorem duceret. Coelestinus III annuit Constantiam Regis Siciliae Filiam Sanctimonialem professam nubere Henrico VI (negant tamen graves historici eam professam fuisse). S. Pius V teste additionatore Navarri in Manuali cap. 28. ter, aut quater dispensavit in matrimonio rato non consummato. S. Gregorius I indulsit Anglis, ut consecratio episcopi fieret ab uno

episcopo, cujus sententiae insistens Gregorius XIII. concessit Patriarchae Ethiopiae, ut ab uno episcopo consecraretur. Ergo, inquit Caramuel, si in talibus rebus licuit Pontificibus uti opinionibus probabilibus contra probabiliores simul, et tutiores, idem quoque licere omnibus putandum est.

Resp. Ipsum doctissimum Joannem de Cardenas acute vidisse Tract. 1. de probabilitate disput. 15. cap. 8. art. 7. num. 132. nil concludere hanc argumentationem Caramuelis, quae tota evertitur hoc posito principio: « Multas opiniones « numerari ab auctoribus, ut probabiles, quas tamen vir « doctus a principiis intrinsecis putat certas, vel certo fal- « sas. » Quo posito principio responsionem suppeditat Cardenas: « Nimirum tunc dispensasse Pontifices in iis casibus, « in quibus nonnulli dicunt Pontificem dispensare non posse « quando a principiis intrinsecis judicarunt dispensationes « esse certas, et defectum potestatis suae ad dispensandum « certo falsum, ideoque Pontifices non operatos esse forma- « liter secundum opinionem minus tutam. » (Addo nec secundum opinionem, quam ipsi crederent minus probabilem, ut falso supponit Caramuel) « sed secundum sententiam, « quam censuerunt certissime tutam. « Tum addit num. 134. « Et minor Caramuelem dixisse Pontificibus sapientissimis et « prudentissimis licuisse amplecti opinionem minime tutam « in praxi. De quo quilibet inferre potuit: ergo nobis licet « sequi opinionem minime tutam in praxi. Si enim minime « tuta est in praxi: ergo operati sunt cum periculo peccan- « di. Ergo reipsa peccarunt, quum sit peccatum exponere « se periculo peccandi. Si ergo cupit, ut debet, eas Pon- « tificis dispensationes ut licitas defendere, saniore consilio « eas propugnabit, asserendo eas certo licitas judicatas a Pon- « tificibus, et oppositas opiniones certo falsas, praecipue in « iis casibus, in quibus probabilitas non tollit contingentiam « frustrationis ordinum, sacrificiorum, absolutionum etc. »

Ex quibus ultimis verbis patet nullo modo hic patere locum solitae Probabilistarum exceptioni, scilicet potuisse pontifices habere illas, ut licitas, et tutas in praxi per principia reflexa, quum eas directe nihilominus judicarent minus probabiles, ac tutas. Etenim illae dispensationes plurimae locum habuerunt in rebus ad valorem Sacramentorum pertinentibus. Porro in his probabilistae ipsi coguntur fateri prorsus illicitum esse per principia reflexa velle sequi opi-

nionem minus probabilem, ac minus tutam: ergo revera Pontifices illas habuerunt ut certo licitas per principia directa, nisi probabilistae velint incostantiae arguere Sanctissimos Pontifices. Atque haec quidem confirmari adhuc possunt auctoritate Benedicti XIV De Synod. Dioeces. lib. 13. cap. 13., ubi pertractans quaestionem de consecratione episcopi per unum episcopum peragenda, expositis tribus ea de re Doctorum sententiis concludit in hunc modum num. 5. « Animadvertimus secundo, quod, etsi affirmari nequeat, ab « hac Sancta Sede fuisse definitam praedictam quaestionem, « an episcopi consecratio, quam unus expleverit episcopus, « irrita sit, et nulla, an potius tantummodo illicita; nemo « tamen inficias ierit, quin probabiliter, et magis plausibilis « sit tertia opinio, quae, uti diximus, validam esse propugnat, quamvis illicitam, ejusmodi ordinationem; hancque « amplexi fuerint, et in praxim redegerint Romani Pontifices, qui frequenter indulta elargiuntur, ut in remotioribus « regionibus, in quibus haud facile tres episcopi una convenire possunt, ordinandus consecrationis munus recipiat « ab uno episcopo, duabus ipsis assistentibus dignitatibus, « vel duobus etiam simplicibus sacerdotibus: quod porro nullatenus praestarent, nisi probabiliorem arbitrarentur sententiam illam, quae asserit validam firmamque, ac tantummodo illicitam esse ordinationem, quam unus peregerit episcopus; ideoque in sua potestate esse illiciti actus « notam ab eo removere, impertiendo facultatem, ut ab « uno tantum episcopo expleri possit. Sane, cum olim S. « Pius Papa V votum congregationis concilii hac de re exquisiisset, responsum ipsi datum fuit sequentis tenoris, ut « notatum reperitur in lib. 10. Regestorum pag. 16. cum « san. mem. Pius V consuluisset congregationem concilii, « an in provincia, in qua episcoporum copia haberi non « posset, dispensandum esset, ut, loco duorum episcoporum, qui consecrationi interesse debent, sufficiantur abbates, duove alii habentes dignitates ecclesiasticas, congregatio, secuta sententiam majoris partis Theologorum, quos « tunc consuluit, respondit dispensationem esse concedendam. »

Porro quum ea descripsissem ex Cardenas non potui non vehementer mirari celebrem probabilistam haec scripsisse ad probabilismum tuendum: « Plures Pontifices processisse secundum opinionem sibi visam minus probabilem ostendit

« Cardenas in prima crisi disput. 13. art. 7.: » qui locus est, quo Cardenas docte refellit Caramuelem talem sententiam temere effutientem.

At inquiunt hoc saltem responsum non valere pro dispensatione, quam ab Adriano VI factam esse refert Sotus in 4. dist. 27. quaest. 1. articul. 4. in hunc modum. « Adria-« nus VI, virtum utriusque juris peritissimus tum et rei theo-« logicae non infime doctus, quum ab illo ejusmodi dispen-« satio (super matrimonio rato) fuisset postulata, oblataque « fautrix Cajetani sententia, demiratus est virum theologum « hoc sibi in animum inducere potuisse, et ideo improbis pre-« cibus succumbens respondit se dare quod posset, sed tamen « credere nihil posse. »

Verum primo satis constat haud magni momenti ut plurimum, esset testimonium privatorum scriptorum in referendis Pontificum responsis voce datis, nec authenticis: quippe illi ut plurimum audita referunt. Incertum est autem plerumque num qui retulerunt, aut recte audierint, aut probe reddiderint. Secundo non videtur probabile Pontifici docto novam accidisse Cajetani sententiam illis temporibus minime novam. Tertio, verba, quibus Pontifex dispensasse perhibetur: *Do, quod possum, sed credo nihil posse*, haud videntur veram dispensationem continere. Quarto si vere dispensavit, fieri potuit, ut quum antea persuasum ei fuisset non posse Pontificem eo casu dispensare, deinceps Cajetani sententiam eximii theologi rationibus, vel auctoritate permotus ut probabiliorem habuerit. Quinto incredibile saltem videtur eum dispensasse contra sententiam, quam ipse spectatis omnibus probabiliorem judicaret: secus mirum in modum sibi repugnasset, quippe qui quaest. 4. de Restitutione satis innuit contra rectam rationem agere, qui agit contra sententiam sibi visam probabiliorem simul, et tutiorem.

Huc revocari potest quod celebris probabilista objicit, Urbanum VIII videri absolute declarasse usum opinionis benignae etiam quoad partem minus probabilem licitum esse, quod probat ex cap. 15. hist. Paraguariae Patris Nicolai Delteco, ubi haec leguntur. „ Guaranae gentis primores so-„ lebant tot pellices alere, quot eorum libido, et auctoritas „ a popularibus suis impetrabant, nec aliud erat majus ca-„ pessendae nostrae religionis impedimentum, quam quum „ monerentur unica uxore christianus ex lege Divina conten-

„ tos esse debere. Accessit huic obstaculo nimia quorumdam „ sociorum religiositas ejusmodi homines ad primam uxorem „ adigere volentium. Alii dempto scrupulo religionem christianam ineuntibus quamcumque vellent ex pellicibus pro „ uxore permittebant. Ob earum opinionum diversitatem „ inde natam, quod Doctores Scholastici de ea re inter se „ dissentirent, ad summum legum interpretem recursum est, „ et Joannes de Lugo postmodum cardinalis rem totam his „ verbis Urbano VIII Pontifici maximo exposuit. „ (hic refert scriptor supplicem Libellum Joannis de Lugo, quo res tota multo accuratius, et clarius explicatur. Juverit haec tantum brevitatis caussa descripsisse), „ Itaque plerique putant „ non esse saltem communiter apud illos verum matrimo„ nium, sed concubinatum, atque ideo permittunt, quod co„ njugem baptizatam accipiant, quando ad fidem convertun„ tur. Alii tamen scrupulum habent, et cogunt eos ad repe„ tendam primam conjugem: ex quo magna incommoda „ sequuntur, quae continuo percensentur. „ Tum novis prolatis argumentis rursum concludit: „ Unde attenta eorum „ praxi, et consuetudine multi pii, et docti viri putant com„ muniter non fieri apud ipsos verum matrimonium. Cete„ rum ad tollendos scrupulos, et dubia etc. „ Hic jam exponitur de quo Pontifici supplicabatur: „ A sanctitate vestra „ humiliter petitur, ut quandoquidem juxta virorum docto„ rum doctrinam, Sedes Apostolica ex gravi caussa potest „ aliquando matrimonium infidelium dissolvere, prout san„ ctitas vestra declaravit in Brevi suo etc. . . . . . Di„ gnetur ex benignitate Apostolica concedere facultatem „ etc. „ Supplici porro libello relato historicam suam narrationem Delteco persequitur in hunc modum. „ Urbanus „ VIII in dicto sapientum virorum super ea re consulto „ pronuntiavit non videri sibi sua speciali dispensatione opus „ esse, ubi Doctorum sententiae utrimque probabiles inter„ cederent: sequerentur opiniones pro conditione locorum, „ ac hominum barbaris favorabiliores, salva interim utrius„ que partis auctoritate, sineret doctis hominibus sentiendi „ libertatem. Constans igitur sociorum pluriumque in his „ terris degentium opinio praxi confirmata fuit horum bar„ barorum matrimonia ob rationes supra relatas nulla esse „ etc. „ Hactenus Delecto, cujus narrationi insistens celebris scriptor haec habet. Ex hac narratione multa sciuntur. Pri-

mum est Urbanum VIII a missionariis evangelicis interrogatum fuisse quomodo in re difficili ad jus naturae, atque matrimonii validitatem spectante se gerere deberent . . . . Pontifex respondit sibi videri opus non esse speciali dispensatione, quando probabiles hinc inde Doctorum sententiae intercederent. Sequerentur opiniones barbaris favorabiliores. Sic tutos fore . . . Haec autem responsio prorsus docet licitum illis esse sectari quamcumque opinionem certo probabilem barbaris favorabiliorem, quamvis illa minus probabilis fuerit. Ergo Urbanus VIII quoad omnia benignam sententiam esse veram non tam censuit, quam curam omnium exercens, fidelesque requisitus post maturam consultationem pascens declaravit. Quibus prolatis celebris scriptor certam sibi victoriam pollicetur.

Haec rescribere omnia opus fuit, ut appareret argumentum illud, cui adversarius maxime fidet, ipsum se dissolvere. Nam hoc dissimulato, Deltecum non ipsa verba Urbani VIII recitare, sed potius Pontificis sententiam, ut eam ipse intelligebat, suis verbis retulisse: hoc etiam dissimulato Pontificem, ut respondisse fertur, satis indicare loqui se ut privatum doctorem, non ut ecclesiae totius pastorem, quae duo tamen sufficerent ad fundamentum subruendum molis oppositae, multa sunt cum in narratione non satis accurate posita, tum in adversarii argumento non recte conclusa.

Primo enim postea quam historicus testatus est Guaranae gentis primoribus impedimento fuisse, ne Christianam religionem susciperent, quod monerentur eam nonnisi unam uxorem concedere, minus considerate loquitur de nimia quorumdam religiositate ad primam uxorem adigere volentium, tum de dempto aliorum scrupulo unam quamcumque ex pellicibus pro uxore permittentium. Nam si prima vere uxor erat, non erat nimia primorum religiositas ad eam edigere volentium, siquidem et inter infideles verum esse conjugium potest. Sin nulla erat uxor, minime dissoluti erant alteri unam, quam quisque voluisset, permittentes. Neque de hoc inter viros pios, et doctos controversia esse poterat, aut erat ulla.

Secundo. Minus proinde accurate loquitur, dum ait controversiam, quae inter eos vigebat, inde natam, quod scholastici doctores de ea re inter se dissentiant. Nam tota controversia in illis partibus erat non de jure, utrum posito

vero conjugio liceat a conjuge discedere, sed de facto, utrum matrimonia illa vera essent matrimonia, nec ne, ut aperte exponit Joannes de Lugo in supplici libello. Porro doctores scholastici nullam unquam de tali facto sibi prorsus ignoto disputationem moverant. Quum ergo missionariorum controversia de facto peculiari ejus gentis esset, non de jure, haud nata dici potest ex eo, quod scholastici doctores de ea re dissentirent.

Tertio. Nec magis accurate proinde positum est „ ob earum opinionum diversitatem ad summum legum interpretem recursum esse. „ Nam, ut apparet in supplici libello, nulla Pontifici proposita est quaestio de jure definienda, nulla dubia lex interpretanda, sed ob dubium facti, utrum matrimonia illa essent vera, nec ne, ad tollendos scrupulos ex opinionum diversitate nascentes, postulatum est pro facultate dispensandi.

Quarto. In ea opinionum diversitate qui contraria sentiebant, suae quisque opinioni, et sententiae plane adhaerebat, et propterea convenire non poterant; putabant scilicet, ut dicitur in supplici libello, multi pii viri, et docti nulla ibi communiter matrimonia fieri: alii contra sentiebant. Annuit ergo pontifex, admittendo ejus responsum, quale ab adversariis profertur, ut qui vere, et ex animo sentiebant matrimonia esse nulla ob rationes admodum verisimiles in supplici libello contentas, suam opinionem sequentes barbaris favorabilem concederent ipsis barbaris, ut uxorem ducerent qualemcumque vellent, quod sane nostrae sententiae nullo pacto adversatur: siquidem, qui matrimonia illa nulla putabant, ita sentiebant ex rationibus maxime verisimilibus, quas conquirere undique potuerunt, non autem ex aliqua minus probabili ratione: immo contrariae opinionis motiva ut scrupulos rejiciebant, quare opinioni favorabili ahaerebant, ut sibi omnino probabiliori.

Quinto. Immerito igitur adversarius pronuntiat hoc responso pontificem docuisse licitum esse sectari quamcumque opinionem certo probabilem barbaris favorabiliorem, *quamvis minus probabilis fuerit:* etenim hoc postremum *quamvis minus probabilis fuerit*, de suo addit adversarius pontificis responso, nec satis apte: nam loquitur pontifex de opinione probabili barbaris favorabiliori, prout eam tuebantur, qui putabat matrimonia eorum nulla esse. Isti autem eam opinionem tenebant ut omnino probabiliorem.

Sexto. Denique quod affirmat adversarius, pontificem licitum docuisse usum opinionis minus probabilis favorabilis in quaestione ad jus naturae, et valorem sacramentorum pertinente, minus apte id quoque dictum esse videri potest: quandoquidem ipsimet probabilistae fatéri coguntur prorsus illicitum talis opinionis usum in his, quae pertinent ad valorem sacramentorum.

Huc denique revocari potest, quod refert vera crux in speculo conjugatorum parte 3. art. 18. Pium V definivisse motu proprio pro indis novae Hispaniae, nimirum conversos ex infidelitate, qui multas uxores habuerant, si non possent invenire primam, posse manere cum ultima. Ex quo concludunt cum gravi, et probabili ratione ex alia parte posse consistere prudens dictamen de conjugii officio licite exercendo.

Verum S. Pius V definivit congruenter ad id, quod jam definitum erat cap. *Gaudemus* de divortiis, quo decernitur quoties alter conjugum in infidelitate permanens, aut renuit cohabitare cum converso, aut etiamsi consentiat, non tamen absque contumelia creatoris, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum, dissolvi possit illud matrimonium. Jam vero eo casu debita diligentia facta sufficiens erat fundamentum existimandi nolle primam uxorem cohabitare cum marito converso, aut fieri chistianam. Merito ergo potuit S. pontifex decernere, ut eo casu matrimonium dissolvi posset, et rite cum alia contrahi. Verum ad cumulatam difficultatis explanationem praestat in medium afferre luculentam doctrinam Benedicti XIV de syn. diaeces. lib. 13. cap. 21. num. 4. ubi exponens apostolicas constitutiones S. Pii V, et Gregorii XIII, de quibus disserendum sibi fuerat, cum munere fungeretur secretarii S. congregationis concilii, haec subjicit. « Sententiam « vero nostram de praemissis constitutionibus declarantes, di- « cimus, duos illos summos pontifices expositis sibi difficul- « tatibus consulturos: nihil aliud egisse, quam canonicarum « legum rigorem temperare in eo, quod pertinet ad judicia- « lem interpellationem, quae in fideli conjugi facienda es- « set, utrum velit ad fidem converti, illius mentis declara- « tionem expectando per congruum tempus ab ipsa lege, aut « a superiore ecclesiastico constitutum. Id satis aperte colli- « gitur ex ipso brevi S. Pii papae V, ubi leguntur haec « verba; *Maxime quia difficillimum foret primum conjugem*

« *reperire.* Idemque clare etiam infertur ex aliis Gregorii « XIII, litteris, in quibus inter cetera haec habentur: *Dum-* « *modo constet, etiam summarie, et extrajudicialiter, conju-* « *gem absentem moneri legitime non posse, aut monitum, in-* « *tra tempus eidem monitioni praefixum, suam voluntatem non* « *significasse.* Matrimonium ab infidelibus in statu infidelitatis « initum, et consummatum divina lex solvit, cum altero con- « jugum ad fidem converso, alter neque converti vult, « neque sine contumelia creatoris cohabitare consentit, juxta « praeceptum apostoli in epistola 1. ad Corinthios cap. 7. Ex « hoc principio alterum veluti consequens deductum fuit, ut « conjux conversus conjugem infidelem requirere ac interpel- « lare debeat, ut mentem suam super ea re aperte declaret. « Verum, si aut ignoretur, ubinam infidelis degat, ac mo- « raliter impossibile judicetur in hujusmodi cognitionem ve- « nire, aut si, ejusdem habita notitia, legitima interpellatio « eidem fieri non posse dignoscatur; cum in hisce circum- « stantiis aliqui magnae aestimationis auctores interpellatio- « nem omitti posse censeant, plenamque fideli conjugi liber- « tatem esse dicant, ut novas nuptias, dummodo cum per- « sona catholica, contrahat: nemo non videt, quanto majori « jure, iisdem urgentibus circumstantiis, summus pontifex ab « ea interpellatione facienda eximere possit fidelem recens « conversum, eique liberas nuptias cum alio fideli permit- « tere. Id autem est, quod in apostolicis suis litteris duo illi « romani pontifices praestiterunt; admittendo scilicet, in fa- « vorem fidei, loco formalis et rigorosae interpellationis, ex- « trajudicialem illam notitiam, quod vel omnino ignoretur, « ubinam gentium degat infidelis coujux, vel saltem ratio « non suppetat eumdem judicialiter interpellandi, atque huic « interpellationi praefatam notitiam subrogando. In quo pro- « fecto nullus extraordinariae illius potestatis usus apparet, « quo vinculum matrimonii in infidelitatis statu consummati « dissolvere in animo habuerint: sicuti egregie animadvertit « Pontius *de matrim. lib.* 7. *cap.* 48. *num.* 22. *dispensavit* « *certe, ac supplevit* (*loquitur de S. Pio V*) *monitionem jure* « *praescriptam similem etiam dispensationem concessit Grego-* « *rius XIII etc. Nec vero ex ea dispensatione colligitur, dis-* « *solvisse pontificem matrimonium consummatum infidelium; sed* « *cum pontifex possit. Jus divinum interpretari, et ex divino* « *privilegio dissolvatur matrimonium in favorem fidei, cum*

« *infidelis non vult cohabitare cum fideli, declarat pontifex,*
« *eum casum verificari, quando tanto tempore fidelis non re-*
« *quiritur ab infideli, et tanta terrarum spatia impediunt, at-*
« *que adeo jam tunc posse uti divina concessione, et ad se-*
« *cundas transire nuptias.*

Opponitur quinto argumentum ductum ex controversiis patrum de rebus ad mores pertinentibus, quod argumentum sic promovet celebris probabilista. Inter sanctos patres fuerunt controversiae de moribus, aliis quidem strictiorem partem probabiliter sequentibus, aliis benigniorem. Ergo exemplo sanctorum patrum in quaestionibus de moribus, ubi neutra pars certa est, possumus sequi probabiliter partem benigniorem. Antecedens multis exemplis ostendi potest. *Primo* Orta est quaestio inter Hieronymum, et Augustinum, an simulatio licita sit, an illicita. Strictior pars simulationem tamquam illicitam damnat: benignior licitam affirmat. S. Augustinus strictiorem secutus est: S. Hieronymus benigniorem, qua docet licitam simulationem, nimirum exercendo actiones alias licitas. Qua ratione excusat Petrum ex simulatione operatum in licitis, et Paulum, qui ea simulatione etiam Petro in faciem restitit: et pro sua sententia citat Hieronymus patres Graecos Chrysostomum, originem etc.

Secundo. Exorta est inter Hieronymum, et Augustinum controversia, an ille, qui ante baptismum conjugem duxerat, et post conjugis mortem acceperat baptismum, et post hanc, secundam uxorem duxerat, esset bigamus, ideoque impeditus ad episcopatum, aliosque sacros ordines suscipiendos, in qua Augustinus strictiorem partem propugnavit, nempe illum non posse ad episcopatum, aut sacros ordines ascendere: contra Hieronymus affirmat illum non esse bigamum, et posse ad sacros ordines ascendere, quae pars erat benignior, et Hieronymum secuti sunt quamplurimi episcopi.

Tertio. Inter eosdem Hieronymum, et Augustinum coepit alia quaestio agitari, an sit licitum aliquando jurare, an potius juramentum contineat semper alicujus culpae reatum, Hieronymus partem strictiorem secutus est, Augustinus laxiorem.

Resp. Nihil haec, aliaque similia argumenta concludere: quippe hinc nullo modo probatur: quod probandum esset. Sanctos patres in talibus controversiis, qui partem benignio-

rem secuti sunt, eam habuisse simul ut minus probabilem, quod numquam probabunt adversarii. Videtur quidem celebris probabilista, qui argumentum promovit, velle indirecte hoc posse concludi, quia nimirum dum Hieronymus partem benigniorem propugnabat contra Augustinum, quem suspiciebat ut virum sapientissimum non poterat certe improbabilem judicare sentiam strictiorem nixam auctoritate Augustini. Ergo secutus est benigniorem contra grave motivum a se cognitum, quod sufficit contra nos, qui requirimus, ne probabilior opinio contra se habeat motiva gravia, et vehementia, quae non fuerint soluta.

Verum facile probari potest ex ipsis eorum exemplis ita se in illis disputationibus gessisse Hieronymum, et Augustinum, ut Hieronymus nihil probabilismo, Augustinus vero apertissime nostrae sententiae faverit. Nam omnino falsum est Hieronymo in quaestione de simulatione Petri, et Pauli, quamdiu ea viguit, visam esse Augustini sententiam probabilem, ut satis patet ex ratione, qua dissolvit ejus argumenta ep. 75. alias 4. inter epistolas Augustini, patetque pro eo tempore Hieronymum non multum tribuisse auctoritati Augustini, quem suspiciebat quidem, ut episcopum egregie in sacras litteras animatum, et praestanti ingenio praeditum: ceterum spectabat, ut juvenem adhuc, et tantum proficere incipientem in his studiis, quibus plurimum tribuebat Hieronymus. Deinde illud etiam probe animadvertendum censeo, quod forte non omnes animadvertunt, Hieronymum benigniori sententiae favisse non studio favendi libertati, sed quod eam sententiam necessariam putaret ad vindicandum Paulum contra procacitatem Porphyrii. Demum Hieronymum veritatem unice quaesivisse in illa controversia testatur ipse initio epistolae. « Te quoque ipsum orare non dubito, ut inter nos « contendentes veritas superet. » Minime ergo contentus fuisset minori probabilitate: et suam sententiam veram habuisse patet ex eo, quod habet n. 18. « Nec me putes magistrum « esse mendacii, qui sequor Christum dicentem, *Ego sum* « *via, veritas, et vita*, nec potest fieri, ut veritatis cultor « mendacio colla submittam.

Augustinus porro de sententia Hieronymi sic ad ipsum scribit epist. 28. alias 8: cap. 3. « Legi etiam quaedam scri« pta, quae tua dicerentur in epistolas beati Pauli, quarum « ad Galatas quum enodare velles, venit in manus locus ille,

« quo apostolus Petrus a perniciosa simulatione revocatur. « Ibi patrocinium mendacii susceptum esse, vel abs te tali « viro, vel a quopiam, si alius illa scripsit, fateor, non « mediocriter dolet; doleo donec refellantur, si forte refelli « possunt ea, quae me movent. » Nec post acceptam defensionem expressam Hieronymi eam Augustinus sententententiam refellere destitit. Hic porro Augustinus rationem tenuit prorsus ei adversam, quam adversarii tuentur, eique, quam nos propugnamus, plane consentaneam. Erat sane auctoritas Hieronymi praestantissima, atque ut talis ab Augustino cognita. Igitur poterat Hieronymus suae opinioni tantam probabilitatem conferre, quantam saltem vel octo ex probabilistis possunt uni opinioni tribuere. Nihilominus quia Augustinus eam ex principiis intrinsecis, et argumentis e sacra scriptura ductis putabat a vero alienam esse, non putavit sibi licere in talem opinionem tanta auctoritate munitam descendere, quousque refutata essent, quae ipsum movebant: quin etiam epistola 40. alias 9. non veretur Hieronymum commonere, et vehementer hortari, ut a concepta opinione recedat, et palinodiam canat. « Arripe, inquit num. 7., obsecro te, ingenuam. et vere « christianam cum charitate severitatem ad illud opus corrigendum, atque emendandum et palinodiam, ut dicitur, ca« ne. Incomparabiliter enim pulchrior est veritas christiano« rum etc. » Jam vero si Augustinus probabilista fuisset, sic apud se reputare debuisset. Strictior quidem sententia mihi est longe probabilior, et vera etiam videtur. Tamen benignior opinio habet sibi patrocinantem Hieronymum senem provectum, in sacris litteris eruditissimum, multis ac plane insignibus libris, magnaque sanctitatis opinione in tota ecclesia spectatissimum. Est ergo illa opinio probabilis, pati ergo debeo, ut eam Hieronymus sibi teneat, ejusque praxim consulat, possum ego eam consulere, et etiam amplecti, quum opus fuerit, contra sententiam strictiorem, tametsi probabilior mihi videatur. Nam, quod est bene notandum, non aliter suam sententiam veram putabat Augustinus, quam quia probabilissimam, talibus argumentis nixam, quae ipsum plane persuaderent de ipsius veritate, non tamen excluderent formidinem, quam propriam esse opinionis suo loco explicavimus, qua nimirum quis intelligit non repugnare ut falsum sit, quod verum existimat, licet nullam habeat rationem subjective gravem, talem falsitatem suspicandi: sic enim addit

num. 8. proxime sequenti ad verba, quibus hortatur Hieronymum ad palinodiam. « Mihi suggestum est, ut si alia est « sententia tua, eademque est melior, timori meo libenter « ignoscas. Si enim aliter sentis, verumque tu sentis, nam « nisi verum sit, melius esse non potest, ut non dicam « nulla, certe non magna culpa error veritati favet, si recte « in quoquam potest veritas favere mendacio. »

Haec eadem accommodari facile possunt ad reliquas duas controversias. Verum quod attinet ad alteram de bigamia illud speciatim animadvertendum, sententiam D. Augustini deinceps fuisse sancitam cap. *Acutius* dist. 26. ex quo etiam confirmatur eum semper in condendis canonibus morem viguisse, ut probabiliores sententiae praeferrentur. De hac quippe laudato capite habetur, quod qui eam tuebantur, acutius intelligerent etc. Quid est autem acutius intelligere, quam probabilius sentire? Cur ergo vereatur theologus in eligendis opinionibus canonum regulam sequi? Quod demum attinet ad 3. de juramento, nonnullis videtur a mente Augustini haud alienam fuisse Hieronymi sententiam.

Hinc etiam facile est occurrere multis illis locis ex D. Thoma depromptis, quibus adversarii conantur ostendere S. doctorem multas opiniones probabiles tenuisse faventes libertati contra legem. At vero quid ex hoc concludere possunt, nisi simul probent eas opiniones D. Thomae visas fuisse minus probabiles, easdemque nihilominus docuisse? Atqui hoc numquam probaturi sunt. Contrarium enim liquido constat vel ex ipsa docendi ratione D. Thomae, qui singulis articulis ad suas conclusiones confirmandas solidissima undique argumenta conquirit, et opposita plane dissolvit. Patet igitur S. Thomam eas semper sententias probasse, quae sibi videbantur firmioribus argumentis niti, et quarum oppositae nullam vim apud ipsum retinebant ad eliciendum assensum, utpote quarum momenta dissolvebat. Hoc argumentum proinde valet non contra nostram sententiam, sed contra Tutiorismum.

Hinc patet insuper tutos esse in conscientia, qui D. Thomae rationibus convicti, aut ejus praestantissima auctoritate permoti sententiis ejus assentiuntur faventibus libertati, tamquam sibi probabilioribus, sive probabilem, quam S. Doctor requirit, certitudinem habentibus, quales sunt reapse, quas vere docuit S. Thomas, nisi quid jure positivo aliter deinceps

cautum fuerit. Si quis autem vir doctus (nam rudibus haec fere accidere non possunt) gravia motiva pro strictiore parte inveniret, quae ipsum in dubitationem adducerent, nec solvere illa posset, profecto in ea dubitatione teneretur tutiorem partem sequi, velut in ea sententia, quam adversarii proferunt ex D. Thoma (de quo non est hic disputandi locus) non teneri quempiam confiteri circumstantias notabiliter aggravantes intra eamdem speciem, profecto theologus, qui opposita momenta, vel aeque gravia, vel etiam probabiliora judicet, non poterit confitendo circumstantias illas praetermittere, tametsi putet eam opinionem fuisse D. Thomae, ex quo, ut satis patet, nulla infertur injuria doctrinae praeceptoris angelici eo vel maxime, quod gravia illa momenta vix offerre se queunt contra sententias, quas ille vere docuerit, quodque nullum ejus doctrinae veritati praejudicium inferatur, quod aliqui forte rationum ejus momenta non satis probe percipientes propter oppositas rationes in dubitationem de aliqua ejus opinione incidant.

Opponit sexto celebris probabilista: si non excusaretur a peccato mortali, qui bona fide sequitur opinionem directe minus probabilem, minusque tutam, omnes doctores totius ecclesiae, excepto solo Comitolo, a centum annis, et amplius gravissime peccassent, quia doctrina falsa proximos in peccatum, et damnationem adduxissent, et nihil eos excusare posset. Sed certum est moraliter, aliquos saltem in ea sententia tradenda non graviter peccasse, nec intolerabiliter errasse. Ergo moraliter etiam certum est eam non esse errorem intolerabilem, sed esse securam conscientiae regulam.

Resp. Hoc argumentum plus invidiae habet, quam roboris. Verum ei satisfieri potest primo retorquendo argumentum. Nam si sententia nostra falsa est, et opposita vera, omnes ecclesiae doctores ante illos 100., et amplius annos peccassent, onus imponentes hominibus, quod Deus non imposuisset, eoque nomine caussam pluribus peccandi praebuissent: qui si usum opinionum minus probabilium libertati faventium percalluissent, non peccassent. Et revera serio gratulatur Caramuel recentiori probabilistae, factum ejus opera esse, ut multa, quae ante peccata erant, postmodum peccata esse desierint. Quo mirabilius videri posset ea luce caruisse per quindecim saecula sanctissimos illos patres Am-

brosium, Augustinum, Gregorium, qua luce perfusus recentior ille, tanta felicitate, tot ex orbe terrarum peccata dispulit.

Secundo. Falsum est quod assumit adversarius, illis centum annis unum Comitolum probabilismo esse oblocutum, quandoquidem quam plurimi gravissimi cardinales, episcopi, doctores eam novam rationem opinandi totis viribus oppugnarunt. Exemplo sint quos superius laudavimus, quibus alii quamplurimi addi possent.

Tertio. Quamplurimi, qui moderantur conscientiis, tametsi probabilistae audire volunt, re, et usu sunt probabilioristae; adversanturque potius probabilioristarum nomini, quam sententiae: putant enim probabiliorismum eo spectare, ut rigidiores sententiae sine delectu, et solum quia rigidiores, praeferantur. Ceterum ipsi non alias sententias adhibent, aut consulunt, quam quae post multam diligentiam sibi plane satisfaciunt, sciuntque probatis scriptoribus placuisse: se autem probabilistas dicunt, quia putant se talibus opinionibus licite uti posse, licet libertati faventibus, nec se teneri rigidiores amplecti, quae aliis scriptoribus placuerint.

Quarto. Falsum supponit adversarius, dum putat nos docere mortaliter peccare illos, qui bona fide sequuntur opinionem minus probabilem faventem libertati cognitam ut talem; nam si sequuntur bona fide, ignorantiam invincibilem habere dicendi sunt malitiae suae actionis. Ignorantiam porro invincibilem excusare a culpa constantissime profitemur. Utrum autem in hac quaestione revera intercedere possit ignorantia invincibilis non est hujus quaestionis dijudicare. Ceterum tametsi theologicis rationibus ducti probabilismum veritati minus consentaneum existimemus, minime nobis id sumimus, ut sedis apostolicae judicium, contra jus fasque praevertentes, ullam aut erroris, aut cujusvis alterius censurae notam inurere audeamus; prout vel ab initio hujus commentarii expresse testati sumus.

Opponunt septimo. Si non esset licitum sequi opinionem quamcumque certo probabilem, non posset, nec teneretur confessarius accommodare se se opinioni probabili poenitentis. Atqui confessarius potest, immo tenetur sub mortali, auctore Sanctio cum nonnullis aliis, accommodare sese poenitentis probabili opinioni, quia poenitens propria conscientia uti debet pro regula. Ergo etc.

Resp. De confessarii obligatione haec breviter dicenda videntur. Primo si confessarius opinionem poenitentis certo erroneam existimet, non debet illum absolvere, quamvis eam poenitens ut veram habeat. Secundo si poenitens opinionem suae libertati faventem habeat ut minus probabilem, nec debet eum confessarius absolvere: quandoquidem tunc poenitens non procedit ex recta conscientia. Tertio si confessarius est dubius, non poenitens, debet eum monere, ut maximam, quam potest, diligentiam adhibeat ad veritatem inquirendam: qua facta, si poenitens in sua opinione persistit tamquam sibi omnino probabiliorem sine ulla gravi ratione ad oppositum, poterit eum confessarius absolvere. Patent haec omnia ex dictis. Ceterum si quis confessarius formidaret intentatum sibi a Sanctio peccatum mortale, ni se accommodet opinioni, quam poenitens tenet, ut minus probabilem, hunc scrupulum sibi abigi patiatur ab aliis probabilistis, qui eum tenere negant, ut Vasquez, Salas, aliique. His tamen scrupulis facile obnoxii non erunt confessarii, qui S. Caroli institutiones, aliosque hujusmodi libros pro regula sequendos sibi duxerint.

Opponunt octavo. Si sit obligatio sequendi probabiliorem, nascentur incommoda intolerabilia: nam primo quisque tenebitur ante operationem exquirere quaenam opinio sit probabilior. Quid autem semper sit probabilius, hoc moraliter impossibile est invenire, aut discernere etiam doctis. Secundo non licebit advocato defendere partem minus probabilem, sicque tenebitur cum labore, et sine mercede discutere utriusque partis argumenta, antequam eam tueri possit. Tertio si quis contractum inierit, aut aliquid suaserit secundum opinionem, quam tunc putabat probabiliorem, audita nova ratione, quae gravior videbitur, tenebitur redintegrare, et sic rursum audita nova ratione in infinitum. Quarto scrupulosus non poterit sequi judicium confessarii, si opposita pars sibi probabilior videatur. Ergo etc.

Resp. Unumquemque reapse teneri multum studium, multam diligentiam adhibere in scrutandis divinis mandatis, atque ad divinam opem implorandam, ne sua culpa ignoret, quae sunt sui muneris, et officii; item unumquemque vereri debere omne opus suum, idest in omni actione caute circumspicere, ne quid agat contra Deum: neque minimum argumentum adversus probabilismum ex eo petitur, quod tali onere veritatis,

ac legis inquirendae certissime a Deo hominibus imposito, probabilitatis compendio magna ex parte homines leventur. Neque vero id est onus intolerabile: nam si facta debita diligentia gravia momenta se offerunt pro parte favente libertati, quae plane animo satisfaciant, sive illa ex auctoritate ducta sint, sive ex ratione, parvi autem, aut nullius momenti videantur, quae stant ex adversa parte, poterit quis tuta conscientia benigniori acquiescere. Nec vero est moraliter impossibile, ut quis agnoscat, ac discernat eam partem, quae animo suo plane satisfacit, quippe hujus rei unusquisque sibi sensu intimo est conscius. Videntur ergo adversarii confundere probabilitatem objectivam, cum probabilitate subjectiva, quum ajunt moraliter impossibile esse agnoscere quid sit probabilius. Proinde quum in hanc rem proferunt doctoris eximii Suaresii auctoritatem longe sane praestantissimam videntur confirmare, theologum illum doctissimum non aliud voluisse, quam neminem teneri ad inquirendum, aut amplectendam opinionem, quae forte est objective probabilior contra eam, quam adhibita morali diligentia quisque habet, ut subjective probabiliorem, suoque animo plane satisfacientem. Quod autem quis deserat quod animo suo directe satisfacit, ut id eligat, quod minus sibi probabile videtur, in eo modus opinandi apparet non minus ab evangelica simplicitate, quam a recta sentiendi ratione alienus.

Ad Secundum. Tenetur certe advocatus caussae patrocinium suscepturus multam in ejus aequitate, et probabilitate discutienda diligentiam adhibere, meliusque est ut pro ipsa investiganda caussae aequitate aliquam mercedem a cliente accipiat, quam ut ex ejus aerumnis, et impensis ex caussae minus probabilis defensione majus lucrum, sed non satis probum percipiat. Sane de advocatis haec docet Layman lib. 1. Tract. 1. cap. 5. part. 3. de conscientia. « Advocatus caussam dubiam suscipiens ad aliqua obligatus est. Primum, ut ante « omnia diligenter inspiciat caussae sibi propositae aequitatem, vel probabilitatem: et si injustam esse comperiat, « nullo modo ejus patrocinium suscipiat: alioquin tamquam « concaussa ad compensationem damni parti laesae obligatus « erit, sicut docet S. Thomas. Secundo, ut post diligentem « totius caussae considerationem sincere aperiat clienti quantam probabilitatem, vel spem victoriae obtinendae habeat:

« alioquin si falsa promissione, aut spe inani victoriae clien-
« tem detineat, et sumptibus frustra faciendis involvat, ad
« compensantionem damni ei obligatur, sicuti ex communi
« Lessius etc. » Tenetur ergo advocatus caussae propositae majorem vel minorem, probabilitatem discutere, ut proinde mirum videri jure, ac merito possit circumpsectionem ejusmodi plenam aequitatis ab adversario exhiberi tamquam incommodum intollerabile. Post hanc diligentem considerationem fatetur Layman si advocatus injustam caussam esse comperiat, non posse illius patrocinium suscipere: nos addimus, et quidem multo convenientius ad mentem D. Thomae, si probabilioribus, et gravioribus argumentis, licet non omnino certis, ejus injustitiam sibi deprehendere videatur. Quod autem liceat advocato dubiae caussae defensionem suscipere nihil efficit contra nos. Nam in dubio certum est licere parti cum adversario contestari, atque propositis juribus, ac rationibus suis judicis dirimentis sententiat postulare. Quum autem possit quis per alium, quod potest facere per seipsum ex regula 68. in 6., certo quoque licet advocato parti jus suum in dubio legitime persequenti patrocinium suum praestare; monita prius parte de dubio, ut ante dictum est.

Ad Tertium. Certum est pariter, eum, qui quidquam egit, quod postea novis subortis probabilioribus rationibus illicitum intelligit, teneri quoad potest malefactum emendare, neque propterea metuendus progressus ille in infinitum emendationum, quem adversarius comminiscitur. Nam in rebus, quae cadunt sub disputationem, tenetur quisque diligentiam adhibere. Porro si perspectis, et auditis in utramque partem momentis, omnique pravo affectu vacuus, veritatis, et honestatis amore ductus, proborum, doctorumque virorum consilio quidquam decreverit, vix unquam eveniet, ut sit emendandum, quod tali pacto sibi licere constituerit.

Ad quartum. Scrupulosi sunt ita plerumque affecti, ut molestissime angantur, vehementer metuant se peccasse in eo, quod egerunt, vel dixerunt, rogati autem, cur in eo peccatum esse putent, vix ipsi eloqui valeant, adeo verum est nullam eorum timori probabilem caussam subesse, aut, si quae subsunt, adeo sunt leves, ut eas vel ipsi scrupulosi facile in aliis contemnerent. Scrupuli ergo quum non sint ra-

tiones graves, ad probi, et docti viri consilium sunt utique abjiciendi, at nihil inde contra nostram sententiam, quae negat eodem pacto contemnenda esse quae gravia sunt, ac ea, quae vel nulla sunt, vel levissima.

Opponunt nono. In quaestione particulari, et dubia, an aliquid faciendum sit sub mortali, aut veniali, standum est pro parte benigna, dicendumque non esse peccatum, vel non esse mortale, nisi auctoritas certa, aut ratio evidens evincat oppositum. Ergo hic multo magis tenendum est in hac universalissima quaestione, quae est veluti regula pro infinitis aliis.

Resp. Verum oppositum suadere videtur S. Thomas pluribus locis. Quodlibeto 9. art. 15. » Respondeo, dicendum, « quod omnis quaestio, in qua de peccato mortali quaeri- « tur, nisi expresse veritas habeatur, periculose determina- « tur. » Ubi autem esset periculum, si in dubio de peccato mortali, aut etiam cum majore probabilitate de peccato mortali, sine periculo, et licite determinari posset non esse peccatum mortale? Pergit porro S. Doctor: « Quia error quo « non creditur esse peccatum mortale, quod est peccatum « mortale, conscientiam non excusat a toto, licet forte a « tanto. » Et quodlibeto 3. art. 10. Respondeo dicendum, « quod diversae opiniones doctorum sacrae scripturae, si- « quidem non pertineant ad fidem, et bonos mores, absque « periculo auditores utramque opinionem sequi possunt. Tunc « enim habet locum, quod dicit apostolus ad Rom. 14. *Unus-* « *quisque in suo sensu abundet*: In his vero quae pertinent « ad fidem, et bonos mores nullus excusatur, si sequatur « erroneam opinionem alicujus magistri. »

Similiter S. Augustinus lib. 21. de civ. Dei cap. 27. posteaquam docuit saepe difficile peccata mortalia a venialibus distinguere, et periculosissimum velle definire, addit: « For- « tassis propterea latent, ne studium proficiendi ad omnia « peccata cavenda pigrescat, quoniam si sciretur, quae, vel « qualia sint delicta, eis secura se obvolveret humana se- « gnities. » Haec ratio quidem optima est, modo id teneatur, quod supponit Augustinus, nimirum quum latet, utrum aliquod peccatum mortale sit, an veniale, hoc satis caussae ad illud cavendum, ne mortale forte committatur, dum veniale tantum admitti putatur. Sed si hoc falsum est, et quum latet peccatum ne mortale sit, an veniale, secure tenendum

illud esse pro veniali, non amplius dicendum cum Augustino id latere, *ne eis secura se obvolveret humana segnities:* sed potius, quod absit, dicendum foret id latere, ut eis secura se obvolvat humana segnities.

Opponunt decimo. Qui probabiliter operatur, prudenter operatur. Sed qui sequitur opinionem certo probabilem libertati faventem, licet minus probabilem, probabiliter operatur. Ergo prudenter operatur, ideoque non peccat.

Resp. Disting. maj. Qui probabiliter operatur probabilitate, quae ad verum ducat modo superius exposito ex D. Thoma, D. Antonino, et V. Bellarmino, is prudenter operatur, conc. maj. Qui probabiliter operatur tali probabilitate, quae in pluribus a vero deficiat, et ex qua directe nec probabilis certitudo, nec moralis, nec conjecturalis, quae anxietatem excludat, et grave motivum dubitandi de opposito, ille probabiliter operatur, neg. maj. Sed qui sequitur opinionem, quam agnoscit esse minus probabilem, non ex legitima illa probabilitate agit, quam requirunt summi doctores laudati. Ergo ille prudenter non agit, sed committit se discrimini peccandi.

At inquiunt adhuc adversarii. Probabiliori opinioni potest subesse falsum, licet difficilius. Ergo etiam qui agit ex probabiliori opinione favente libertati exponit se periculo peccandi. Ergo non sufficiet probabiliorem, sed oportebit omnino tutiorem eligere.

Resp. Falsam esse consequentiam. Nam si agitur de probabiliori opinione, qualem eam descripsimus ex D. Thoma, D. Antonino, et Bellarmino, et qualem eligi posse defendimus, distinguendum antecedens: probabiliori opinioni potest subesse falsum, ita ut non repugnet ei subesse falsum, conceditur; ita ut morale aliquod, grave, ac verum periculum adsit, ne forte falsum tali opinioni subsit, prorsus negatur. Porro quum in opinione favente libertati licet non repugnet subesse falsum, tamen quis moraliter certus efficitur ei reapse non subesse, nec ulla gravis ratio se offert ejus suspicandi, ut evenit in multis opinionibus libertati faventibus, quas D. Thomas vere docuit, profecto ibi nullum est periculum: nam ad periculum requiritur gravis, et probabilis, non soluta metuendi ratio. Quisquis igitur opiniones libertati faventes hoc modo amplectitur, securus efficitur, nullique se discrimini objicit.

Hinc patet nostram sententiam tantum recedere a tutio-

rismo, quantum tutiorismus ipse recedit a prudentia. Nam ut imprudens est, qui non metuit, ubi justa se offert caussa metuendi, sic etiam imprudens merito censetur, qui metuendum esse ducit, ubi nulla se offert justa caussa metuendi. Porro quod non repugnet aliquod malum evenire, non est adhuc sufficiens caussa ejus mali metuendi, sed insuper oportet, ut gravi quadam, et vere probabili ratione, quam animus solvere nequeat, imminere ostendatur. Porro tutiorista negat licitum esse agere ex opinione favente libertati, licet ea sit longe probabilior, omnemque anxietatem, et prudentem de opposito dubitandi rationem excludat. Ex quo patet probabilismum, et tutiorismum adversari prudentiae, illum quidem per defectum, ut theologicis rationibus suadetur; hunc per excessum prorsus intolerabilem, ut insuper plane constat damnata propositione 3. ab Alexandro VIII. *Non licet sequi opinionem, vel inter probabiles probabilissimam.* Et sane prudentiae munus est hominem dirigere in rebus contingentibus ad veritatem per media, quae in rebus contingentibus suppetunt, nempe per probabilitates magis ad unam partem, quam ad aliam se habentes, quas dum rejicit tutiorista, prudentiam tollit e medio, plusque requirit, quam sit humanae conditioni datum. Probabilista se habet ut homo, qui per urbem ambularet quo tempore vehementior venti flatus tegulas disjiceret, gravisque, et justa caussa se ostentaret metuendi periculi. Tutiorista ut homo, qui tranquillo coelo, tamen domi conclusus maneret, nec auderet per urbem res suas gerere, quia fieri potest absolute, ut decidente tegula opprimatur. Probabiliorista vero, qui turbine flante veretur per urbem incedere; caeterum tranquillo coelo inaniter non metuit malum, hoc solum, quod accidere potest, quum nulla subest ratio ejus metuendi.

Quod si eveniret, ut quis deciperetur opinione, quae sibi longe probabilior videretur, ita ut subjective moraliter se certum putaret de honestate actionis alioquin illicitae, is, si debitam, et requisitam diligentiam adhibuit, ignorantiae invincibilis titulo a peccato excusabitur: nam quum adhibuerit omnem requisitam diligentiam ad explorandum periculum, et tale periculum se illius menti non obtulerit, seu nulla, quoad ipsum gravis ratio metuendi mali, profecto ignorantia ejus periculi ei est prorsus involuntaria. Non ergo voluntarie se periculo committit.

At vero qui sequitur opinionem cognitam ut minus probabilem, licet non sit certus de actionis malitia, tamen est certus de periculo: nam quum sint graviores rationes suadentes ejus malitiam, justa caussa est ejus metuendae, adestque proinde verum periculum. Quum aliunde nulla sint reflexa eorum principia, ut ostendimus, patet probabilistam vi probabilismi non eodem jure ac nos posse ignorantiam invincibilem obtendere, ut immunem a culpa persuadeat actionem, quae fit ex opinione cognita ut minus probabili favente libertati contra legem.

L' EDITORE

A CHI LEGGERÀ

Esce alla luce il VII Volume dell' Opere edite ed inedite dell'Emo. Card. Gerdil, II. della Morale Teologica. Troverassi in esso il Trattato delle Leggi compiuto, e quello della giustizia, e del diritto tranne la Disputazione de' contratti in ispecie, e dell'usura che pubblicherassi nel Volume seguente. Del Trattato delle Leggi ne diede l' Autore un estratto nell' Opuscolo inserito nel VII Volume di questa Edizione col Titolo Elementa moralis prudentiae juris, *il quale se eccitò il desiderio di vedere pubblicato il Trattato intero delle Leggi, che fin d' allora l' Autore promise, ma che non pubblicò poi mai, noi certi siamo, che ora a chi il leggerà produrrà ciò che avvenir suole nella lettura delle Opere tutte di questo Uomo sommo, che la soddisfazione, che vi si pruova a cagione delle cose, che vi s'incontrano ad ogni passo o del tutto nuove, o corredate da nuovi argomenti, ed osservazioni, o esposte in maniera più precisa, e più chiara dell' ordinario e sempre a gran pezza maggiore dell' aspettazione che se ne avea. Lo che a mio avviso è uno de' maggiori argomenti dell' Opere grandi, che tutte in chi le considera, e le smidolla sogliono il medesimo effetto produrre. Ciò è pure testè accaduto a chi con attento animo e scevro da pregiudizj, e con ingegno bastevole all' uopo ha letto il Trattato degli Atti Umani pubblicato nel Volume antecedente. Potrebbe però forse altri, veggendo nel Titolo dell' Opera trattarsi di Morale Teologica, farsi per poco a credere, che quest' Opera fatta fosse solamente per quelli che vanno per la via ecclesiastica, e che intendono di darsi al servigio de' prossimi ne' Pulpiti, e nelle Cattedre di Penitenza. Ma ingannerebbesi questi certamente, conciossiachè la materia vi è in guisa trattata da rendere affatto irragionevole questo*

pensamento. Se il Leibnizio diceva degli scolastici, che molto oro ritrovasi nella polvere delle scuole, e se il Grozio esortava Beniamino Morerio legato del Re di Francia ad apprendere la Morale nella Secunda Secundae di S. Tommaso, ch'egli loda siccome il più bel Trattato di Morale che esistesse, noi non temeremo di essere smentiti se diremo, che il Gerdil nella sua Morale ha raccolto tutto ciò che negli scolastici avvi di più importante; che i Trattati di Lui servir possono di un ottimo preambolo allo studio di S. Tommaso, ch' Egli medesimo nel suo Saggio d' Instruzione Teologica (Tom. VI. pag. 99.) *propone come un esemplare d' aversi innanzi gli occhi del Professore di Teologia perchè gli serva di guida nel comporre i suoi scritti. Oltre di che valsesi pure il Gerdil de' posteriori lumi, e riguardo allo stile espresse le cose per modo da piacere anche a' più fastidiosi Letterati.*

Ma a persuadere vie meglio che la Morale Gerdiliana non è soltanto adattata a' Teologi, ed a' confessori basterà fare un cenno delle cose che tratta ne' Libri, che pubblichiamo. Nel che non possiamo far meglio, che recar quello che intorno a questi due Trattati Egli propone a' Professori nel sopra citato Saggio d' Instruzione Teologica, e che avea Ei pure essendo Professore eseguito. Parlando Egli delle Leggi dice: « messe le « definizioni opportune si procurerà di dare una giusta idea « della Legge naturale, della sua origine ed immutabilità. Es- « sendo l' uomo ragionevole e socievole, nasce come ragionevole « nella dipendenza dalla Legge di natura, e come socievole, colla « naturale obbligazione di dipendere dalle leggi, che richiede « il buon ordine della società. Il che si farà osservare contro « l' abuso, che da parecchi si suol fare di quel detto, che « l'uomo nasce libero, come se la libertà in quanto è diritto « di natura, dovesse trarre seco una totale indipendenza, « ed escludere ogni grado di subordinazione fra gli uomini.

« Si dimostrerà la necessità delle leggi positive, non solo « Divine, ma anche umane, sia per determinare certi uffizj e « doveri, che dalla legge di natura sono prescritti soltanto « in generale, e senza particolare determinazione di luogo, « e tempo, e di altre individuali circostanze; sia ancora per « vietare certe cose, le quali sebbene non viziose di lor natura « possono dare luogo a frequenti abusi pregiudicevoli al buono « ordine.

« La legge è una regola, stabilita dall' autorità, pubblica per

« dirigere al bene comune. Quindi sebbene la disposizione « della legge positiva non sia per se stessa prescritta dal- « l'equità naturale, il motivo della legge si desume dalla stes- « sa equità naturale, per la relazione del disposto della legge « al ben pubblico, oggetto della medesima.

« Si confuterà l'errore de' Novatori, che le leggi umane « non obbligano in coscienza; e si stabilirà coll' autorità delle « Sacre Lettere, e coll' autorità de' Padri l'ubbidienza dovuta « per legge di coscienza alla podestà pubblica ordinata da Dio « pel governo e buon ordine della Società; essendo pure cosa « evidente, che nè il genere umano può sussistere senza socie- « tà, nè la società senza governo, nè il governo senza subordi- « nazione. Le autorità sacre in questo proposito sono sì chia- « re, che non si sa capire come un bello spirito de' nostri « tempi abbia avuto l' ardimento di dire, che i primi pro- « mulgatori del Cristianesimo seppero allettare la plebe decla- « mando contro i tributi; come se non esistesse chiaro in con- « trario il detto medesimo dell' Apostolo; cui tributum, tri- « butum: cui vectigal, vectigal; e Tertulliano non rendesse « chiara testimonianza all' inviolabile fedeltà de' Cristiani in « questo medesimo genere. »

E quanto a quella parte del Trattato della giustizia, e « del diritto che ora pubblichiamo: « Sarà d' uopo, dice « Egli, il porre qualche studio in dichiarare i doveri della « giustizia legale, imponente l' obbligo di contribuire al ben « pubblico, e di anteporlo al privato. Si parlerà della divisio- « ne de' dominii, introdotta per jus delle genti, delle sue « cagioni ed utilità, de' modi originali e derivativi di « acquistare il dominio, onde apparirà la giustizia, e la « necessità di certi regolamenti positivi concernenti la deposizione « de' dominii privati per riguardo al ben pubblico. » Sin qui il Gerdil, donde apparirà agevolmente, che questi trattati giovar possono ad ogni genere di persone, e molto più al Filosofo, al Giureconsulto, al Politico, ed al Teologo, i quali vedranno sviluppati da mano maestra i punti più rilevanti delle leggi sì naturale e Divina, che Ecclesiastica e Civile ed i principj più importanti della giustizia e del diritto, a difesa della verità, e a confutazione degli errori de' tempi, siccome ebbe l' Autore in costume di fare in tutte le altre Opere sue.

Nel Trattato delle leggi non evvi prefazione alcuna, perchè

prima di questo il Gerdil dettò il Trattato della giustizia, e del diritto, al quale premise una prefazione comune ad ambedue. Noi però abbiamo creduto di stampare prima il Trattato delle leggi, che quello della giustizia, poichè oltre che ciò si suol fare forse più comunemente da' Teologi, l' Autore medesimo nel sullodato Saggio d' Instruzione Teologica premette quello delle leggi al Trattato della giustizia. Del resto chi attener si volesse all' ordine del tempo seguito nella sua Cattedra dal Gerdil, gli sarà facile il farlo.

THEOLOGIAE MORALIS

LIBER II.

DISPUTATIO I.

DE LEGE GENERATIM.

DISPUTATIO I.

DE LEGE GENERATIM

CAPUT I.

De Legis nomine, et significatione.

Lex generatim accipitur pro principio, vel regula determinante ad agendum hoc potius, quam alio modo. Hinc multiplex prodit legis acceptio. 1. Lex dicitur propensio, vel determinatio ad agendum, quae in rebus inest, ex earum natura, indole, affectionibus, vel mutuo nexu pendens. Sic lege naturae corpora in eam partem moventur, qua minus eorum motui obsistitur. Sic etiam proverb. 8. *Aeterna sapientia dicitur certa lege vallasse abyssos, et legem posuisse aquis, ne transirent fines suos.* 2. Legis nomine donantur artis cujusque praecepta, quatenus in agendo dirigunt. 3. Tribuitur id nomen conditionibus, quas contrahentes in pactionem deducunt, velut cum dicitur: spondeo dare ea lege, ut hoc, vel illud facias, quippe tali conventione agendi modus quidam praescribitur. 4. Sumitur pro regula homini proposita ad agendum, quatenus homo est, seu rationis, ac socialis vitae particeps. Atque haec propius ad institutum nostrum pertinet legis acceptio, quae hoc differt a regulis artificum, quod istae Grammatico, ac Pictori tradant praecepta loquendi, vel pingendi, haec homini tradat praecepta bene vivendi. Hinc vero per quamdam accommodationem legis nomine donantur quaecumque fiunt ex praescripto legis, ut Johan. 7. *Nemo ex vobis facit Legem*: tum religio ipsa, et disciplina leges complectens; quo pacto nominari solet lex vetus, lex nova: ipsi demum libri, quibus leges descriptae continentur.

Legem Graeco nomine νόμος a suo cuique tribuendo appellatam animadvertit Tullius 1. de lege., latino vero nomine dictam a legendo seu eligendo: *Nam ut Graeci*, ait, *aequitatis, sic nos delectus vim in lege posuimus, et tamen utrumque proprium legis est.* Quam latinam notatiónem complexus est Augustinus qu. 20. in Levit. 2. S. Th. 1. 2. q. 90. art. 1. legem a ligando dictam putat *quia obligat ad agendum*; quam notationem praeter alios affert Clitovaeus

ex Cassiodoro ad lib. 4. Damasceni de Fid. c. 23., estque consentanea sacris litteris, quae interdum leges vinculorum nomine designant, ut Hierem. 2. *Rupisti vincula mea, et dixisti non serviam.* 3. S. Isidorus lib. 2. Orig. c. 10. legis nomen ducit a legendo, quatenus legenda proponitur, et legendo innotescit. Porro his notationibus, quidquid sit de grammatica earum ratione, multa innuuntur ad legem pertinentia. 1. Ex Graeca notatione fundamentum legis, quod est in aequitate positum. 2. Ex latina vis ipsa legis agendorum, vel fugiendorum delectum praescribentis. 3. Ex ea, quam affert S. Thomas, obligatio, quae legem consequitur 4. Ex notatione Isidori promulgatio, quae saltem tamquam necessaria conditio ad legem requiritur.

CAPUT II.

Eam esse hominis naturam, quae legis expers esse nequeat, unde prima obligationis notio eruitur.

Nunc ad legis naturam, atque ad nexum obligationis, quae legem comitatur, explicandum progredimur. Qua in re illud magni prorsus est momenti probe intelligere, qui fiat, ut homo pro suae naturae conditione legi alicui subjectus esse debeat, quae libertatem, seu potestatem agendi, qua praeditus est, coerceat, ac moderetur.

Scilicet homo naturaliter particeps est rationis, ac vitae socialis. Insitam porro habet a natura ineluctabilem felicitatis appetitionem, ex qua omne volendi, agendique initium ducitur. Tametsi vero nequeat homo ullo tempore illam felicitatis appetitionem exuere, ad quam propriae conservationis et perfectionis studium revocatur, nihilominus potest in mediis ad eam ducentibus a veritate, atque adeo ab ea perfectione, sine qua felicitas parari nequit, aberrare, ac deflectere. Opus ergo habet regula quapiam, seu lege, qua dirigatur in mediis eligendis quae ad humanae vitae finem pertinent, ne aberrando finem illum amittat, cujus consequendi appetitionem extinguere, ac plane deserere non valet.

Ejusmodi vero regula veram obligationem parit. Sane duo sunt, quae ad obligationis notionem efformandam pertinere maxime videntur. 1. Moralis necessitas hoc potius, quam alio modo agendi, quae necessitas ex fine ducitur. Sic

necessaria dicitur navicula ei, qui velit flumen trajicere. Quod si finis hujusmodi est, ut sit in hominis potestate illius consecutionem aut expetere pro arbitratu, aut plane respuere, illa se necessitate solvere homo poterit quandocumque volet, nec proinde illa erit vera, perfecta, et proprie dicta obligatio. Si vero agitur de fine, cujus consecutionem aspernari prorsus, ac respuere homo non valeat, eujusmodi est felicitas, via ejusmodi finis parandi semper erit homini moraliter necessaria, nec proinde unquam poterit homo solvere se se obligatione illius vitae ineundae, quae ad finem ducit, quem non potest unquam aversari.

2. Altera conditio est, ut eam regulam recta ratio sic approbet, ut si secus quisque fecerit, ille perperam, et adversus rectae rationis praescriptum egisse convincatur. Talis porro est regula hominem dirigens in mediis ad ultimum finem ducentibus, quippe nil tam rectae rationi consentaneum, quam hominem ea via progredi, quae ad veram felicitatem ducit, ut proinde nequeat illa regula violari, quin ipsa recta ratio ei violationi adversetur, eamque reprobet; adeo ut violator legis propriae praevaricationis conscius intimo quoque sensu convincatur perperam se fecisse, sibique vitio, et culpae tribuat quod a sua ipse ratione desciverit, atque adeo ab ea perfectione, sine qua felicitas parari nequit.

Hinc facile intelligi poterit figurata obligationis definitio, quae in hunc modum afferri solet, nimirum vinculum morale, seu restrictio libertatis ex recta ratione profecta, qua facultas eligendi suapte natura indifferens adstringitur hoc potius, quam illud eligere.

Simul intelligitur, quemadmodum lex hominem dirigens in mediis ad consequendam felicitatem idoneis, ac necessariis obligationem pariat: legis autem violatio, quatenus voluntaria est, culpam efficiat, dignumque praevaricatorem reddat ea calamitate, in quam se conjicit, dum a proposita lege, seu regula voluntate sua deflectit.

CAPUT III.

Proponitur legis definitio cum nominis, tum rei.

Definitio nominis est quae significationem alicui voci subjectam declarat; definitio rei, quae praeterea ipsius rei per

vocem significatae naturam aperit. Definitio nominis censeri potest, quam affert S. Th. 1. 2. q. 90., dum legem definit *regulam, et mensuram actuum secundum quam inducitur aliquis ad agendum, vel ab agendo retrahitur.* Quibus verbis duas legis partes complexus esse videtur, nimirum vim, quam vocant directricem, quatenus lex dictat quid agendum quidve fugiendum sit, et vim, quam coactivam dicunt, quae inducit ad faciendum, vel omittendum quod praescribitur, vel vetatur, quaeque Sanctio legis appellari solet. Et quidem in ipsa generali notione legis, seu regulae, una pars ex alia naturali nexu consequitur. Nam siquis legem aspernatur, consequens est, ut a fine, seu a bono deflectat, quod legi propositum est, atque ex ea privatione in damnum incurrat, quod quidem damnum, prout ab auctore legis praevaricatoribus infligitur, *poena* nuncupatur, atque haec quidem de nominis definitione.

Post eam definitionem, quae *nominis* dici potest, aliam subjicit S. Thomas, qua explicat a quo repetenda sit, et in quo posita intelligi debeat humanarum actionum mensura, et regula, quam definitionem sequenti propositione complectemur.

PROPOSITIO.

Lex, seu regula, et mensura humanarum actionum optimo jure definitur a S. Thoma: « Ordinatio rationis in bonum commune ab eo, qui curam habet Communitatis, promulgata. »

Primo dicitur *Ordinatio rationis*, nam regulae cujusvis proprium est hominem dirigere in aptandis, seu ordinandis mediis, quae necessaria sunt ad finem intentum consequendum: id autem munus est rationis, quare omnis vera regula ordinatio est a recta ratione perfecta.

Secundo dicitur *in bonum commune.* Etenim homo natura sua vitae est socialis particeps: omnis autem societas boni alicujus communicatione nititur, ad quod consequendum, vel fruendum mutuis conatibus, et officiis adjuvari homines opus habent. Si ergo natura sua homo particeps est vitae socialis, sequitur, ut homines naturae instituto ad aliquod bonum commune ordinentur, ad quod consequendum alii ab aliis adjuvari opus habeant. Et revera magnum praesidium in

bene ordinata societate cuique homini paratum est ad sui conservationem, tum ad facultates suas excolendas, et ad ea officia exercenda quae ad bene, beateque vivendum pertinent. Patet autem societatem rite ordinari non posse, nisi lege aliqua, quae singulos in bonum commune, quod societati propositum est, apte dirigat, homines itaque utpote socialis vitae participes in bonum commune ordinari opus habent; merito proinde lex, quae hanc ordinationem praestat, dicitur in bonum commune spectare.

Tertio dicitur *ab eo, qui curam habet communitatis.* Nam, ut habet S. Doctor art. 3. Ordinare in bonum commune, quod proprium est legis, illud est vel totius multitudinis, vel alicujus, qui vicem gerat multitudinem, vel ad personam publicam, quae multitudinis curam habet; nam et in omni re ordinare in finem cujus est, cujus proprius est ille finis. Neque haec ordinatio in bonum commune convenienter fieri potest a persona privata, tametsi omni ea sapientia polleret, quam legislatoris munus requirit. Enim vero, ut animadvertit S. Doctor ad 2.: *Persona privata non potest inducere efficaciter ad virtutem, potest enim solum movere; sed si sua motio non recipiatur, non habet vim coactivam, quam debet habere lex ad hoc quod efficaciter inducat ad virtutem, hanc autem virtutem coactivam habet multitudo, vel persona publica, ad quam pertinet poenas infligere, et ideo solius ejus est leges facere.*

Quarto dicitur *promulgata.* Neque enim regula, ut docet idem S. Doctor art., 4. dirigere valet, nisi applicari, seu denunciari valet.

Quamvis autem S. Thomas in ea legis definitione ordinationem tantum rationis memoret, non tamen imperium voluntatis a legis notione removet: nam, ut ait art. 1. ad 3.: *Ratio habet vim movendi a voluntate. Ex hoc enim, quod aliquis vult finem, ratio imperat de his, quae sunt ad finem. Sed voluntas de his, quae imperantur ad hoc, ut legis rationem habeat, oportet quod sit aliqua ratione regulata.*

CAPUT IV.

De Legis proposito.

Utrum scilicet in id spectet lex omnis, ut homines bonos, probosque efficiat.

Proprium legis propositum, seu affectum esse, ut homines bonos efficiat, docet S. Thomas 1. 2. q. 92. art. 1. Bonus autem homo dupliciter intelligitur, vel simpliciter, et absolute, isque est, qui ad ultimum finem vitae humanae rite, sancteque est comparatus; vel ex parte tantum bonus, isque dicitur, qui ad aliquod bonum hominis naturae vere congruens recte, et ex ordine rationis se habet. Lex porro spectari potest vel ut est ordinatio rationis in bonum commune, vel ut est ab eo lata, qui curam gerit communitatis, proque suo munere praescribit quid communitati conveniat in idque subjectorum actiones dirigit.

PROPOSITIO.

In id lex omnis suapte natura spectat, ut homines bonos, probosque efficiat.

Enim vero si legem spectari placet, ut est ordinatio rationis in bonum commune hominibus vere congruens, hoc ipso inducit homines ad ea sectanda, quae sunt rectae rationis ordini consentanea. Sed homo ille bonus, et probus dicitur, qui sectatur ea, quae sunt rationis ordini consentanea. Igitur lex, quatenus est ordinatio rationis in bonum commune, in id spectat, ut homines bonos, ac probos efficiat. 2. Si lex spectatur ut ab eo lata, qui curam gerit communitatis, idem comperietur; nam privatis in communitate degentibus vere bonum est, ut pareant ei, qui communitatem moderatur, eamque in bonum commune ordinat, adeoque vel ipsa obtemperatione bonum sequuntur recta rationi consentaneum.

Notandum porro non quamcumque legem eam vim habere, ut qui ei parent, omni ex parte boni efficiantur, idest ea bonitate, et justitia praediti, quae omnem lethalem cul-

pam excludat. Id enim vel soli convenit legi charitatis, si de peculiari lege agatur; vel toti complexioni legum, quatenus ea complexione lex charitatis comprehenditur. Tamen legis omnis proprium est, ut obtemperantes bonos efficiat in aliquo genere virtutis, et honesti, ut lex temperantiae in his, quae ad eam virtutem pertinent, et sic de aliis.

Contra duo afferri possunt. 1. Legis satisfieri potest etiam per opus malum, velut si quis opus lege praescriptum malo fine praestet. 2. Legem civilem eo tantum spectare, ut civem bonum, non item ut virum etiam bonum efficiat. Haec enim differre videntur. Non id ergo legi omni propositum est, ut homines bonos, probosque efficiat.

Verum haec facile solvuntur. 1. Licet implendo munere, quod lex praescribit, possit quis pravae circumstantiae adjectione peccare, adhuc tamen stat legem vi sua in id spectare, ut quisque bona voluntate bonum opus exequatur, quod lex praescribit; est enim finis cujusque legis non solum ut fiat quod praecipitur, sed etiam ut bene fiat. 2. Lex civilis proxime quidem bonos facere cives intendit; sed nemo futurus est bonus civis, qui non idem sit vir probus. Unde Aristoteles lib. 7. Politic. cap. 14. de civibus loquens ait: *Hoc erit utique legumlatori intuendum, laborandumque, ut boni viri efficiantur.* Quod autem alia sit virtus hominis, quatenus homo tantum est, alia virtus hominis etiam quatenus est civis, probat posse aliquem bonum esse virum, etiamsi aliqua de caussa expers civitatis, abstractus ab omni societate vitam degeret; sed non probat bonum revera civem dici posse, qui non sit vir bonus.

CAPUT V.

De quadruplici munere legis, nimirum jubere, vetare, permittere, ac punire.

Nihil ad humani generis communitatem tuendam praestabilius, nihil rectae rationi congruentius, quam ut homines lege contineantur, ex eo fit perspicuum, quod ordinatae concordiae status praestabilior sit perturbato, nec tamen hic ordinatae concordiae status sine lege parari queat, qua homines in bonum commune apte ordinentur, et efficaciter inducantur.

Hinc vero proclive est colligere qui actus, vel munera legi conveniant. 1. Legis munus est actus ad bonum commune conducibiles imperare. 2. Repugnantes vetare. 3. Medios, qui nec prosunt, nec obsunt, permittere. 4. Cum ad humani generis bonum illud etiam maxime requiratur, ut ad praescripta officia homines non tantum ordinentur, verum etiam efficaciter inducantur, illud quoque in primis ex generis humani bono esse intelligitur, ut haec non solum boni adipiscendi specie homines ad recte agendum alliciat, sed etiam indictis poenis improbos a malefactis deterreat.

Eo scilicet spectat pars ea legis, quae sanctione continetur. 1. Ut aequalitas justitiae, quae culpà violatur, datis poenis, quoad fieri potest, restituatur: postulat quippe ordo justitiae, ut qui volens malum culpae admisit, invitus malum poenae sustineat. 2. Ut quos honesti consideratio avocare a pravis cupiditatibus non valet, poenae timore contineantur. 3. Ut vel qui peccarunt, poena inflicta emendentur, atque ad sanitatem redeant; vel alii exemplo eorum improbitatem vehementius horrere discant. 4. Ut tollendis scelestis, qui exitium, ac perniciem aliis intentant, vel ipsam humanae naturae dignitatem nefariis criminibus deturpant, reipublicae saluti, et tranquillitati consulatur.

Quo patet quemadmodum ex ordinatione rationis in bonum commune, qua vis legis maxime continetur, sponte sua consequatur in societate necessaria legislatoris opera, qui imperet, vetet, praemiis, ac poenis afficiat. Sit ergo.

PROPOSITIO.

Legis virtus haec est imperare, vetare, permittere, punire.

Ita Modestinus jurisconsultus leg. 7. §. de leg., cujus sententiam confirmat S. Th. 1. 2. q. 92. art. 2. Nam ad legem pertinet homines, eorumque actus, et facta in bonum commune dirigere. Humani autem actus triplici sunt in differentia, nam aut boni sunt, aut mali, aut medii, seu indifferentes; bonos praecipit, malos lex vetat, prout ad societatis finem conducere, aut eidem obesse deprehenduntur; indifferentes, qui nec prosunt, nec obsunt, permittit. Quia vero lex nullo plerumque fructu juberet, nisi etiam ad parendum subjectos efficaciter inducere valeret, id lex praestat sanctione poenae:

merito itaque quatuor actus proprii legis recensentur, jubere, vetare, permittere, punire.

Inter recentiores tamen, qui de rebus ad jus naturae pertinentibus scripserunt, disputatum est, utrum permissio inter legis affectus referri debeat. Nonnulli negarunt hac ratione ducti, quod sola negatio legis jubentis, vel vetantis sufficere videtur, ut res quaepiam permissa intelligatur, nec proinde ullum opus sit legis auctoritatem intervenire ad permissionem inducendum.

Verum si subtilius, et accuratius rem totam investigabimus, comperiemus permissionem, seu facultatem agendi, vel non agendi, ut libet, originem ducere ex aliqua lege, quae omnes actus humanos complectitur. Etenim omnes actus deliberati, utpote qui ex consilio rationis proficiscuntur, subesse quoque debent ordinationi rationis, in qua ex ordine ipso Divinae sapientiae vim inesse legis jam vidimus, ac deinceps ulterius declaraturi sumus. Ut ergo per eam ordinationem boni actus praecipiuntur, mali vetantur, sic indifferentes permittuntur. Hinc fit, ut ex ea permissione facultas moralis, adeoque verum jus consurgat agendi, vel non agendi prout libet, cui respondet in aliis vera obligatio non impediendi, quominus quisque in agendo, vel non agendo jure suo utatur. Quod jus, quaeve obligatio ex aliquo sane positivo, ut vocant, actu legis manare debet.

2. Contra superiorem propositionem facere videtur quod ajunt nonnulli actus etiam suapte natura indifferentes legibus quandoque praecipi, vel vetari: tum nec semper legibus quibusque bonos actus imperari, malos prohiberi. Non ergo proprium legis est bonos actus jubere, malos vetare, indifferentes permittere.

Resp. Actus vi sua indifferentes legibus quandoque praecipi, vel prohiberi, cum pro ratione locorum, ac temporum legislator id boni communis interesse judicat; tumque actus ejusmodi boni, vel mali evadunt, prout vel jubentur, vel vetantur. Neque vero necesse est, ut lex omnis omnes bonos actus imperet, omnes malos prohibeat, sed satis est, ut jubeat, aut vetet, quae ad finem sibi propositum pertinent. Caeterum, cum lex dicitur mala permittere, quae non prohibet, non est sic intelligendum, quasi lex malum fieri probet, quod non vetat, sed solum quod poenam non sanciat. Quod etiam quandoque ad malum majus vitandum pertinet.

Distinguenda est itaque permissio, quae veniam, et approbationem affert, a permissione, quae tollerantiam tantummodo significat.

3. Inquiunt consilium quoque ad legem pertinere. Nam et legem consultoriam Doctores quidam memorant, et lege nova consilia contineri docet S. Thomas qu. 108. art. 4. Pariter legi convenire videtur non solum ut supplicio mactet improbos, verum etiam bonos afficiat praemio. Ergo praeter quatuor illos actus memoratos alii quoque sunt admittendi.

Resp. Non repugnare, ut lex dicatur consulere, quae fieri probat, licet non praecipiat; illud tamen non memoratur munus proprium legis, quia consilium dare pertinet quoque ad privatos. Pari ratione praemium non recensetur inter actus legis proprios: quippe possunt etiam privati praemio proposito ad aliquod praeclarum facinus alios invitare, non tamen punire possunt, quia punitio coercendi potestatem requirit, non item liberalitas in praemio largiendo. Patri quidem, ac Domino, qui praesunt communitati imperfectae, convenit moderatis castigationibus liberos, et famulos corrigere. At princeps civitatis, quae est communitas perfecta, perfectam quoque habet coercendi potestatem, ideoque potest poenas etiam graviores infligere, velut occisionis, mutilationis etc., quae *inferunt irreparabile nocumentum*, ut docet S. Thomas 2. 2. q. 65. art. 2. Ita paucis S. Doctor quaestionem absolvit, quam satis prolixe tractant nuperi de rebus ad jus naturae pertinentibus disceptatores, num videlicet ad legis sanctionem praemium non secus ac poena ex aequo pertineat. Sane legum observatione publica salus continetur, et cum unicuique legi bonum aliquod sit propositum ad publici commodi rationem pertinens, legis cujusque observatio commodum aliquod affert: quod instar obtemperationis praemium haberi potest. Non absimili ratione ex legum contemptu plurima rerum perturbatio consequitur, adeo ut nulla sit legis violatio, quae non utilitatibus publicis officiat, unde in privatos plurima incommoda relabuntur. Atque haec est velut nativa legis sanctio, quae legis cujusque naturam consequitur. Praeterea haud repugnant, imo quandoque consentaneum est subjectos propositis praemiis ad legis obtemperationem efficacius invitari, cujus rei aestimatio munus est publicae prudentiae. Verum non id censetur legis munus proprium, ut poenae sanctio, quia praemium dare potest etiam qui non

pollet publica auctoritate: poenas autem constituere munus est potestatis coercendi, quae ex publica potestate manat.

DISPUTATIO II.

De divisione legum, ac primum de lege aeterna, et naturali.

Posteaquam S. Thomas 1. 2. q. 90. definitionem, ac naturam legis exposuit, de legum diversitate agit qu. 91. Quadruplicem autem partitionem facit in legem aeternam, naturalem, Divinam positivam, et humanam. Quocirca de lege aeterna, et naturali, quae aliter se habere non possunt, ante dicendum est, quam explicentur conditiones, quibus praeditas esse oportet leges positivas, ut proprio legis nomine censeantur, eo vel maxime quod ut reliquae leges omnes, sic etiam hae conditiones ab aeterna lege derivare intelligantur.

CAPUT I.

De lege aeterna.

Lex aeterna dicitur ratio gubernationis rerum in mente Divina existens. Differt 1. ab ideis Divinis, quod ideae referuntur ad res ut intelligibiles, et relatae ad universitatem rerum habent rationem artis, seu exemplaris, suntque conceptus rerum ut faciendarum; lex vero aeterna refertur ad res ut gubernandas, estque veluti conceptus rerum ut regendarum. 2. Differt a providentia, quod haec versetur circa res singulares, lex vero aeterna versetur circa bonum universale, sitque velut regula Divinae providentiae, quae ad normam legis aeternae hoc, vel illud determinat, quemadmodum explicat S. Thomas q. 5. de veritat. art. 1. ad 6.

PROPOSITIO I.

Est revera lex aeterna, ratio videlicet gubernationis rerum, in mente Divina existens.

Propositio ex eo fit manifesta, quod Deus omnia moderatur, et ordinat summa sapientia. Haec autem divinae sa-

pientiae ordinatio optimo jure lex nuncupatur, cumque in Divina mente existat, sitque adeo aeterna, sequitur aeternam legem in Deo esse agnoscendam.

Notandum porro fieri non posse, ut Divina voluntas ab ordine divinae sapientiae unquam dissentiat. Nam *Deus negare se ipsum non potest*, ut ait Apost. 2. ad Timoth. 2. Proinde S. Thomas 1. p. q. 21. art. 1. ad 2. *Impossibile est*, inquit, *Deum velle nisi quod ratio suae sapientiae habet, quae quidem est sicut lex justitiae, secundum quam ejus voluntas recta, et justa est.* Nec propterea dici debet Dei voluntatem in suis actibus liberis aeternae legi subjici. Nam in Deo voluntas, et ratio, seu sapientia unum, idemque sunt; quo fit, ut lex aeterna voluntati divinae non applicetur tamquam ad aliquid a se reapse distinctum, sibique subjectum: tamen quia fieri non potest, prout docet S. Thomas, Deum velle, nisi quod ratio suae sapientiae postulat, haec ratio accommodate ad humanum intelligendi modum merito ab eodem S. Doctore dicitur esse sicut lex justitiae, secundum quam voluntas Dei recta, et justa est.

PROPOSITIO II.

Res omnes creatae sive ratione utentes, sive rationis expertes legi aeternae subduntur, diverso tamen modo pro diversa conditione naturae.

Propositio mirifice explicatur, probaturque a D. Thoma qu. 93. art. 6., nimirum duplici modo res creata subesse intelligitur legi aeternae. I. Quatenus per cognitionem fit ejus legis particeps, seu quatenus lex aeterna intelligenti naturae innotescit, eaque cognitione ipsi veluti denunciatur. II. Quatenus cuique rei creatae ordine ipso divinae sapientiae inest naturalis quaedam vis movens, et propensio, qua movetur, dirigitur, et ordinatur ad ea, quae sunt suae cujusque naturae congruentia. Atque hoc secundo dumtaxat modo legi aeternae subduntur naturae rationis experies: utroque vero modo ei subditur natura compos rationis, quandoquidem pro intelligendi facultate, qua praedita est, notitiam quamdam habet velut naturaliter inditam aeternae legis, e qua naturalis inclinatio exoritur ad bonum honestum, seu rectae rationis ordini consentaneum. Hic vero sapientissime idem

S. Doctor ostendit omnes homines sive bonos, sive malos aeternae legi subjici. Et quidem boni, seu justi secundum utrumque modum superius expositum perfectiore quadam ratione subsunt legi aeternae, nam in ipsis ad naturalem cognitionem boni superadditur superius lumen fidei, et sapientiae: simulque ad naturalem inclinationem ad bonum superadditur motio interior gratiae, et virtutis. Ab hac vero perfectione longe absunt improbi. Nam in ipsis cognitio boni cupiditatum caligine obscuratur, et inclinatio ad bonum per vitiosos actus depravatur. Nihilo secius licet voluntate sua recedere nitantur ab ordine legis aeternae, ei tamen subducere sese non possunt. Nam qui peccando ab aeterna lege recedit, ut praecipiente, in eam incidit ut punientem. Unde semper manet obnoxius legi aeternae. Nam ut pulchre ait S. Augustinus lib. 26. cont. Faust. c. 3. *Ad naturalem justitiae ordinem pertinet, ut aut peccata non fiant, aut impunita esse non valeant. Quodlibet horum sit, naturalis ordo servatur, si non ab anima, certe a Deo.* Et lib. 3. de lib. arbitr. cap. 15. *Quia nemo superat leges Omnipotentis Creatoris, non sinitur anima non reddere debitum. Aut enim reddit bene utendo quod accipit, aut reddit amittendo quo bene uti noluit. Itaque si non reddit faciendo justitiam, reddet patiendo miseriam, quia in utroque verbum illud debiti sonat.* Videatur etiam Augustinus ibid. cap. 9., et Anselmus lib. 1. cur Deus homo c. 15.

PROPOSITIO III.

Leges omnes, quae proprio legis nomine censentur, ab aeterna lege derivantur.

Primo quippe lex naturalis in hominibus enascitur cum ex inclinatione, quam ordinatione suae sapientiae Deus ipsis indidit ad bonum humanae naturae congruens, tum ex notitia ordinis, quem in suis actibus servare homines oportet, ne a bono sibi congruente aberrent. Quocirca merito S. Thomas legem naturalem ait esse participationem quamdam aeternae legis in humana mente, cujus participationis, quae locutio metaphorica est, planam, et perspicuam intelligentiam tradere videtur S. Augustinus lib. de lib. arbitr. c. 6. *Ut breviter aeternae legis notionem, quae nostrae menti im-*

pressa est, quantum valeo, verbis explicem, ea est, qua justum est, ut omnia sint ordinatissima. Et sane cum sapientis sit ordinare, profecto intelligimus illud summae sapientiae in primis consonum esse, ut omnia congruo ordine gerantur, juxta illud Apostoli: *Omnia honeste, et ex ordine fiant.* Quocirca S. Augustinus hanc etiam affert legis aeternae definitionem, quae superius allatae mirifice congruit: *Lex aeterna est ratio Divina, vel voluntas Dei ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans.* Haec porro lex aeterna quatenus menti impressa lex naturalis dici potest: imprimitur autem ea notione, cujus veritas intimo sensu, ac lumine rationis perspicitur, videlicet immutabili, ac necessaria lege divinae sapientiae *justum esse, ut omnia sint ordinatissima.* Ex qua notione sponte sua oritur dictatum rectae rationis ordinem naturalem conservari, jubentis perturbari vetantis; quo in dictamine lex naturalis agnoscitur.

II. Lex Divina positiva etiam aliquo modo dici potest derivare ab aeterna lege, quatenus ratio divinae sapientiae, ut superius ex D. Thoma explicavimus, est veluti lex justitiae, secundum quam voluntas Divina positivas leges constituens justa, et recta est.

III. Leges humanas ab aeterna lege derivare scripturae, ac patres testantur. Proverb. 8. *Per me reges regnant, et legum conditores justa decernunt.* Apost. ad Rom. 13. *Non est potestas, nisi a Deo . . . . . itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.* August. lib. 1. de lib. arb. c. 6. *Simul etiam te videre arbitror in illa temporali* (lege) *nihil esse justum, atque legitimum, quod non ex hac aeterna sibi homines derivarint.*

Triplici vero ratione docent theologi humanas leges ab aeterna derivare. 1. A caussa exemplari. Quod quale sit ex dictis facile intelligi potest. Sanctio enim illa aeternae legis, qua justum est, ut omnia sint ordinatissima, speculum est veluti, et exemplar legum omnium per homines ferendarum; quippe in id spectare debet omnis legis constitutio, ut congruens in rebus humanis ordo constabiliatur, sine quo ad finem humanae societati propositum perveniri nequit. Quod luculenter explicat S. Augustinus lib. de ver. Relig. c. 31. *Conditor legum temporalium, si vir bonus est, et sapiens illam ipsam consulit aeternam, de qua nulli animae judicare datum est, ut secundum ejus incommutabiles regulas quid sit*

pro *tempore jubendum, vetandumque discernat.* Scilicet hominum mentibus impressa est incommutabilis quaedam ordinis notio, qua honesti ac turpis, justi ac injusti discrimen continetur; quam velut divinae sapientiae munus a patre luminum descendere, velut a veritatis fonte, non est dubitandum, et ex qua legis omnis ferendae pro locorum, ac temporum opportunitate modus, et ratio petenda est.

2. Profluunt leges humanae ab aeterna lege tamquam a caussa efficiente, quatenus Dei ordinatione constituta est potestas legum inter homines ferendarum. Cum enim aeterna lege, ac veritate justum sit, ut omnia sint ordinatissima, ordinata autem inter homines concordia sine legibus haud satis apte parari queat, illud quoque justum esse convincitur, ut hominum societas legibus contineatur, sitque adeo in ea publica potestas ferendarum legum.

3. Quatenus eadem lex aeterna medio lumine rationis, aut fidei probat fieri leges locorum, ac temporum conditioni accommodatas.

Et quidem sine aliqua ejus aeternae legis notione, quae suprema dei mente, ac sapientia continetur, nec legis universae naturam recte explicari, nec popularium legum, quae ex ea ducuntur, vim satis intelligi posse graviter, copioseque disputat Tullius lib. 2. de leg., e quo aliqua describere operae pretium fuerit, ut appareat, haud decere viro Theologo in his rebus negligentiorem esse, in quibus investigandis vel ipsi ethnici philosophi diligentem operam collocandam existimarunt. « Videamus, inquit, priusquam aggrediamur ad leges singulas vim naturamque legis, ne cum « referenda sint ad eam nobis omnia, labamur interdum er« rore sermonis, ignoremusque vim sermonis ejus, quo jura « nobis definienda sint . . . . Hanc igitur video sapientissi« morum fuisse sententiam, legem neque hominum ingeniis « excogitatam, neque scitum aliquod esse populorum, sed « aeternum quiddam, quod universum mundum regeret im« perandi, prohibendique sapentia. Ita principem illam le« gem, et ultimam mentem esse dicebant omnia ratione aut « cogentis, aut vetantis Dei. Ex qua illa lex, quam dii hu« mano generi dederunt, recte est laudata. Est enim ratio, « mensque sapientis ad jubendum, et ad deterrendum ido« nea » (innuit hic Tullius legem naturalem ab aeterna lege manantem. Porro non hanc tantum, sed et populorum leges

ab illa suprema vim ducere pergit explicare in hunc modum). « Sed intelligi sic oportet et haec, alia jussa, ac vetita populorum vim habere ad recte facta vocandi, et a peccatis avocandi: quae vis non modo senior est, quam aetas populorum, et civitatum, sed aequalis illius coelum, atque terras tuentis, et regentis Dei. Neque enim esse mens divina sine ratione potest, nec ratio divina non hanc vim in rectis, pravisque sanciendis habere. Nec quia nusquam erat scriptum, ut contra omnium hostium copias in ponte unus assisteret, a tergoque pontem interscindi juberet, idcirco minus Coclitem illum rem gessisse tantam ex fortitudinis lege, etque imperio putabimus. Nec si regnante Tarquinio nulla erat Romae scripta lex de stupris, idcirco non contra illam legem sempiternam Sestus Tarquinius vim Lucretiae Turcipitini filiae attulit. Erat enim ratio profecta a rerum natura, et ad recte faciendum impellens, et a delicto avocans, quae non tantum denique incipit lex esse, cum scripta est, sed tum, cum orta est: orta autem simul est cum mente divina. Quamobrem lex vera, atque princeps apta ad jubendum, et vetandum ratio est recta summi Jovis. » Hactenus Tullius, cujus testimonio patet hominem tametsi ethnica superstitione imbutum, legis aeternae, quae in Deo est, informatam aliquam notionem in animo habuisse.

CAPUT II.

De Lege naturali.

Ex notione ordinis, qua mens hominis imbuta est, oritur, ut vidimus, dictatum veluti quoddam rationis jubentis ea sectanda, quae naturae congruunt, contraria vetantis. Dictatum ejusmodi quatenus aptum est hominem in suis actibus dirigere, seu quatenus per id homo dirigi opus habet ad bonum suae naturae congruens, merito regulae, seu legis nomine donatur, quae aliunde cum ex hominis natura petatur, merito etiam naturalis dicitur. Legis hujus naturalis definitionem primo allaturi sumus; tum eam humanis mentibus revera inditam esse demonstrabimus; postremo inquiremus num mutationi cuipiam quomodocumque sit obnoxia.

PROPOSITIO I.

Lex naturalis satis apte definiri posse videtur dictatum rationis ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans: aut, aliis verbis, regula, seu ordinatio rationis ad bonum humanae naturae congruens, orta ex naturalium facultatum, et inclinationum respectu, seu relatione ad sua objecta.

Dicitur *ordinatio rationis*, quippe legis est ordinare; quocirca dictatum rationis hominem ordinans in finem naturae humanae congruentem vim legis obtinet, idque maxime ex aeternae sapientiae ordine, quo justum esse intelligimus, ut omnia sint ordinatissima. Proinde lex naturalis Deum auctorem habet, nec potest quisquam agere adversus legis naturalis praescriptum, quin simul agat adversus ordinem aeternae legis.

Dicitur *ordinatio rationis orta ex naturalium facultatum, et inclinationum hominis respectu, seu relatione ad sua objecta.*

Enim vero cum ordinis ratio ex fine sumatur, intelligendum est profecto, quem in finem spectant facultates, et propensiones, quibus homo instructus est a natura, ut intelligatur, quae sit hominis ordinata ratio agendi. Proinde in his naturalibus hominis viribus, et propensionibus enucleandis paullisper est immorandum, ut legis naturalis distinctior notio efformetur.

I. Primo itaque naturalis inest inclinatio ad se conservandum. Vi hujus inclinationis naturae hominis consentaneum esse deprehenditur, ut in rebus utendis, quas natura ipsi ad vitae, corporis, et virium incolumitatem contulit, eum modum teneat, quo hujusmodi fini consulatur: immoderationem vero, quae corpori perniciem afferre, sensus hebetare, intelligentiam obruere valet, fugiendum ut naturae ipsi contrariam, et inimicam. Vi ejusdem inclinationis illud etiam rectae rationis ordini consentaneum deprehendimus, ut vitae subsidia quisque sibi proponat velut utenda potius, quam fruenda. Etenim vitae subsidia natura sua referuntur ad usum, et siquidem divitiae incipiunt expeti propter se, infinita propemodum earum cupiditas exardescit, cui, posteaquam innu-

merabiles copias congesseris, non plus erit satisfactum, quam antea. Demum ex eadem naturali propensione sequitur illud esse naturae, et rationi consentaneum, ut homo viribus suis utatur ad justam sui defensionem, atque ad propulsandam injuriam.

II. Inest hominibus naturalis propensio ad mutuam societatem inter se colendam, quae probatur 1. Naturali hominis indigentia, qua fit, ut per se, et sine aliorum auxilio nequeat sibi sufficienter prospicere. Cum autem natura, ut ajunt, non desit in necessariis, homines instruxit ad societatem, ut mutuo sibi opitularentur. 2. Probatur ex naturali facultate rationis, et sermonis, quae ad mutuam cogitationum, officiorumque inter homines communicationem vi sua pertinet. 3. Ex naturali jucunditate, qua convictus humanus perfunditur. 4. Ex naturali desiderio aestimationis, et famae; unde etiam homines magnopere amant se ab aliis observari, ac diligi. Inest proinde homini naturalis inclinatio ad societatem, tamquam ad bonum suae naturae congruens.

III. Inest homini naturalis inclinatio ad veri studium, et investigationem; quippe naturaliter homines scire desiderant, estque ipsa ratio facultas a praecognitis adducens ad incognita. Nihil porro naturae hominis conguentius, aut magis necessarium, quam primi sui principii, et ultimi finis investigatio. Et sane naturale est, ut ex praestantissimo ordine, quem rerum universitas oculis subjicit, ad supremi moderatoris notionem aliquam animo informandam homo assurgat; quippe vi sua quaecumque ordinata sunt, ordinantis sapientiam referunt, ac testantur. Naturali quoque ratione valet homo intelligere mentem suam veri, et boni summopere cupidam nulla re creata satiari, aut expleri cumulate posse; ut proinde bonum sit rationali naturae congruentissimum, quod colendo Deo tamquam primo principio, et ultimo fine continetur. Tametsi homo suis solis viribus finem hunc, bonumque attingere nequeat, ut oportet, de quo non est hujus loci disputatio.

IV. Inest homini naturalis inclinatio ad propriae perfectionis studium; pertinet porro ad perfectionem hominis ex ordine agere, in quo situm est bonum virtutis; quare naturalis est etiam hominis inclinatio ad bonum virtutis, quod ipsum intimum est rationis bonum. Et sane praeter incom-

moda, et detrimenta, quae ex immoderatis cupiditatibus corpori obveniunt, sentit quisque paullo erectiorem animum gerit, in eo esse notam dedecoris, ac flagitii, quod homo in facultatum suarum usu praepostere se gerat, ordinem a natura praescriptum deserat, atque a propriae rationis norma desciscat; ut proinde quisque fateri cogatur vitium, quod rationis perfectionem labefactat, mentemque dedecorat, teterrimam pestem esse animorum.

Porro ex perspecta naturalium ejusmodi inclinationum vi, et ordine sponte sua fluunt propositiones quaedam universales practicae, aptae actus hominis dirigere ad bonum ipsius naturae conveniens, velut supremum numen colendum, rebus creatis moderate utendum, societatem hominum mutuis benevolentiae officiis tuendam etc. In his propositionibus practicis ad agendum ordinatis rationem inesse legis agnovit S. Thomas 1. 2. q. 90. art. 1. ad 2. Quippe sunt instar regulae, ad quam homines actus suos dirigere debent, ut bonum naturae congruens assequantur.

Actiones ejusmodi regulae, seu ordinationi rationis congruentes sunt suapte natura rectae, et justae, bonae, honestae: contrariae, pravae, malae, turpes. Enim vero I. Rectum, et justum est quidquid cum propria regula congruit. II. Quod hominem ducit ad finem naturae suae congruentem, id sane bonum est. III. Quaecumque sunt rectae rationis ordini consentanea, ea recta ipsa ratio nequit non approbare, et praemio, ac laude digna ducere. Sed illud ipsum est quod honestum dicimus. Igitur actiones, quae sunt recto rationis ordini consentaneae, simul etiam suapte natura sunt honestae, contrariae turpes. Illud quoque intelligitur in idem recidere, quod aliquid dicatur suapte natura honestum, vel turpe, aut quod dicatur legi naturali congruere, vel repugnare. Nam aliquod suapte natura honestum, vel turpe dicitur, quatenus vi sua cum ordine rectae rationis congruit, aut repugnat; seu quatenus congruit, aut repugnat legi naturali.

PROPOSITIO II.

Agnoscenda est omnino lex naturalis hominum menti impressa.

Prob. primo. Est in hominibus ordinatio rationis in bonum naturae humanae congruens, eademque profecta ex naturali ordine facultatum, et inclinationum hominis. Atqui hujusmodi ordinatio rationis in bonum commune, utpote quae ortum ducit ex ordine divinae sapientiae, vim habet legis; aliunde haec ordinatio quatenus naturalibus principiis innixa, naturalis est. Igitur revera existit in hominibus lex naturalis.

Neque hic ullam quaestionem movere opus est de ideis innatis, sive enim sint ideae innatae, sive non sint, certum est naturaliter in homine vigere facultatem agnoscendi nexum illum, et ordinem rerum: quo nituntur prima principia sive speculativa, sive practica. Sic nemo est, qui totum ad partem referens non agnoscat totum esse majus sua parte. Sic nemo est pariter, qui non facile sentiat supremi numinis majestatem adorandam, vitam non ex cupiditatum impetu, sed ex moderato rationis consilio transigendam, ordinatam inter homines concordiam discordiae praeponendam etc.

Prob. secundo. Sacrarum literarum auctoritate. Apost. ad rom. 2. *Cum gentes, quae legem non habent* (scriptam videlicet) *naturaliter ea, quae legis sunt faciunt, ejusmodi legem non habentes ipsi sibi sunt lex: qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, et inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus.* Opus legis recte scriptum in cordibus intelligitur naturali eo rationis lumine, quo potis est homo justum ab iniquo, honestum a turpi secernere; quod conscientiae judicium velut lumen vultus Dei signatum super nos agnoscere debemus.

Hanc eamdem legem naturalem cordibus nostris insculptam summa consensione agnoverunt SS. Patres, ut proinde haud necessarium sit in re minime dubia eorum auctoritates proferre.

Prob. tertio. Universali hominum consensu. Nulla gens est tam fera, et barbara, quae non aliquod faciat justorum, in-

justorumve discrimen; nulla natio, quae non superbos, non ingratos, non perfidos oderit, ac detestetur. Porro ipsum justi, injustive discrimen aliquam regulam requirit, ad quam actiones humanae prout aut consentaneae, aut repugnantes comperiuntur, honestae, vel turpes, laude, ac praemio, vel vituperatione, ac poena dignae judicentur. Haec regula mentibus hominum impressa ea est, quam legem naturalem dicimus.

Objici contra potest legem naturalem, utpote quae in dictato propriae rationis consistit, non posse vim habere legis, secus sibi quis posset legem dicere; quod repugnat.

Resp. Dictatum rationis practicae, quo lex naturalis continetur ex aeterna lege manare; unde vis obligandi, quam habet lex naturalis, revera pendet ex illo divinae sapientiae ordine, quo justum est, ut omnia sint ordinatissima. Ceterum si quis poneretur Dei existentiam ignorare, nihilo secius lege naturali obligaretur, nam obligatio statim esse concipitur, atque habetur libertatis restrictio ex recta ratione profecta: quippe nusquam licere potest contra rectam rationem agere. Licet ergo lex naturalis vim obligandi ab aeterna lege reapse accipiat, tamen eam vim exerit etiam in eos, qui Deum ignorare ponerentur, eo vel maxime quod invincibilem ignorantiam Dei in eo, qui suae sit rationis compos, nullam praestantissimi doctores agnoscunt. Quamobrem quisquis naturam rationalem, et rectam rationem offendit, simul peccare adversus Deum censendus est, a quo lex naturalis profluit, ut constat ex prop. 2. damnata ab Alexandro VIII, qua inductum discrimen inter peccatum morale, seu philosophicum, et peccatum theologicum reprobatam est. « Peccatum philosophicum, seu morale est actus humanus « disconveniens naturae rationali, et rectae rationi: theo« logicum vero, et mortale est transgessio libera divinae « legis. Philosophicum quamtumvis grave in illo, qui Deum « vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave « peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum « mortale dissolvens amicitiam Dei, neque aeterna poena di« gnum.

CAPUT. III.

De fine, ac varietate praeceptorum legis naturae.

Rectissime legi naturali accommodari potest, ut vidimus, illa Augustini definitio, qua dicitur ratio, vel voluntas Dei ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans. Nam, ut animadvertunt graves theologi, spectari lex potest vel in eo, qui legem fert, vel in eo, qui legem accipit. Ratio illa, vel voluntas Dei, prout in Deo spectatur, lex aeterna est; prout vero mentibus hominum naturali cognitione imprimitur, lex est naturalis.

Jam vero cum ex ordinis conservatione pax et tranquillitas, ex perturbatione rixae, inimicitiae, caedes, innumera flagitia prodeant, patet homini bonum esse ordinem naturalem servari, malum perturbari; merito proinde S. Thomas unum universalissimum legis naturalis principium constituit, nimirum: *Bonum prosequendum, malum fugiendum.* Ex hoc reliqua ducuntur praecepta, quae diversa sunt, prout diversa sunt bona, quae secundum naturalem inclinationem ratio apprehendit ut prosequenda, et contraria ut fugienda. Quare, inquit S. Doctor. 1. 2. q. 94. art, 2., secundum ordinem inclinationum naturalium, est ordo praeceptorum legis naturae. De hoc inclinationum naturalium ordine ad sua objecta pauca supra memoravimus, ex quibus sponte sua manant leges temperantiae, fortitudinis, justitiae, prudentiae, tum etiam multiplex officiorum ratio erga Deum, erga seipsum, et proximum,

Omnes porro naturales propensiones ad amorem referuntur. Ex quo sequitur in amore ordinato omnia legis naturae praecepta, omniumque virtutum officia comprehendi. Quod etiam ex eo comprobari potest, quod ait Apostolus: *Finis praecepti charitas.* Amore iste ordinatus duobus illis magnis mandatis continetur, quibus jubetur quisque Deum diligere super omnia, et proximum sicut seipsum.

Postulat itaque ordo amoris I. Ut Deus summe, et super omnia diligatur. II. Ut quisque seipsum amando, seipsum quoque in Deum ordinare studeat, in hoc enim verum hominis bonum situm est, ut proinde seipsum nec vere, nec

recte diligat, quisquis hoc tantum bonum comparare sibi negligit. III. Ut publicum humanae societatis bonum, ubi necesse sit, bono privato anteferatur, quippe id supremae sapientiae ordini consentaneum esse recta ratio facile persuadet, simulque ostendit bonum virtutis, quod hoc pacto nobis acquirimus, ac tuemur, longe sane praestantius, ac potius esse quibuscumque privatis commodis, quae publico bono postponimus. IV. Ut instante necessitate bona proximi, quae superioris ordinis sunt, bonis nostris inferioris ordinis praeferantur. V. Ut in dilectione proximo exhibenda ratio habeatur propinquitatis, dignitatis, grati animi, proximique necessitatis.

Hinc nonnullae regulae ducuntur non minime momenti sive ad pleniorem legis naturalis notitiam assequendam, sive ad ejus praecepta diversis humanae vitae officiis pro multiplici rerum conditione rite, ut par est, accommodanda.

I. Officia omnia, sine quibus rectus ille ordo hominis erga Deum, erga seipsum, et proximum consistere nequit, lege naturali omnino praecipiuntur.

II. Actus omnes, quibus rectus ille ordo convellitur, ac pervertitur, lege naturali prorsus vetantur.

III. Sunt porro quidam actus, qui vi sua, et citra quamcumque conditionem adjunctam rectum illum ordinem labefactant, a quibus proinde improbitas, ac turpitudo abesse nusquam potest. Talis est quaecumque impietas in Deum, calumnia, vel falsum testimonium adversus proximum, voluptatis corporeae propter seipsam intemperans appetitio.

IV. Alia sunt in quibus pravitas, ac turpitudo enascitur ex aliqua circumstantia, seu conditione, vel qualitate, quae *materiali*, ut vocant, objecto actionis adhaeret; tumque si talis conditio, seu qualitas a subjecta materia separari potest, actus in sese, et ratione materiae dumtaxat spectatur, turpitudinem suam exuere poterit: sic in homicidio *materiale*, ut vocant: actionis est occisio hominis: pravitas porro homicidii non ex ipsa hominis occisione solitarie, ac materialiter accepta enascitur, verum ex conditione adjuncta, nempe quod sit occisio injuriosa, quae conditio cum aliquando ab hominis occisione separari queat, fit interdum, ut hominis occisio homicidii pravitatem non habeat, ut patet in bello justo, ac necessario.

V. Sunt porro etiam aliqua, in quibus congruentia, vel

repugnantia cum recto rationis ordine nititur aliquo facto antecedente, quo posito actus novam conditionem, seu qualitatem induit, vi cujus rationis ordini congruere, aut eidem repugnare intelligitur. Sic furti pravitas in eo sita est quod res, quae dominum habet, invito domino auferatur. Quod autem ea res dominum habeat, id ex facto aliquo antecedente pendet, nimirum ex inducta dominiorum divisione, et modis, quibus dominium comparatur. Jam fieri potest, ut novo facto interveniente, res, quae dominum habebat, dominum habere desinat, tumque ablatio ejus rei utpote non amplius alienae furtum esse desinet, nec ordini rationis repugnare amplius intelligetur.

VI. Ut dilectioni ordinatae Dei, sui, et proximi consulatur, delectus aliquis in humanae vitae officiis habendus est. Accidit enim interdum, ut plura concurrant officia, quae tamen uno, eodemque tempore impleri nequeunt. Sic officium est ex naturali sui dilectione profectu, ne quis vitam suam certo discrimini perperam committat. Simul tamen evenire potest, ut sine propriae vitae discrimine proximi vita servari nequeat: tumque interdum laudabiliter possumus, et aliquando etiam debemus animam pro aliis ponere. In hoc enim elucet maxime ordo amoris, ut bonum publicum bono privato, bonum virtutis bonis temporalibus praeferatur. Similiter officium est ejus, qui civitati praeest, civium incolumitati prospicere. Cum vero nefarius civis ex legis praescripto neci addicitur, non malum ejus civis intenditur, sed reliquorum civium saluti unius improbi damnatione consulitur.

Illud insuper animadvertendum ex praecepti legis naturalis alia se habere velut prima principia, alia velut proximiora consectaria, alia ut consectaria remotiora.

Primaria principia sunt propositiones universales practicae communi hominum intelligentiae sic accommodatae, ut earum veritas cuilibet vel mediocriter attendenti ultro pateat: cujusmodi sunt Deum adorandum, parentes honorandos, non alteri faciendum, quo sibi quis nolit fieri.

Alia praecepta se habent velut consectaria proxime ducta ex illis principiis, velut ex eo, quod sensu intimo cuique notum est, non esse alteri faciendum, quod sibi quis nolit fieri, proclive est colligere non occidendum, non falsum testimonium dicendum, non furandum.

Alia se habent quasi consectaria remotiora, velut cum

principio: *Suum cuique tribuendum*, colligitur neque a divite pecuniam ad quaestum mutuante vi mutui lucrum aliquod quaeri posse.

Prima juris naturalis principia, proximiorave consectaria invincibiliter ignorari non posse ab homine, qui suae sit rationis compos, constans est doctorum sententia. Utrum vero quoad remotiora insuperabilis ignorantia locum habere quandoque valeat, non perinde omnes consentiunt. Plurimi censent haud repugnare, rudiores praesertim homines ignorantia ejusmodi saltem pro aliquo tempore laborare. Et quidem si solae vires hominis naturales spectentur, res extra omnem dubitationem posita videtur. Nam fieri non potest, ut in obscuris perplexis, ambiguis quaestionibus pertractandis, ac dijudicandis homo nulla disserendi arte praeditus diu, multumque sine errore ullo progrediatur. Ars porro disserendi cum notitiam dialecticarum praeceptionum, tum assiduam exercitationem postulat; quibus praesidiis rudiores carere videmus, ut proinde minime mirum videri debeat ejusmodi homines ea invincibiliter ignorare, de quibus doctissimi viri dissentiunt.

Si vero spectentur gratiae auxilia, quae homines implorare debent, quaeque rite petentibus Deus non negat, sed dat omnibus affluenter, paullo forte difficilius intellectu evadit, quomodo citra culpam careat homo eo gratiae auxilio, quo sufficienter ejus infirmitati succurratur, ne in agendo errore aliquo adversus legis naturalis praecepta offendat. Neque enim par ratio esse videtur de praeceptis mere positivis: nam in his, quae lege dumtaxat positiva prohibentur, nihil est, quod suapte natura, et ex objecto legi aeternae, atque ordini divinae sapientiae repugnet. In his vero, quae legi naturali adversantur, etiam posita ignorantia invincibili actus ipse *materialiter*, ut vocant, spectatus ipsum rectae rationis ordinem labefactat, divinaeque sapientiae ordini, ac legi aeternae directe repugnat.

Atque haec sunt utriusque partis momenta in hac controversia, quam dirimendam minime suscipimus. Equidem Antoinius refert ex privati doctoris fide articulum Romae proscriptum fuisse anno 1685. tom. 1. pag. 333 edit. Rom. an. 1764. Tract. *de peccatis*, quo dicebatur: *Nullam admittimus ignorantiam invincibilem juris naturae in ullo homine, dum hic, et nunc contraria naturae agit.*

Verum privatum illum scriptorem in eo deceptum fuisse tradit auctor notae ad eum locum adjectae, quae consuli poterit.

Duo velut omnino certa proponemus. I. Si detur invincibilis ignorantia juris naturae, hanc prorsus excusare a culpa operantem ex ea, ut constat ex propositione damnata ab Alexandro VIII. II. Ut ignorantia juris naturae invincibilis, adeoque imputabilis sit, haud satis esse quod in culpa primi parentis volita fuisse censeatur. Quippe ad actualem culpam actualis voluntatis motus requiritur, qui saltem aliquando praecesserit, proinde culpabilis ignorantia censeri minime debet, nisi inquirendi negligentia propriae ignorantis voluntati adscribi queat.

Denique animadvertendum juris naturalis praecepta propositionibus universalibus enunciari, velut: *Honeste vivendum, neminem laedendum, suum cuique tribuendum, non occidendum, non falsum testimonium dicendum. etc.* Inter has propositiones aliquod tamen discrimen intercedit, nam aliae nullam prorsus exceptionem patiuntur, velut istae: *Honeste vivendum, non falsum testimonium dicendum.* Aliae tametsi universaliter enuncientur, nihilominus, si verba dumtaxat inspicias, exceptionem quandoque admittunt; velut ista: *Non occidendum* Neque enim hoc legis naturalis praecepto prohibetur occisio, quae fit auctoritate legitima propter publicum bonum. Pariter cum universaliter enunciatur: *Suum cuique tribuendum*, non propterea intelligimus reddenda esse arma homini ad suam, vel aliorum perniciem ea reposcenti.

Discriminis ratio facile intelligi potest ex dictis. Scilicet quoties actus vi sua, et citra ullam conditionem adjunctam repugnat ordini rationis, vel dilectioni Dei, et proximi, ad quam sive justitiae, sive aliarum virtutum praecepta, et officia referuntur, tum lex universalis prohibens nullam exceptionem patitur, ut patet allatis exemplis: *Non falsum testimonium dicendum, non pejureiurandum etc.* Pariter quoties actus vi sua, et intima substantia ita cohaeret cum ordine rationis, ut contrarium eidem omnino semperque repugnet; tum etiam lex universalis jubens nullam admitti exceptionem, ut patet his exemplis: *Deum adorandum, honeste vivendum.* Illudque solum discrimen remanet inter legem jubentem, et legem vetantem, quod haec utpote negans ad omne tempus, et pro omni puncto temporis obliget, nullo enim articulo l-

cere potest quod vi sua turpe sit. Lex vero jubens ad omne quidem tempus obliget, sed non in singula momenta. Etenim cum permulta sint vitae humanae officia, fieri non potest, ut omnibus simul continenter homines fungantur, sed sunt singula congruo tempore, ac loco exercenda. Itaque semper verum est Deum esse adorandum, idque praeceptum proinde nullam exceptionem patitur, sed tantum intermissionem aliquam, quatenus non tenetur homo singulis momentis adorationis actum elicere. Ratio vero, cur exceptionem non patiatur, est quia contrarium vi sua ordini rationis, ac legi aeternae perpetuo repugnat.

Universalis vero enunciatio exceptionem admittet duplici potissimum ex capite 1. Cum actus pravitas oritur ex adventitia conditione, seu qualitate, quae ab ipsa, ut ajunt, substantia actus divelli potest. Sic pravitas homicidii non ex ipsa mera occisione sumitur, sed ex occisione, quatenus injuriosa est. Quare generalis enunciatio: *Non occidendum*, intelligenda est de quacumque occisione injuriosa, non de occisione, quae fit publica auctoritate ob publicum bonum, vel a privato in vitae defensionem cum moderamine inculpatae tutelae. 3. Cum evenit, ut obligatio, quae oriretur ex principio minus universali, pugnet cum principio universaliore, vel altioris ordinis. Exemp. grat. ex principio: *Suum cuique tribuendum*, primo aspectu erui posse videtur gladium esse reddendum domino reposcenti etiam ira percito. At cuique facile patebit, si gladius eo tempore domino redderetur, futurum, ut violaretur principium universalius, ex quo illud primum ducitur, scilicet: *Neminem laedendum*. Principium ergo inferius pro eo casu exceptionem admittet vi altioris principii, quod laederetur, si eo loco, ac tempore res sua domino reposcenti redderetur. Idem propter eamdem rationem locum habet in conflictu officiorum. Sane officium est aes alienum solvere, cum solvi potest. Sed si evenit, ut quis nequeat alienum pro aliquo tempore dissolvere, quin patrem deserat extrema necessitate laborantem, tum fit conflictus inter officium solvendi debiti, et officium opitulandi patri; quo in conflictu rectus ordo postulat, ut vita patris anteponatur juri, quod habet creditor, debiti pro eo tempore repetendi: siquidem bonum est altioris ordinis vita parentis, quam pecunia proximi.

CAPUT IV.

Utrum lex naturalis mutationi cuipiam obnoxia esse queat.

Multiplici ratione lex mutari dicitur. 1. Adjectione, cum ei nova lex superadditur. 2. Detractione, cum nimirum aliquid de ipsa lege detrahitur, quod multipliciter accidit; per abrogationem, cum lex penitus aboletur; per derogationem, cum tollitur ex parte; per irritationem, cum impeditur, ne vim suam exerat; per dispensationem, cum; manente lege, privati eidem subjecti ejus servandae obligatione levantur. Denique aliqua etiam suboriri mutatio posse intelligitur per interpretationem, quae, quoad praesens institutum pertinet, duplex distinguitur; una simplex, seu scholastica; quae mera est legis explanatio ad ejus intelligentiam rudibus aperiendam; altera, quae dicitur per Epikeiam, cum lex generalibus verbis prolata in eum casum incidit, quo propter peculiares circumstantias, quas legislator praecavere non potuit, sine aliquo malo servari nequit, adeo ut verba ipsa, quibus lex continetur, sint coercenda, et ad mentem ipsius legislatoris interpretanda.

PROPOSITIO I.

Haud repugnat legi naturali alias leges superaddi sive Divinas, sive humanas: haec tamen non est vera et proprie dicta mutatio.

Etenim praeter ea, quae lege naturali jubentur, vel vetantur, multa utiliter praecipi possunt; aut prohiberi. 1. Ad legem naturalem determinandam. Sic praeceptum naturale de Deo colendo determinatur per peculiaria praecepta ad religionis virtutem pertinentia. 2. Ad humanam societatem certo quodam ordine constituendam. Sic jure gentium inducta est dominiorum divisio. 3. Ad praecavenda incommoda, quae ex hominum pravitate orirentur, si cuique libera essent quae caeteroquin lege naturae permittuntur, velut arma noctu gestare, et alia ejusmodi.

Facile est autem animadvertere ejusmodi accessionibus le-

gem naturalem nullo pacto mutari. Et sane lex naturalis minime vetat aliqua juberi, vel prohiberi, quae ipsa nec jubet, nec prohibet, unde cum illa jubentur, aut vetantur, lex ipsa naturalis manet quae erat. Mutatio propterea, quae supervenit, fieri quidem dici potest in statu hominum naturali, non in ipsa lege naturae.

PROPOSITIO II.

Lex naturalis ratione sui nullam proprie dictam mutationem pati potest: mutari tamen interdum potest materia legi naturali subjecta.

Enim vero quidquid lex naturalis praecipit, aut vetat, illud idem recta ratio praecipit, ac vetat; adeo ut fieri, vel omitti nequeat, quod lege naturali jubetur, vel prohibetur, quin factum, vel omissio rectae rationis ordini repugnet. Jam fieri nequit, aliquando liceat, quod rectae rationis ordini adversatur; nusquam ergo fieri potest, ut liceat, vel honestum evadat, quod lex naturalis vetat, aut ut non bonum sit, quod lege naturali praecipitur. Lex ergo naturalis ratione sui prorsus immutabilis est.

Mutari tamen interdum potest materia legi naturali subjecta, quod quemadmodum fiat probe intelligendum est: res autem in exemplo posita illustrior evadet. Extat lex naturalis jubens aes alienum persolvere; hujus legis materia est aes alienum; lex ratione sui est plane immutabilis, quippe semper verum est aes alienum in debitis curcumstantiis esse persolvendum: mutari tamen potest materia ei legi subjecta, quia effici potest, ut quod erat aes alienum, novis caussis accedentibus desinat esse alienum. Itaque cum ille, qui debet, condonato debito creditoris liberalitate, restituendi onere liberatur; tum nulla fit in ipsa restituendi lege mutatio, sed solum in materia ei legi subjecta; non, inquam, mutatur lex; nam semper perstat restituendum esse quod debetur; mutatur tamen materia legis, quia quod debebatur, non amplius debetur: quocirca aes, quod solvendum erat lege restitutionis, quamdiu alienum erat, postquam desinit esse alienum, non amplius materia est ejus legis, nec ea comprehenditur, desinitque proinde restituendi obligatio non mutatione legis restituendi, sed mutatione materiae, seu rei, quae,

cum non amplius aliena sit, nec amplius est ei legi obnoxia.

Sic etiam lex naturalis vetans homicidium non mutatur, dum hostis in bello justo publica auctoritate occiditur. Nam praeceptum: *Non occides* tametsi generalibus verbis enunciatum non omnem prorsus occisionem vetat, sed cum adjecta conditione, scilicet quod occisio sit injuriosa, seu injusta. Quamobrem quoties accidit, ut ratio injuriae ab occisione divellatur, tum actus occisionis mutatione materiae non amplius comprehenditur lege naturali vetante homicidium. Quocirca exceptio non proprie cadit in legem ipsam, sed in actum, qui tamquam materia legi subjicitur.

Pariter cum impuberis filii votum a patre irritatur, nihil decedit de obligatione legis naturalis jubentis, ut quae vere vota sunt, solvantur. Cum autem impuberis filii voluntas voluntati patris obnoxia sit, ita demum impuberis votum consistere posse intelligitur, nisi pater contradixerit. Quare patre contradicente votum non consistit, mutatio proinde non in legem cadit, sed in materiam legi subjectam.

Atque ad totius rei planiorem intelligentiam recolendum est alia esse praecepta naturalia, quae versantur circa pacta, obligationes, et jura, quae humano facto inducuntur; qualis est lex naturalis de promissis servandis; alia porro esse praecepta naturalia, quae proxime spectant actus nonnullos, quorum honestas, vel turpitudo non ex praecedente aliquo facto exsurgit, sed ipsimet materiae actionis prorsus inhaeret. In hujus secundi generis praeceptis nulla mutatio fieri potest non solum ratione sui, sed nec ratione materiae, ut patet in perjurio, vel falso testimonio, nam sine ullo antecedente facto turpitudo moralis per sese inest in ipso perjurii actu; unde nulla in ejusmodi actu mutatio contingere potest, vi cujus voluntaria divini nominis assumptio ad falsum confirmandum non sit perjurium lege naturae vetitum.

At vero in primi generis praeceptis facile intelligitur, quemadmodum mutatio contingat: sic ex promissione, quae factum est humanum, consurgit obligatio promissi servandi; et haec obligatio legis naturalis est: nihil enim tam consonum aequitati, quam ut fides data servetur. Atque haec obligatio tamdiu permanet, quamdiu viget, ac durat jus ejus, cui promissum est. Cum autem ejusmodi vinculum ex facto

humano nexum sit, scilicet ex mutuo partium consensu, nil vetat eum, cui jus quaesitum est ex promissione, obstrictum sibi promittentem omni onere liberare; tumque desinet obligatio servandi promissi, non quod mutata fuerit lex naturalis jubens jus suum unicuique tribuere, sed quia jus ortum ex voluntate acceptantis, ejusdem voluntate jus esse desiit.

Hinc facile intelligitur legem naturalem neque per abrogationem, neque per derogationem aboleri, aut ulla ex parte imminui posse. Siquidem nulla ratione fieri potest, ut non nefas sit, quod rectae rationi repugnet. Superest videndum, an interpretationi, aut dispensationi saltem sit lex naturalis obnoxia.

PROPOSITIO III.

In legem naturalem cadere potest interpretatio simplex, seu didascalica, minime vero quae dicitur per Epicheiam.

Enim vero cum legis naturalis praecepta non omnia aeque omnibus nota sint, et explorata, multis in rebus aliqua doctorum, ac prudentum hominum explicatio accedat oportet, qua illustrentur, eorumdemque rectam, et sanam intelligentiam, praesertim qui rudiores sunt, assequantur.

Non tamen in legem naturalem cadit id interpretationis genus, quod Epicheiae nomine significatur. Nam Epicheia ex D. Th. 2: 2. q. 120. art. 1. ex eo ducit originem, quod propter multiplices eventus, quos singulos legislator nec praecavere, nec etiam praevidere potuit, interdum ipsa lex, si servaretur, impingeret in aequalitatem justitiae, aut in bonum commune, quod tamen lex intendit; quare moderatione aliqua in his casibus indiget.

Nil porro tale de lege naturali suspicari fas est, quam ex ordine divinae sapientiae haustam animo gerimus. Et sane cum haec in rectae rationis praescripto consistat, patet fieri non posse, ut quod ipsa recta ratio praescribit, illud idem cum aequitate, et publici boni conservatione pugnet: hinc quo casu depositum non est v. gr. furioso reddendum, non emendatur lex naturalis de justitia erga proximum servanda, quin potius pro circumstantiarum commutatione depositi

redditio, utpote quae noxia evaderet, non amplius justa esset, ipsique potius rectae rationis praescripto, legique naturali adversaretur.

Jam ut de dispensatione dicamus, notandum est in eo sitam esse vim dispensationis, de qua plenius, et accuratius suo loco dicetur, ut quis lege vigente ab ejus servandae obligatione legislatoris auctoritate, ac venia eximatur. Velut si lex vigeat, ne quis per urbem arma gestet, et uni civi concedat legislator arma gestare, cum eo cive in ea lege dispensatum esse intelligemus. Quaeritur autem utrum vel Deus ipse in lege naturali dispensare queat. Qua de re triplex potissimum sententia circumfertur. Prima quae Ochamo tribuitur, vult omnia legis naturalis praecepta Dei suprema potestate relaxari posse. Quae opinio, si vera foret, sequeretur vel ipsum Dei odium Divina relaxatione legitimum, et honestum evedere posse. Sed profecto haec duo evidentissima sunt, nec Deum fieri unquam posse odio dignum, nec unquam honestum evadere posse, ut odio habeatur summa bonitas, quae nusquam odio digna esse queat.

Alii censent nullam relaxationi locum esse in praeceptis primae tabulae, sed tantum in praeceptis secundae tabulae; quod illa directe in Deum spectent, ista in proximum. Verum haud satis apte haec inducta distinctio videtur. Nam praecepta, quae in proximum referuntur, nihilominus ordinem habent in Deum velut ultimum finem. Siquidem ex mandato primo Dei super omnia diligendi manat secundum simile huic diligendi proximum sicut se ipsum.

Tertia sententia est S. Thomae docentis nullam in quibuscumque legis naturalis praeceptis proprie dictam dispensationem fieri posse.

PROPOSITIO IV.

Nulla sunt praecepta legis naturalis, in quibus vel divina auctoritate dispensatio proprie dicta locum habere queat.

Enim vero dispensare in lege naturali nihil est aliud, quam veniam cuipiam concedere, ut sine peccato faciat quod lege naturali prohibetur. Sed hoc plane repugnat. Cum enim lex naturalis dictatum sit rectae rationis consentaneum ordini le-

gis aeternae, idem est facere sine peccato quod lege naturali prohibetur, atque facere sine peccato quidpiam, quod rectae rationis praescripto, et legis aeternae ordini adversetur. Verum hoc plane repugnat. Siquidem peccati natura in hoc posita est, quod sit contra legem aeternam. Praeterea si cuipiam Deus veniam concederet alicujus rei faciendae, quae lege naturali vetita sit, jam illud factum simul esset ex recta ratione, utpote a Deo concessum, et simul contra rectam rationem; quippe quod lege naturali prohibetur, illud ipsum est, quod rectae rationis, ac legis aeternae ordini adversatur.

Hinc patet falsa hypothesi niti opinionem Ochami putantis ea, quae naturali legi adversantur, idcirco tantum mala esse, quia libera Dei voluntate vetita; quod secus est. Nam quae legi naturali adversantur, hoc ipso repugnant legi aeternae, seu ordini divinae sapientiae. Porro Deus, teste apostolo 2. ad Timoth. 2., *Negare se ipsum non potest: Negaret autem se ipsum*, inquit S. Thomas q. 100. art 8. ad 2., *si ordinem suae justitiae auferret, cum ipse sit ipsa sua justitia. Et ideo in hoc Deus dispensare non potest, ut homini liceat non ordinate se habere ad Deum, vel non subdi ordini justitiae ejus, etiam in his secundum quae homines ad invicem ordinantur.* Fieri ergo non potest, ut non sit malum quidquid ordini divinae sapientiae, adeoque ipsi legi naturali repugnat. Equidem non diffitemur mendacium, perjurium, odium Dei mala esse, quia naturali lege sunt prohibita, sed ex hoc non sequitur haec eadem non esse suapte natura mala; imo unum et idem est, ut superius dictum est, aliquid esse suapte natura malum, et lege naturali vetitum: nam quidquid ordini Divinae sapientiae repugnat, est suapte natura malum, utpote incommutabili bono adversum, et simul naturali lege vetitum, quae ex eodem sapientiae ordine profluit.

Multa opponuntur exempla e sacris literis petita, quibus constare videtur saepe a Deo legis naturalis vinculum relaxatum fuisse. 1. Naaman Syro venia facta est, ut rege idolum adorante simul ipse adoraret, 4. reg. cap. 5. 2. Deus in homicidio cum Abraham dispensavit, ut filium innocentem occideret; tum etiam cum Samsone, ut seipsum interimeret. 3. Vinculum etiam naturalis legis relaxavit, cum Oseam jussit meretricem assumere, ex eademque fornicationis filios pro-

creare. 4. Veteribus patriarchis plurium ducendarum uxorem facultatem fecit. 5. Indissolubile conjugii vinculum relaxavit, dum judaeis libellum repudii permisit. 6. Dispensavit in furto, cum Israelitis indulsit, ut vasa aegyptiorum asportarent. 7. Israelitis quoque concessit, ut ab alienigenis usuras exigerent. 8. In mendacio quoque Deum dispensasse colligitur ex eo, quod obstetrices aegyptias mendacii officiosi causa remuneratus sit.

Verum nullum memoratis locis proprie dictae dispensationis exemplum contineri respondemus.

I. Naaman syro Elisaeus indulsit, ut cum rege idolum adorante, ipse incurvaret sese, non in cultum idoli, quippe qui palam cultum supremi numinis professus erat, sed ut suo sustendandi regis munere fungeretur, quae communior est loci ejus interpretatio.

II. Ex dictis satis patet mutatam fuisse praecepti materiam, non in praecepto dispensatum, cum Deus jussit Abraham filium suum immolare. Quippe Deus vitae, ac necis dominus, cum juberet hominem occidi, non erat injuriosa, nec privata auctoritate illata occisio, nec proinde praecepto: *Non occides* comprehendebatur. Sic etiam de Samson Augustinus contra Gaudentium lib. 1. *Aliud vobis non est fas credere, nisi quia spiritus latenter hoc jusserat, qui per illum miracula faciebat.* Absit autem, ut lege nova, qua Deus per catholicam doctrinam ecclesiae traditam fideles docet ea, quae ad aeternam salutem pertinent, quisquam putet se privato spiritu ad quemquam occidendum destinari. Nil sane tam adversum auctoritati, et constantiae dogmatum ecclesiae catholicae, quam illa privati spiritus praesumptio, quae quoties impellit ad ea gerenda, quae repugnant communibus regulis morum scriptura, et traditione comprobatis, manifestam vanitatis, ac lymphatici erroris notam praesefert.

III. *Oseas*, inquit S. Thomas qu. 100. art. 8. *accedens ad uxorem fornicariam, vel mulierem adulteram, non est maechatus, vel fornicatus, quia accessit ad eam, quae sua erat secundum mandatum Dei, qui est auctor institutionis matrimonii.* Unde Hieronymus: *Non culpandus propheta si meretricem converterit ad pudicitiam, sed potius laudandus, quod ex mala bonum fecerit.* Quod vero additur: *Et fac tibi filios fornicationum*, auctore eodem Hieronymo: *Utrumque potest intelligi quod et fornicariae priores de fornica-*

tione suscipiat filios, *et ipse ex meretrice generet filios*, *qui idcirco fornicationis appellandi sunt filii*, *quod sint de meretrice generati*. Minime ergo fornicatio legi naturali prohibita (seu accessus ad non suam) Oseae permissa est.

IV. Quod attinet ad polygamiam veteribus concessam sic respondet vir moralibus institutionibus notissimus. Ant. de leg. sect. 1. q. 2. « Uxorum pluralitas non est contra jus naturale, posita concessione divina. Nam non repugnat absolute fini primario conjugii, qui est prolis susceptio, et educatio: sed tantum adversatur et paci familiae, et difficiliorem reddit bonam liberorum educationem, quibus incommodis Deus facile auxiliis gratiae prospicere potest. Polygamia quidem ponit inaequalitatem juris, ac dominii corporum. Sed hanc injustitiam tollit, seu impedit Deus mariti corporis dominium in plures uxores dividendo, quibus proinde jam non fit injuria, cum Deus sit supremus omnium creaturarum, et jurium illarum Dominus. Porro Deus uxorum pluralitatem patriarchis concessit ad majorem fidelis populi, ex quo Christus nasciturus, et verus Dei cultus in caeteras gentes propagandus erat, multiplicationem. » Quae quidem satis consentanea videntur doctrinae D. Th. in 4. dist. 33. qu. 1. art. 1., et aliunde sufficiunt ad praesens nostrum institutum.

Quoad nexum indissolubilem matrimonii postulat quidem lex naturae, ut jus mutuum, et vinculum inter virum, et uxorem mutuo eorumdem consensu partum, et firmatum humana contrahentium voluntate dissolvi nequeat. Quippe inde incredibilis perturbatio in statum familiae proli cum suscipiendae, tum educandae infensissima oritur. Est ergo lege naturae perpetuum matrimonii vinculum, quatenus ex mutuo contrahentium consensu nectitur, ac pendet. Verum quis dubitet, quin possit Deus infirmare quidquid juris inter conjuges mutuo eorum consensu exoritur? Quo jure sublato Dei auctoritate, vel auctoritate a Deo profecta, nil jam legi naturali repugnans apparet in concessione libelli repudii. Quamquam etiam multi existimant libello repudii toleratam, non approbatam fuisse uxorum dimissionem, adeo ut qui uxorem dimitterent non culpa, sed poena dumtaxat eximerentur. Quapropter Christus Math. 19. v. 8. ait: *Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores: ab ini-*

tio autem non fuit sic. Ex qua inferunt nullam in lege factam dispensationem de uxore dimittenda, sed meram immunitatem a poena concessam esse, idque majoris mali vitandi caussa, ne videlicet uxores factae viris invisae ab eisdem occiderentur. Id porro responsum ait S. Th. in 4. dist. 33. q. 2. a 1. fuisse suo aevo communius.

Quod autem multi ajunt Deum in lege naturae cum filiis Adae dispensasse, ut valeret simul, et liceret conjugium fratris cum sorore; id solvitur duplici spectato fine conjugii, uno primario, secundario altero. Et quidem primarius finis est humani generis propagatio. In secundario vero fine id etiam recensetur, ut per conjugia necessitudo, et socialis propinquitas inter familias conservetur, atque augeatur; quemadmodum docet S. Aug. l. 15. de Civitate Dei cap. 16. Jam nascentis mundi exordio patet non potuisse satisfieri primario fini conjugii, nisi per fratrum, et sororum connubia. Cumque tum genus humanum una familia constaret, nullo pacto ea conjugia repugnabant secundario fini, quem S. Augustinus memorat. Propagato vero per dissitas familias humano genere, omnino conveniens fuit legi naturae conjugia sic inire, ut fini utrique consulatur. Accedit grave periculum libidinis excitandae inter fratres, et sorores ob familiarem consuetudinem, si ejusmodi nuptiis locus fieret; unde illas etiam velut dedecoris plenas gentes fere omnes exhorruerunt. Quare non immerito multi existimant fratrum, ac sororum conjugia legi naturali aliqua ratione repugnare, quatenus semota necessitate, qualis fuit mundi exordio, recta ratio postulat, ut finis primarius nuptiarum componatur cum aliis conditionibus, quae ex secundariis finibus petuntur: posita vero illa necessitate conjugia ejusmodi minime adversari legi naturali, utpote sine quibus finis primarius conjugii haberi non posset.

VI. Minime Deus dispensavit in praecepto de furto non faciendo. Etenim Deus rerum omnium Dominus vasa aegyptiorum ex dominio ipsorum in Israelitarum dominium transtulerat. Ex quo patet mutatam fuisse praecepti materiam, quatenus res, quae antea pertinebat ad aegyptios, desiit ad eos pertinere, factaque est Israelitarum: non autem dispensatum fuisse in praecepto, quasi licuerit israelitis rem alienam asportare, ac sibi retinere, dum aliena esset, atque ad priorem dominum vere pertineret.

VII. Neque in permissione de foenore ab alienigenis exigendo ulla se prodit dispensatio, sivi S. Ambrosii, sive S. Thomae interpretatio retineatur, qua de re plenius alio loco dicimus.

VIII. Nec demum propter mendacium Deus remuneratus est obstetrices aegyptias, sed propter benignitatem suam erga hebraeos; aliud porro fuit opus misericordiae, quo infantes servarunt, aliud mendacium, quo se postea regi excusarunt: illud, non istud praemio Deus affecit.

Praeterea opponunt ecclesiae pontifices quandoque dispensare in rebus ad jus naturae pertinentibus, velut in votis, quae servanda esse lex naturalis praecipit.

Respondemus ad legem naturalem utique pertinere, ut vota, et juramenta serventur quamdiu votum, ac juramentum consistere, ac permanere intelligitur.

Sed jam vidimus legi naturali non repugnare, ut aliquando quod antea votum validum erat, jam nullum esse incipiat, velut a patre impuberis filii votum irritatur. Neque etiam, ut antea vidimus, ullo modo legi naturali adversatur, ut quod antea solvendum erat quatenus debitum, novis causis accedentibus debitum esse desinat, nec adeo sit amplius solvendum, velut cum a creditore, vel creditoris nomine debitum legitime condonatur: pari jure facile intelligitur debitum voti, vel juramenti a Deo relaxari posse, vel auctoritate a Deo profecta, quin ulla fiat dispensatio in lege naturali, quae jubet vota reddenda, quamdiu votum ipsum ratum permanet; non autem cum mutata materia votum pridem ratum jam nullum evadit. Quare dispensationem quidem in voto fieri posse concedimus, dum voti vinculum relaxatur, minime vero in lege naturali jubent reddi votum, quod firmum, et ratum maneat.

Demum opponitur auctoritas D. Bernardi, qui lib. de praecepto, et dispens. cap. 2. triplex distinguit praecepti genus, scilicet: *Stabile*, *inviolabile*, *et incommutabile*: « Stabile dixerim, ait, quod ita est necessarium, ut non cuilibet hominum illud mutare fas sit, nisi dispensatoribus « mysteriorum Dei, idest praepositis, ut regulae S. Basilii, « Augustini, Benedicti etc. » Et cap. 3. « Necessarium, « quod inviolabile nominavi, illud intelligo, quod non ab « homine traditum, sed divinitus promulgatum, nisi a Deo, « qui tradidit, mutari omnino non patitur, ut v. g. *Non*

« *occides, non macchaberis, non furtum facies*, et reliqua illius tabulae legis scita, quae etsi nullam prorsus humanam dispensationem admittunt, dominus tamen horum quod voluit, quando voluit solvit, sive cum ab hebraeis aegyptios spoliari, sive quando Phophetam cum muliere fornicaria misceri praecepit; quorum utique alterum, quid nisi grave furti facinus, alterum quid, nisi flagitii turpitudo reputaretur, si non excusasset utrumque factum auctoritas imperantis? = Et deinde = Necessarium incommutabile quid accipi velim? Equidem nihil congruentius, quam quod divina constat, et aeterna ratione firmatum, ut nulla ex caussa possit vel ab ipso Deo vel aliquatenus immutari. Sub illo genere est . . . . . . quidquid de delectione, humilitate, mansuetudine, caeterisque virtutibus tam in novo, quam in veteri tastamento spiritualiter observandum traditur. »

Ergo S. Bernardus in secundae tabulae praeceptis dispensari posse a Deo agnoscit, et quidem dispensatione proprie dicta, sive quia de hac expresse agit eo libro, sive quia etiam ab hominibus impropria dispensatio in illis praeceptis fieri potest: loquitur autem Bernardus de dispensatione, quam solus Deus tribuere valet.

Resp. Revera Bernardum de improprie dicta dispensatione intelligendum esse, qua in plerisque secundae tabulae praeceptis Deus mutare materiam potest pro sua voluntate, atque adeo efficere, ut mutata materia praeceptum non amplius obliget; atque adhuc in eo se prodit insigne discrimen inter dispensationem, quam soli Deo S. Doctor tribuit, et eam, quae hominibus convenire potest: nam mutata conditione materiae potest quidem humana auctoritas interdum efficere, ne illa materia praecepto amplius subjaceat, velut in praescriptione facit, ut quod antea alienum erat, jam proprium fiat, et sine furto retineri possit. Sic etiam justa sententia capite multando improbum civem facit, ut in illius occisionem non amplius cadat praeceptum: *Non occides.* Sed hoc pro voluntate, et arbitrio efficere non potest humana auctoritas, sed ex justa caussa, velut in praescriptione propter diuturnitatem temporis cum bona fide possidentis conjunctam, et praesumptione culpae, vel derelictionis; tum etiam, ne incerta maneant jura possessionum cum magna reipublicae perturbatione. Sic etiam in cive capite plectendo

propter admissum scelus bonorum incolumitati consulitur. Non posset autem reipublica pro solo voluntatis arbitrio innocentem damnare, aut sine legitima caussa, vel titulo dominia de uno in alium transferre. At vero potest Deus sola sua auctoritate, proque absoluto suo, et supremo in res, vitasque hominum dominio efficere, ut res unius alteri acquiratur, aut homo suo jussu sine ipsius hominis injuria vita privetur. Qua de re consule quae superius dicta sunt. Quo patet recte a D. Bernardo constitutum in illis praeceptis dispensationis genus, quod, licet improprium, Deo tamen soli competit. Neque vero absonum est, ut qui de dispensatione proprie dicta dicere instituit, aliqua etiam disserat de minus propria. Hoc porro discrimen S. Bernardus statuit inter praecepti genus inviolabile, et incommutabile, quod inviolabile illud dicat, in quo Deus mutare potest conditionem materiae: incommutabile vero, in quo honestas, vel turpitudo substantiae actus sic inhaeret, ut sejungi ab ea nusquam valeat, velut honestas a dilectione Dei, turpitudo a perjurio etc.

DISPUTATIO III.

De Legibus positivis.

Posteaquam dictum est de lege aeterna, quae incommutabili divinae sapientiae ordine continetur, deque naturali, quae ex insita veluti notitia ejus ordinis in mente humana enascitur, jam agendum de legibus, quae non innascuntur, sed scribuntur, nec, ut ait Ambrosius Epist. 41., profluo quodam naturae fonte in singulis hauriuntur, sed velut extrinsecus imponuntur. Explorandae nimirum conditiones, et qualitates, quibus illae praeditae esse debent, ut in his vera, et expressa legis ratio, et forma inesse intelligatur.

Quamvis autem istae conditiones eminenti, ac perfectissimo modo in lege aeterna insint, ex eaque promanent in legem naturalem, quae impressio est legis aeternae, prius tamen, quam ad eas generatim exponendas aggrederemur, consentaneum fuit dicere de lege aeterna, e qua profluunt, et de lege naturali, per quam innotescunt.

Et quidem cum leges positivae aliae sint divinae, aliae humanae, illud profecto perspicuum est ab ordine divinae

sapientiae haud posse divinam voluntatem pro sua summa perfectione unquam deflectere. Legislatores vero humanos ex aeterna lege tamquam primaria regula eas conditiones mutuari oportere, quibus eorum leges praeditae esse debent. De his igitur jam dicere aggredimur, posteaquam demonstratum fuerit leges etiam positivas humano generi non utiles modo, sed necessarias omnino fuisse.

CAPUT I.

Utrum praeter legem naturalem positivae quaedam leges hominibus necessariae fuerint.

Hominem utpote rationis, ac socialis vitae participem legi naturali suapte natura subjacere antea probavimus. Quaeritur autem utrum praeter eam legem naturalem opus sit homini alia quapiam lege positiva. Quae quidem quaestio primum instituitur de lege divina positiva, tum etiam de legibus humanis.

§. I.

De Lege Divina positiva.

PROPOSITIO

Genus humanum maxime opus habuit Lege Divina positiva.

Id vero luculenter probat S. Thomas 1. 2. q. 91. art. 4. hac potissimum ratione, nimirum lex homini necessaria est, ut se, suosque actus ad suum ultimum finem apte, ut par est, dirigere valeat. Jam si ultimus finis hominis in eis bonis consisteret, quae humanis viribus naturali quadam proportione responderent, non alia ex parte rationis lege homini opus esset, praeterquam lege naturali, vel humana, quae a naturali profluit. Verum homini proposita est a Deo aeterna beatitudo tamquam finis ultimus, cujus consecutio vires hominis naturales prorsus excedit, propterea necessarium fuit, ut praeter legem naturalem, et humanam, ad eum praestantissimum finem divinitus data lege homo rite institueretur.

Deinde propter humani judicii infirmitatem saepe fit, ut

de appetendis, et fugiendis homines diverse admodum sentiant, unde multa etiam morum, et institutorum varietas exsurgit, multaeque interdum pestes in humanam societatem invehuntur. Ut ergo scire homo queat sine ulla dubitatione quid expetendum, quidve fugiendum sit, necesse fuit eum divina lege imbui, et regi, quam constat errare non posse.

Huc pertinet quod propter ignorantiam, et cupiditatem haud raro lex naturalis in hominum mentibus magna ex parte obliteretur. Unde factum est, ut non apud barbaras tantum, sed et apud cultiores gentes multa publicis moribus et institutis recepta fuerint, quae ipsimet legi naturali vehementissime repugnant. Ejusmodi sunt victimarum humanarum sacrificia, quae ubique fere gentium impia olim superstitione invaluerant; talia cruenta gladiatorum certamina; talis mos multarum gentium, quae non verentur exponere, vel etiam necare infantes liberos, aut valetudine imbecillos, aut oneri prae paupertate futuros; tum etiam eorum, qui parentes senectute, vel insanabili morbo laborantes interficiunt; mulierum indicarum, quae vivae se se conjiciunt in flammas, quibus defunctorum virorum cadavera cremantur; multorum populorum institutis non fas modo, verum et gloriosum fuit aut violentas manus sibi inferre, aut latrocinia exercere; licuit etiam naufragorum bona diripere. Mitto incestas nuptias, flagitiosos ritus, qui in sacris veneris usurpabantur, et alia ejusdem generis innumerabilia, quae plurimarum gentium mores probarunt, quaeque per divinam legem, et christianam doctrinam sublata sunt.

Hinc patet toto caelo errare theistas, qui solam religionem naturalem homini sufficere contendunt. Lumen rationis, quo uno religio naturalis nititur, ostendit quidem ad Dei justissimi providentiam pertinere, ut bonos praemiis, malos poenis afficiat. Sed quae sit suprema beatitudo, quam Deus in altera vita justis praeparavit, quibusve illa mediis promereri, et obtineri queat; quae cultus ratio Deo ipsi gratissima sit; quibusve ritibus in eo praestando cultu conciliari homines debeant, id vero nullo pacto per solam humanam rationem patefieri potest.

Quin etiam humana ratio sibi relicta in agendorum, fugiendorumve delectu saepe caligaret, nisi divina lege, et doctrina illustraretur, ut omnium retro temporum, ac gentium

tamen multiplices, tamque implicati errores quos paullo superius memoravimus, plane demonstrant.

Quamobrem si religionis verae, quae non nisi una esse potest, munus est ea complecti, et docere, quibus homo rite ad divinum cultum, ad vitae sanctimoniam, et aeternae felicitatis consecutionem instituitur, profecto consequens est veram religionem intelligi non posse, quae non divina revelatione, et auctoritate constet: quandoquidem haec praestare sola ratio minime valet. Sane Burlamaquius ad religionem naturalem omnino pertinere affirmat, ut homines rectam, sinceramque supremi numinis notionem, et ideam animo informent, profiteanturque Deum et unum esse, et creatorem universi, ac singulis rebus providere, adeo ut sine tali professione nulla queat religio naturalis consistere. Et quidem ejusmodi religionis veluti capita rectae rationi non solum consentanea esse, verum et invicte demonstrari posse ultro fatemur. Tamen apud ethnicos, nec tantum apud vulgus, sed et apud ipsosmet philosophos veritates tam certae per sese multis fuerunt tenebris, et erroribus involutae. Nam plerique tametsi unum supremum numen agnoscere viderentur, tamen inferiora simul numina colebant, quae propria vi, et potestate pollerent a supremo Deo non accepta. Quo patet quam falso, et impudenter a recentiore scriptore illa gentilium inferiora numina cum coelicolis compararentur, quos religio christiana veneratur. Nam, ut dixi, gentiles in illis suis numinibus vim, et potestatem propriam a supremo Deo non acceptam, quamvis eidem aliquatenus subjectam agnoscebant. Christiani vero in coelicolis nullam vim, aut praestantiam suspiciunt, quam a Deo rerum omnium conditore, omnisque boni largitore non acceperint. Alii materiam universi aeternam fingebant, deumque ut architectum, non ut conditorem mundi habebant; alii deum ipsum velut animam mundo infusam, eidemque permixtam cogitabant; alii providentiam de medio penitus tollebant; adeo ut si verum fateri volumus, agnoscendum sit capitales eas veritates, tametsi rationis lumini apprime consentaneas, non nisi per divinam revelationem in apertam, et exploratam lucem prodiisse, simulque et sapientum intelligentiae, et populari sensui certo, ac perspicue patuisse.

Quin etiam tanta est humanae rationis imbecillitas, cum

semel a religionis norma descivit, ut ex recentioribus theistis plurimi ex tam aperta luce in obsoletam illam, foedissimamque veterum errorum caliginem miserrime ultro relabantur. Multi theistae, et quidem ex his, qui doctissimi, et perspicacissimi habentur, inquit celebris theista, providentiam peculiarem omnino rejiciunt, putantque supremam mentem positis semel generalibus legibus, quas natura nequeat infringere, ceterum eidem naturae liberum cursum permittere. Alter non minus famosus theista Deum ceu animam mundi praedicat, cuncta, quae fiunt necessitate naturae operantem, statuitque Deum hoc pacto remunerari, ac punire, quod lege naturae temperantiam bona valetudo, intemperantiam aegrotatio consequatur. Quod si ita est, nullum jam erit in altera vita praemium, vel supplicium bonis, et malis constitutum, quo uno religio naturalis funditus tollitur. Deinde multa sunt scelera, e quibus nullum lege naturae incommodum sequitur, cujusmodi est odium in proximum, et multae pessimae artes, quibus improbi homines non solum nullo damno afficiuntur, sed potius optatis bonis in hac vita cumulantur. Nullum ergo ejusmodi flagitiis a Deo constitutum supplicium putabimus? Quis non videt his doctrinae portentis non modo religionem everti, sed ad peccandi licentiam, et impunitatem magnum prorsus aditum aperiri?

Fallitur porro, ac fallit mirum in modum famosus ille theista, cum ad oppugnandam revelatae religionis necessitatem non veretur centies repetere moralem tantummodo disciplinam necessariam esse, non item dogmatum fidem; eaque de caussa morum doctrinam eamdem semper ubique gentum viguisse, quasi nullo indigeret superiore lumine; dogmatum vero miram semper varietatem fuisse, in quo errat sane gravissime. Enim vero non eam ubique semper viguisse, quam praedicat, moralis doctrinae stabilitatem, et constantiam apertissime demonstrant. quae paullo superius commemoravimus de humanis sacrificiis, de gladiatoriis muneribus, de infantibus neci addictis, de senibus, et aegrotis mactatis, de uxoribus se se in flammas conjicientibus, de nece sibi consciscenda, de publicis latrociniis, de bonis naufragorum direptis, de incestis nuptiis, de flagitiosis sacris, aliisque sexcentis.

Quod autem ad dogma pertinet, vidimus quam varia, et incerta, quam obscura, quam multis erroribus implicita

non solum apud imperitam multitudinem, sed et apud philosophos fuerit olim supremi nominis notio, et idea, cujus tamen recta, et sana cognitio religionis est caput, et fundamentum, ut proinde sine religione revelata nec ipsa valeat religio naturalis consistere. Illud insuper notandum est maximo generis humani bono effectum esse, ut christianae religionis instituto doctrina morum cum dogmatum fide cohaereret.

Etenim praeterquamquod id necesse erat ad omnem erroris, dubitationis, obscuritatis depulsionem, tum etiam ad patefacienda media, quibus homo vera sanctitate imbui valeat, illud vehementer pertinet ad morum institutionem, ut praecepta moralia hominibus tradantur non quasi decreta philosophorum, de quibus judicare cuique fas sit, sed tamquam oracula, et mandata divina, quae Deum habent auctorem, et vindicem; adeo ut ad illa implenda cum amore, tum etiam timore divinae justitiae efficacius inducantur. Uno verbo in his etiam, quae ad religionem naturalem pertinent, velut unius dei creatoris, et providentis notitia, et legis naturae praeceptis, et officiis maxime opus est divinae manifestationis positiva sanctione sive ad populum rite imbuendum sive ad sapientum animos intra veri, et recti limites continendos. Constare proinde omnino debet nec rectam morum institutionem sine religione, nec religionem sine superiori manifestatione, legeque divina positiva posse consistere. Quare vel ab ipso mundi exordio primi parentes religionis cultum a Deo acceperunt, quae religio ad nostra usque tempora triplici statu, naturae, legis, et gratiae, semper tamen praeceptis positivis instructa, et divina revelatione nixa perduravit.

Lex divina duplex distinguitur, vetus, et nova, de quibus speciatim hoc loco disserere non aggredimur. Lege nova Christus non solum legem naturalem instauravit, ac perfecit, sed etiam positiva praecepta sanxit, de fide, de Sacramentis etc., tum ecclesiam instituit, quam regendam, et pascendam apostolis, eorumque successoribus commisit. Ut autem in magna ecclesiae communitate rite, et ex ordine cuncta peragerentur, quae ad cultum divinum, ad ritus sacrorum, ad spiritualem corporis Christi aedificationem, atque ad animarum salutem pertinent, opus fuit quibusdam positivis regulis, seu legibus, quae canonicae appellantur: qua de re paullo latius inferius dicetur.

Nunc dicendum de legibus humanis prout referuntur ad politicae societatis gubernationem.

§. II.

De Legis humanae necessitate ad societatis regimen.

PROPOSITIO.

Ad rectam humanae societatis gubernationem maxime opus est Legibus positivis.

Propositio probatur doctrina D. Thomae 1. 2. q. 90. 5. 1. Necessarium scilicet fuit ad quietam, et pacificam hominum vitam aliquas ab hominibus leges imponi, quibus improbi homines poenarum metu a flagitiis, et ab injuriis inferendis deterrerentur, omnesque in societate degentes congruente disciplina, et institutione ad socialis vitae munera, virtutumque officia obeunda efficacius inducerentur. Unde Plato lib. 9. de Legibus recte ait: *Necesse est hominibus leges ponere, ut secundum Leges vivant: namque si absque his vixerint, nihil a feris atrocissimis discreparint.* Et Aristot. lib. 1. Polit. cap. 2. *Ut perfectione suscepta optimum omnium animalium est homo, ita si fiat a lege alienus, et a judiciis, pessimum est omnium animalium.*

Et sane homo compos rationis ad socialem vitam est natura comparatus. Societas autem nonnisi legibus satis apte regi, administrarive potest. Oportet enim, ut quae ad commune bonum pertinent, rite statuantur, et sante omnino custodiantur. Singuli autem homines nec facile cognoscunt quid communi bono magis expediat, et saepe illud privatis cupiditatibus postponunt. Necessariae proinde leges fuerunt, quae publico bono consulerent, sive decernendo quid fieri oporteat, sive cogendo ut fiat.

Quin etiam multa requirit mutua hominum communicatio inter se, quae non satis per solam legem naturalem determinantur. Velut ex lege naturali fluit quidem, ut malefacta puniantur, sed quae poena furto, quae homicidio, quae aliis delictis infligenda sit, sola lex naturalis non decernit. Oportuit ergo eam poenam positivis legibus spectata rerum ac temporum conditione determinari. Pariter in id lex naturalis in-

clinat, ut adolescentis aetatis inscitiae in rebus contrahendis consulatur. Hoc autem obtineri nequit sine legibus positivis, quae determinent quid valere in ejusmodi rebus, quid non valere debeat. Unde olim apud nonnullas gentes, cum non adhuc universales leges latae essent, principes erant quasi animatae leges, quorum arbitrio populi regebantur, ut ex Justino refert S. Augustinus l. 4. de civitat. Dei c. 6.

Disputatum est autem, utrum satius sit leges universales condi ab eo, qui communitati praeest, an omnia judicum arbitrio permitti, qui legis animatae vices referant.

Rem expedit S. Thomas 1. 2. q. 95. art. 1. ad 2. ex Aristotelis sententia in hunc modum: « Melius est, inquit, « omnia ordinari lege, quam dimittere judicum arbitrio, et « hoc propter tria. Primo quidem quia facilius est invenire « paucos sapientes, qui sufficiant ad rectas leges ponendas, « quam multos, qui requirerentur ad recte judicandum de « singulis. II. Quia illi, qui leges ponunt ex multo tempore « (idest ex multi temporis experientia) considerant quid lege « ferendum sit, sed judicia de singularibus factis fiunt ex « multis consideratis potest homo videre quid rectum sit, quam « solum ex aliquo uno facto. III. Quia legislatores judicant « in universali, et de futuris. Sed homines judicio praesiden- « tes judicant de praesentibus: ad quae afficiuntur amore, vel « odio, aut aliqua cupiditate, et sic eorum depravatur ju- « dicium. Ex quibus S. Doctor concludit necessarium fuisse in quibuscumque fieri potuerit, lege determinare quid judicandum sit, et paucissima judicantium arbitrio committere. Quia tamen non omnia leges humanae praecavere possunt, opus est in civili societate supremam quamdam auctoritatem vigere, et adesse legibus condendis, et conservandis, tum etiam interpretandis, ac supplendis necessariam.

CAPUT II.

De natura legis positivae, ejusdemque proprietatibus.

Ex dictis de necessitate legis positivae proclive est colligere, quae sit natura ejusdem, quibusve proprietatibus praedita esse debeat. Etenim rei cujuslibet natura tum innotescit, cum caussas ejusdem cognitione comprehendimus. Jam vero

leges positivas ob id potissimum necessarias esse vidimus, ut ordinata societas inter homines constituatur, eaque inde praesidia, et adjumenta comparare sibi valeant, quibus maxime indigent, quaeque nonnisi ex ordinato civitatis statu peti possunt. Is ergo est finis, seu caussa legum finalis.

Regula ordinando statui civitatis aptissima nil proficeret, nisi homines ad eam servandam efficaciter inducere valeret, adeoque nisi ab imperante proficiscatur, qui jure suo cogere possit ad parendum. Atque hinc patet, quae caussa legis efficiens esse debeat.

Materia legis sunt actus hominum prout prodesse, vel obesse possunt fini, quem legislator intendit.

Forma demum legum verbis continetur, quibus exprimuntur.

Quibus rebus intelligi potest omni legi positivae pulchre convenire hanc legis definitionem, quae a plerisque theologis affertur, qui legem dicunt praeceptum commune, stabile, ac justum sufficienter promulgatum. Qua definitione praecipuae legis proprietates etiam comprehenduntur.

I. Dicitur praeceptum. In eo porro sita est vis praecepti, quod sit ordinatio superioris subditum ad agendum, vel non agendum dirigentis, et obligantis. Quo differt a consilio, quo quis alteri patefacit, quemadmodum se gerere debeat, ut propositum finem assequatur, sed nullam agendi necessitatem, vel obligationem vi sua imponit. Legi porro quatenus praeceptum est, respondet in subjectis obligatio parendi.

II. Dicitur praeceptum commune: quia leges eo spectant, ut societas, seu communitas hominum recte ordinetur; atque adeo leges communitati, et ob bonum commune praescribuntur.

III. Dicitur stabile: cum enim lex feratur pro communitate, et ob bonum commune, habet ex communitatis perpetuitate, tum ex ordine ad bonum commune perpetuitatem, et constantiam.

IV. Dicitur justum: omnis quippe lex positiva ex aeterna, et naturali lege manare debet, quae justi, et aequi norma est. Praeterquamquod ob commune bonum leges feruntur: nil autem communi bono conducibilius est justitia, qua civitates conservantur, et florent.

V. Dicitur promulgatum: quandoquidem necessaria est promulgatio, ut lex debito modo innotescat.

Ad majorem vero perspicuitatem nonnulla latius explicanda supersunt. 1. De lege prout ad communitatem, atque ad bonum commune refertur. 2. De stabilitate, seu firmitate legum. 3. De promulgatione; quaę totidem capitibus exponentur, quibus expeditior fiet disputatione sequenti explanatio eorum, quae ad ferendarum legum potestatem pertinent, et ad obligationem, quam leges inducunt.

CAPUT III.

Utrum leges communitati, et ob bonum commune ferri debeant.

Homines ad mutuam officiorum communicationem, atque adeo ad societatem colendam natura comparatos esse extra omnem dubitationis aleam positum est. Prima socialis hujus communitatis ratio se prodit in familia, quae virum, et uxorem, parentes, et liberos, dominum, ac servos complectitur. Ex multis familiis consociatis pagi existunt, ex multis pagis civitates, et latiores communitates coalescunt.

Hinc duplex communitatis ratio, ex Aristotele et D. Th. in 1. polit. lect., una imperfecta, altera perfecta. Perfecta communitas est, quae valet praesidia omnia suppeditare, quae ad vitam, ut par est, transigendam necessaria sunt, nimirum in qua homines sive agrorum possessione, sive honestis artibus exercendis, sive mercatura, stipendiis, aliisve legitimis modis, vitae subsidia pro sua quisque conditione comparare sibi valet; tum quae praebet convenientem institutionis rationem, qua homines ad rectam disciplinam erudiantur, et ad mutua officia inter se obeunda ex justi, et aequi praescripto comparentur; quae singulis demum jura sua conservare, eosdemque ab improborum injuriis tutari valeat. Imperfecta vero communitas dicitur, quae magna ex parte illis praesidiis destituitur, cujusmodi est communitas familiae, quae si sola, et seorsum spectetur, vix sufficere sibi potest ad quotidianum victum quoquomodo parandum, nec artes omnes, aliave ministeria continet, quae hominibus ad sui conservationem, et tutelam, tum ad corporis, animive cultum sunt communiter necessaria. Cum autem homines natura felicitatis appetentes ad bene, beateque vivendi rationem natu-

rali velut instinctu ferantur, Aristoteles inde concludit imperfectas communitates ad perfectae communitatis statum naturali quadam relatione tendere. Porro ad ejusmodi statum ordinandum, opus est multitudinem publica potestate contineri, quae et leges ferre, et jus dicere, et improbos coercere valeat.

PROPOSITIO.

Lex omnis pro perfecta communitate, et ob bonum commune ferri debet.

Enim vero postulat humanae naturaè conditio, ut in communitates perfectas homines coeant. Postulat autem perfectae communitatis ratio, ut homines communiter potiantur eis bonis, et praesidiis, ad quae societatis status refertur, ut paullo superius vidimus. Hoc autem obtineri nequit, nisi ordinem quodam communitas contineatur, nec impune quisque ordinem illum infringere valeat. Constitui autem, et conservari ordo ille satis apte non potest, nisi per leges, quae communitatem afficiant, et ad bonum commune referantur. Cumque is sit finis legum, quae a publica potestate in communitate perfecta feruntur, sequitur legem omnem et pro perfecta communitate, et ob commune bonum ferri debere.

Nonnulla opponi solent. I. Praecepti vis ex eo non mutatur, quod pluribus, vel paucioribus fiat. Ergo si praeceptum communitati denunciatum lex est, lex quoque dicendum erit quodvis praeceptum, tametsi factum uni tantum civi. Quamobrem Ulpianus l. 1. ff. de Constit. Princ. quasdam ait esse leges personales, quae non trahuntur ad exemplum.

Resp. Praecepti nomen latius patere, quam legis. Quare etsi lex omnis praeceptum est, non omne praeceptum legis nomine donatur. Praeceptum, seu jussum a quacumque potestate fieri potest. Quod autem a sola publica potestate ob caussam publicam manare valet, ex hac peculiari determinatione peculiare quoque nomen legi sortitum est. Ulpianus vero personales leges memorans, privilegia innuere videtur, aut peculiares quasdam, nec perpetuas, et constantes principis ordinationes. Sed de privilegiis suo loco dicetur.

Opponitur praeterea multas esse leges, quae non pu-

blicum, sed privatum commodum omnino respiciunt: velut lex vetans ne quis mortem sibi consciscat, lex jubens stipem indigentibus erogare, fratrem peccantem corripere, tributa principi persolvere. Non ergo lex omnis in bonum commune spectat.

Resp. I. Bonum publicum postulare ut quisque vitae suae consulat, quae aliis saepe adjumento, semper exemplo esse potest. II. Ad bonem etiam publicum pertinet, ut pauperum indigentiae subveniatur; nec sane horribilius quidquam accidere potest, quam ut homo inter homines inopia intereat. III. Fraterna correptio licet proxime referatur ad bonum ejus, qui corripitur, pertinet etiam ad bonum commune, cujus interest, ut qui peccant emendentur. IV. Vectigalia exiguntur ad sumptus necessarios publicae tranquillitati tuendae, atque ad statum regiae dignitatis, qua par est, amplitudine conservandum, adeoque propter publicum bonum imperantur, ut inferius suo loco dicetur.

CAPUT IV.

De stabilitate legis.

Stabilitas, seu perpetuitas dici potest firma, constansque rei duratio. Alia est expers initii, et finis, estque immutabilis aeternitas, quae solius Dei est: alia est: rei, quae initium quidem habuit, ut esset, non vero certum, ac praestitutum finem, quo desitura sit; haecque rursum duplex est: una positiva, et absoluta, ejus nimirum rei, quae sic esse coepit, ut nusquam finem sit habitura, velut animus hominis: alia negativa, et indefinita, qua res ea conditione orta est, ut suapte natura durare indefinite valeat, ac postulet, cujusmodi sunt communitates, et collegia. Hocque genus stabilitatis ad rationem legis pertinere theologi docent, quo videlicet suapte natura indefinite duratur intelligitur, nisi revocetur.

PROPOSITIO.

Ad rationem legis pertinet, ut stabilitatem, et constantiam habeat.

Enim vero lex omnis pro communitate fertur ad ejusmodi communitatis bonum, et statum conservandum. Atqui communitas ipsa, ejusdemque status indefinite durare, ac permanere natura sua postulat; igitur leges, quibus communitas, ejusdemque status continetur, parem stabilitatem, et constantiam habere debent, quousque novis causis accedentibus, prout fit in rebus humanis, propter ipsum bonum commune commutari eas oporteat.

Et sane nil ad civitatis statum conservandum accommodatius inveniri potest, quam ut optimae leges, et recta instituta in mores transeant, nec transire in mores possunt, nisi longo, et inveterato usu eisdem homines assuescant.

Quare non quaevis utilitatis species ad legum commutationem valere debet: verendum quippe, ne sancta inde legum reverentia minuatur, neve minor ex commutatione utilitas, quam ex novitate perturbatio consequatur. Tempora tamen quandoque incidunt, quibus vel omnino necesse sit, vel admodum utile leges commutare: cujus rei judicium magnam in legislatore prudentiam, sapientiamque desiderat.

Hinc patet ratio duplicis differentiae a doctoribus constitutae inter legem, et praeceptum personale, seu mandatum. 1. Quod lex utpote communitati lata non obligat eum, qui ex communitatis finibus excesserit, nisi aliunde fictione juris praesens adhuc esse censeantur, quod multoties evenire potest. 2. Quod mandatum personale plerumque praecipientis morte expirat, nec transit ad successores ejus, cui impositum est: lex vero legislatoris obitu non extinguitur, nec solum praesentes obligat, verum et eos, qui succedunt in communitate.

Notant porro doctores mandatum tribuens cuiquam potestatem rei alicujus gerendae finiri morte mandantis re adhuc integra, secus re jam incepta. Velut si cui potestas mandato facta est instituendae litis, et jam partes citatae fuerint, po-

testas ejus morte mandatis non finitur. Quod si agatur de rescriptis, quae non sunt justitiae, sed gratiae, velut quae potestatem faciunt absolvendi a censuris, vel casibus reservatis, relaxandi vota, eligendi confessoris, celebrandi in privato oratorio, ea, inquam, et similia, multi existimant haud extingui morte concedentis, nil tamen inde concludi potest adversus allatum discrimen legem inter, et mandatum. Nam ideo dicendum erit mandata ista non finiri morte concedentis, quia sic est lege constitutum, vel consuetudine, quae vim legis habeat. Ut proinde illa mandati duratio ex ipsa vi legis pendeat.

Contra fortasse dicitur glossam in C. de Constit. docere quosdam esse canones temporales, quibus proinde stabilitas non competit. Deinde SS. Isidorus, et Thomas, dum legis conditiones memorant, nullam faciunt mentionem stabilitatis.

Verum glossa, quaecumque tandem sit ejus auctoritas, temporales canones memorat, scilicet temporum conditioni accommodatos, non autem quasi definito solum tempore duraturos; alludit enim ad dist. 29., in qua legitur regulas sanctorum patrum pro tempore, loco, persona, et negotio instante traditas esse.

Porro ex definitione legis, quam Isidorus, et Thomas protulerunt, stabilitas facile colligitur. Cum enim legem et communitati, et ob commune bonum ferri, dicant, consentaneum est ejus perpetuitatem communitatis perpetuitati respondere. Caeterum S. Thomas legis stabilitatem perspicuis verbis memorat qu. 104. art. 3. ad 2. *Praecepta judicialia ab hominibus instituta habent perpetuam obligationem manente illo statu regiminis.*

CAPUT V.

De Promulgatione legis.

Non hic scholasticam quaestionem attingimus, num promulgatio, quae generatim non aliud est, quam legis denuntiatio, ad ejusdem legis intimam vim, et naturam pertineat, an sit conditio dumtaxat necessaria, ut lex vim obligandi acquirat. Hoc solum inquirimus: quod magnopere pertinet ad moralem institutionem, num revera lex promulgatione

sic indigeat, ut sublata promulgatione vim obligandi non exerat.

Initio notandum non eamdem promulgationis rationem in lege naturali requiri, atque in legibus positivis, quae legislatoris voluntate constitui, et aboleri possunt. Nam promulgatio legis naturae, ut ait S. Thomas 1. 2. q. 90. art. 4. ad 1., ex hoc ipso est, quod eam Deus mentibus hominum inseruit naturaliter cognoscendum. Lex vero humana externa quadam significatione promulgari opus habet, et quidem cum aliqua solemnitate, ut ait cardinalis Gotti Tract. V. de leg. Q. 1. Dub. 3. §. 3. n. 18. Homo enim cum duplicem personam gerat, unam publicam, alteram privatam, tali modo debet legem proponere, ut ex ipsa proponendi ratione significet se ut personam publicam subjectis edicere, quae agere debeant; idque usu obtinuisse animadvertit cum in civilibus legibus, tum in canonicis decretis. Hic itaque agemus de promulgatione prout refertur ad leges humanas, et prout fit publica denunciatione per signa externa, et cum aliqua solemnitate.

PROPOSITIO.

Promulgatio ad legis vigorem sic requiritur, ut ea sublata lex obligandi vim nequaquam exerat.

Prob. Primo. Ratione D. Thomae 1. 2. q. 90. art. 4., cujus haec sunt verba: « Lex imponitur aliis per modum « regulae, et mensurae. Regula autem, et mensura imponi« tur per hoc, quod applicatur his, quae regulantur, et « mensurantur. Unde ad hoc quod lex virtutem obligandi ob« tineat, oportet quod applicetur hominibus, qui secundum « eam regulari debent. Talis autem applicatio fit per hoc, « quod in notitiam eorum deducitur ex promulgatione. Unde « promulgatio necessaria est ad hoc, quod lex habeat suam « virtutem. »

Jam vero cum lex ad communitatem dirigatur, sequitur promulgationem ita fieri oportere, ut non solum qualiscumque ejus notitia ad paucos privatos perveniat, sed ipsa communitas, quae primo obligatur, intelligere queat legem sibi a legislatore proponi, ac denunciari. Atqui hoc obtineri nequit, nisi lex authentica quadam ratione per signa externa, et cum aliqua solemnitate promulgetur.

Prob. secundo. Quia non solum jure civili, sed etiam canonico, innumerabilibus prope conciliorum, ac pontificum decretis promulgationis necessitas adstruitur. Pauca ipsi referemus.

I. Concilio Hierosolymitano cum apostoli statuissent Christi fideles legis Mosaicae praeceptis, de quibus enata erat controversia, minime adstringi, solemne hoc decretum promulgari curarunt, ob eamque rem his, qui erant Antiochiae, illud miserunt per Judam, et Silam viros primos in fratribus, ut leg. act. 15.

II. Nicaena prima synodus oecumenica necessarium aestimavit, ut Aegyptiis, et caeteris episcopis, qui caetui non interfuerant, ea denunciarentur, quae in synodo decreta fuerant: ita scilicet inquiunt patres in epistola synodica: *Eaque litteris ad vos praescribere necessarium visum est, ut intelligere possitis cum quae ibi in quaestionem, et disputationem vocata, tum quae decreta, sancitaque sunt.*

III. Synodus Sardicensis an. 347. Julium romanum pontificem rogavit, ut per Siciliam, Sardiniam, et Italiam concilii definitiones publicari curaret: *Tua*, inquiunt, *excellens prudentia disponere debet, ut per tua scripta, qui in Sicilia, in Sardinia, et in Italia sunt fratres nostri, quae acta sunt, et quae definita cognoscant.*

IV. Concilium lateranense IV. an 1215. Innocentio III Pontifice duos in hanc rem canones edidit. Prior relatus cap. *Sicut olim* 25. de accusat. praescribit, ut canonicae regulae in concilio provinciali relegatur, et hujus decreta in episcopalibus synodis publicentur. Posteriore vero relato cap. *Cum infirmitas* 14. de poenit., et remis, praecipit medicis corporum, ut cum eos ad infirmos vocari contigerit, ipsos antea moneant, et inducant, ut medicos advocent animarum, deinde addit: *Si quis autem medicorum hujus nostrae constitutionis, posteaquam per praelatos locorum fuerit publicata, transgressor extiterit etc.*

V. Concilium tridentinum sess. 24. C. 1. de reformat. haec habet: *Ne vero haec tam salubria praecepta quemquam lateant, ordinariis omnibus praecipit, ut cum primum potuerint, curent hoc decretum populo publicari, ac explicari in singulis suarum dioecesum parochialibus ecclesiis.*

VI. S. Cyprianus epist. 74. testatur Stephanum pontificem literas suas de non iterando haereticorum baptismate ad omnes

provincias orientis direxisse. Zozimus decretum de non recipiendis clericis Romam venientibus sine literis episcopi ait se ubique misisse, ut cunctis regionibus innotescat. Innocent. I. ad Exuperium episcopum tholosanum rescribit disparem esse conditionem illorum, ad quos decretum Siricii pervenerat de sacerdotum, qui ab uxoribus non abstinebant, dejectione, et eorum, qui decretum non acceperant etc. Quibus promulgationis, seu publicae, et authenticae denunciationis necessitas facile adstruitur.

Quod attinet autem ad peculiarem promulgationis formam, et rationem, res est nonnullae varietati obnoxia pro varietate locorum, temporum, consuetudinum, et legum.

Quod luculenter explicat laudatus Card. Gotti Q. 6. dub. 4. n. 1. his verbis: « Spectato solo jure naturali, lex tam « civilis, quam ecclesiastica, ut subditos obliget, non requi« rit determinatum promulgationis modum: sed satis est ea « promulgatio, quae necessaria, et sufficiens est, ut lex mo« rali, et humano modo devenire possit in notitiam subdi« torum, sive sit lex imperialis, sive pontificia, sive pu« blica voce praeconis, sive per affixionem, sive hoc fiat in « curia tantum, sive in pluribus locis. Et ratio est: quia ex « natura rei, ut lex obliget, non requirit aliquam determi« natam solemnitatem, quae observari debeat, sed solum, « quod sufficienter proponatur communitati modo, quo me« diate, vel immediate, simul, vel successive in omnium no« titiam deveniat. »

Cujus rei argumentum etiam peti potest ex ratione, quam in decernenda suorum decretorum promulgatione synodus ipsa tridentina tenendam censuit. Nam quod attinet ad caput superius allatum promulgationem praescripsit in singulis parochialibus faciendam. Cumque pro aliis decretis promulgandis nullam de parochialibus ecclesiis mentionem fecerit, plane hinc intelligitur pro legum promulgatione solemnitatis eam rationem requiri ac sufficere, quam legislator aut expresse statuerit, aut per inductam legitimam consuetudinem tacita saltem voluntate probaverit.

Ad pleniorem porro totius quaestionis intelligentiam consulenda, quae uberius a sapiente viro citato loco disseruntur.

Duo praetermittenda non sunt, quae ex ipsa rei natura petuntur. 1. Neminem lege obligari, nisi promulgatio eju-

smodi praecesserit, qua communitas tota obligata censeatur. Etenim lex utpote quae ad communitatem fertur primo quidem communitatem, et ob eam caussam singulos e communitate ad normam legis obligat. Quamdiu ergo promulgatio talis non est, qua tota communitas lege adstricta censeatur, nec singuli e communitate obligati censendi erunt. Secus est de praecepto personali, quod singulos afficit, quibus imponitur. 2. Minime tamen opus est, ut lex universalis singulis denuncietur, sed satis est eam toti communitati authentica ratione denunciari, quatenus notitia ejusdem ad singulos deinceps pervenire queat.

Ex authentica illa promulgandae legis ratione fit, ut invincibilis ejus ignorantia haud facile praesumatur. Nihilominus non repugnat aliquem pro aliquo saltem tempore legem invincibiliter ignorare, quo casu lege transgredienda nullius culpae reus erit.

DISPUTATIO IV.

De humana legum ferendarum potestate.

CAPUT I.

Utrum sit inter homines potestas condendarum legum, quae conscientiam obstringant.

Lege aeterna, qua justum est omnia esse ordinatissima, intelligimus ad humanae societatis ordinatam concordiam maxime pertinere, ut reipublicae legibus contineantur, sintque adeo, qui publica auctoritate praediti ferre leges valeant, quibus obtemperare quisque teneatur, ut qui secus fecerit, contra aeternam legem peccasse censendus sit. Adversus tam perspicuam, ratamque sententiam prope tempora Christi nati insurgere ausus est Judas quidam Galilaeus, qui act. 5. dicitur populum avertisse post se: de quo Hieronymus in cap. 3. ep. ad Titum: surrexit in diebus census Judas Galilaeus, qui inter caetera hoc quasi probabile proferebat ex lege, nullum debere dominum nisi solum Deum vocari, et eos, qui ad templum decimas deferrent, Caesari tributa non reddere. Quae haeresis in tantum creverat, ut etiam pharisaeorum, et multam populi partem conturbaret: itaut ad dominum quoque

nostrum referretur haec quaestio: licet Caesari dare tributum, an non?

Lutherus quoque (teste Gotti) fideles omni lege solutos declarat, haecque illius verba referuntur decerpta e libro de libert. Christ. *Nullo opere, nulla lege homini christiano opus est, cum per fidem sit liber ab omni lege.* Quin etiam dixisse fertur christianis nullam legem sive ab hominibus, sive ab Angelis ullo jure imponi posse, nisi in quantum ipsi velint, neque principes habere jus super christianum hominem, et quidquid aliter fit, tyrannico spiritu fieri. Hanc certe doctrinam e Lutheri scriptis, et sententiis hausisse se Anabaptistae profitebantur, quam magno Germaniae exitio ferro, igne, caedibus propagare, ac sancire aggressi sunt, ajentes christianis haud licere magistratus gerere., nec inter christianos debere esse tribunalia, vel judicia. Calvinus etiam lib. 4. institut. cap. 10. §. 5., et 8. affirmat Deum esse unicum legislatorem, nec licere hominibus id honoris sumere.

Adversus capitalem ejusmodi errorem demonstraturi sumus inter homines inesse veram, et legitimam potestatem condendarum legum, quae sine piaculo violari nequeant.

Id vero probandum cum de sacra auctoritate pontificum, tum etiam de regali potestate. Nam, ut ait Gelasius pontifex ad Anastasium: *Duo sunt, imperator Auguste, quibus principaliter mundus hic regitur, auctoritas sacra pontificum, et regalis potestas.* In eamdemque sententiam imperator Justinianus: *Maxima quidem in hominibus sunt dona Dei superna collata clementia, sacerdotium, et imperium, et illud quidem divinis imperiis, hoc autem humanis praesidens, ac diligentiam exhibens, ex uno, eodemque principio utraque procedentia humanam exornant vitam.*

§. I.

De ecclesiastica potestate.

D. Joannes epist. 1. cap. 1. ait: *Quod vidimus, et audivimus, annunciamus vobis, ut et vos societatem habeatis nobiscum, et societas nostra sit cum patre, et cum filio ejus Jesu Christo.* Ex quo intelligimus ecclesiam, quae homines complectitur fidem Christi profitentes, verae societatis rationem

habere, qua ipsi fideles ad vitae spiritualis consortium, atque ad mutuam in Christo conjunctionem cum Deo per munia religionis, et vitae sanctimoniam colendo, et aeterna demum felicitate possidendo divina institutione ordinantur. Porro nec societas ulla sine regimine, nec regimen sine consentanea potestate consistere valet.

Hanc potestatem ad regendam ecclesiam Petro, apostolis, eorumque successoribus a Christo tributam esse cum sacrarum literarum, tum perpetuae traditionis auctoritate Constat. Joan. 21. Christus sic Petrum alloquitur: *Pasce agnos, pasce oves meas.* Non ergo agnus Christi quisquis a Petro non pascitur. Luc. 10. *Qui vos audit me audit; et qui vos spernit me spernit.* Atque hoc in omne futurum tempus pertinere patet ex illo Math. 28., in quo cum Christus coelum jam conscensurus praedicandi, docendi, baptizandi munus, et potestatem apostolis commendavisset, confirmat se cum illis futurum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi. Illa proinde cura, et potestas ab apostolis in eorum successores transmittenda erat. Cujus rei manifestam fidem facit quod ait apostolus act. 20. *Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos spiritus Sanctus posuit episcopos regere ecclesiam Dei.* Idem colligitur ex monitis, quibus Timotheum, et Titum instituit, qui per impositionem manum ministerii apostolici gradum consecuti erant. Hinc etiam ad Hebr. 13. *Obedite praepositis vestris, et subjacete illis.*

Hac potestate a Christo tradita uti proinde coeperunt apostoli ad ecclesiam non solum sacris doctrinis pascendam, verum et saluberrimis decretis regendam. Hujusmodi est illud act. 15. *Visum est spiritui sancto, et nobis nihil ultra imponere vobis oneris, quam haec necessaria, ut abstineatis etc.* Agebatur de abstinentia a sanguine et suffocato, quae abstinentia nulla tum divina lege praescripta erat; non veteri, utpote quae jam abrogata erat; non nova, secus id praeceptum abrogari numquam potuisset. Decretum ergo erat humanum, seu canonicum ad ejus temporis disciplinam constituendam accommodatum. Hoc porro apostolicum decretum vim obligandae conscientiae habuisse manifestum est, sive quia tam quam necessarium onus imponitur, sive quia ibidem de Paullo dicitur: *Perambulabat praecipiens custodire praecepta apostolorum, et seniorum.*

Ea potestate saepe usus Paullus legitur, velut dum con-

stituit 1. ad Timoth. 3. ne bigami, et neophyti ad episcopatum assumantur, et cap. 5. ne accusatio adversus presbyterum recipiatur aliter, quam sub duobus, vel tribus testibus, tum etiam cum Corinthium incesti reum, cumque Alexandrum, et Hymenaeum ob haeresim satanae tradidit.

Hinc ab Apostolicis temporibus perpetua ecclesiae lege, ut ait Aug. ad Januar. epist. 118. num. 54., eucharistia non nisi a jejunis sumenda est. Festum sabbathi, ut notat idem epist. seq., a christiana ecclesia in diem dominicam mutatum est: sicque alia multa vel mutata, vel praecepta per totam observantur ecclesiam, de quibus, ut Augustinus ipse ait, disputare cur ita faciendum sit insolentissima insania est.

Hanc potestatem tribus primis saeculis ecclesiam in se agnovisse testantur canones, quos edidit. Jam vero potestas, qua ecclesia, vel ab ipsis incunabulis potita est, ei sane est a Christo tributa in aevum omne permansura.

Constat proinde primis illis saeculis ecclesiae pastores canonicas sanctiones, et decreta edidisse, quae fidelium conscientiam obligarent, poenis etiam canonicis velut censuris adversus violatores indictis, aliisve corporeis etiam afflictationibus, quibus poenitentes subjiciebantur. Haec porro decreta quatenus manant a spiritali potestate a Christo ecclesiae tradita, ipsamque ecclesiae communitatem afficiunt, et eam ad commune bonum sibi in religionis ordine propositum ordinant, jure ac merito legum nomine donantur, utpote quae legis characteres, et conditiones omnes complectuntur, sive quoad vim directivam, sive quoad eam, quae coactiva dicitur.

Eodem pertinet illud Christi ad Petrum Math. 16., quo et ecclesiae potestas, et ipsius Petri primatus non honoris tantum, sed et jurisdictionis in universa Ecclesia manifeste adstruitur: *Ego dico tibi quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni coelorum, et quodcumque ligaveris super terram erit ligatum et in coelis, et quodcumque solveris super terram erit solutum et in coelis.*

Quam in rem S. Maximus Taurinensis (homil. 1. natali beatissimorum Petri, et Paulli) *Sed ne qua vos, fratres, de creditis Petro clavibus regni, more nostrarum clavium cogitatio terrena permoveat. Claves enim coeli lingua est Petri, quia singulorum merita censendo Apostolus unicuique regnum coelo-*

rum aut claudit, aut aperit. Non ergo clavis ista mortalis artificis aptata manu, sed data a Christo potestas est judicandi.

Et homil. 3. *Quanti igitur meriti apud Deum suum Petrus erat, ut ei post naviculae parvae remigium totius ecclesiae gubernacula traderentur?* Ac deinceps: *Quid etiam de Petro referam, cujus tanta a Deo est approbata justitia, tantaque ei potestas attributa est judicandi, ut in arbitrio ejus poneretur coeleste judicium?*

Et homil. 5. de Petri, et Paulli martyrio loquens ait: *Et in quo tandem loco martyrium pertulerunt? In urbe Roma, quae principatum, et caput obtinebat nationum, scilicet ut ubi caput superstitionis erat, illic caput quiesceret sanctitatis, et ubi gentilium principes habitabant, illic ecclesiarum principes morerentur.* Neque tamen S. Maximus in eo, quod attinet ad rationem primatus paullum exaequat Petro, ut patet his verbis ejusdem homil. *Nam Petro sicut bono dispensatori clavem regni coelestis dedit: Paullo tamquam idoneo doctori magisterium ecclesiasticae institutionis injunxit . . . . . Ambo igitur claves a Domino perceperunt, scientiae iste, ille potentiae.* Quod sane ad primatum Petri refertur. non ad removendam a Paullo Apostolicam in mysteriorum dispensatione potestatem.

Neque officit auctoritati pastorum, ac ministrorum ecclesiae, quod nonnulli tamquam ex Augustino, aliisque patribus proferunt claves ecclesiae universitati datas esse, nam hic (sano sensu ac servata debita proportione) locum habere potest quod post veteres Grotius ipse animadvertit de subjecto potestatis in principatu civili. De jure belli, et pacis lib. I. c. 3. §. 7. Nimirum duplex in eo genere subjectum distingui oportere, unum commune, aliud proprium: *Ut visus subjectum commune*, inquit, *est corpus, proprium oculus; ita summae potestatis subjectum commune est civitas . . . . Subjectum proprium est persona una, pluresve, pro cujusque gentis legibus, et moribus*: sic etiam minime repugnat, ut claves unitati ecclesiae datas esse intelligantur tamquam subjecto communi, quatenus ad corporis totius utilitatem datae sunt, ut visus toti corpori; et simul pastoribus, ac ministris tamquam subjecto proprio concreditae, quemadmodum ipsa vis visus in oculo tamquam in subjecto proprio inhaeret. Nam et ipsi, de quibus loquimur, non diffitentur praelatis ecclesiae claves datas esse *quoad usum.* Verum in hoc errant vehementer, quod jus utendi a communitate in pastores derivari perperam arbitrantur. Quod

longe secus est: quippe absurdum foret cogitare non eodem plane actu concessum fuisse jus utendi clavibus, quo claves ipsae a Christo concessae sunt. In traditis ergo clavibus simul et jus utendi, et tota clavium potestas manifeste continebatur. Quod et veteres patres expressis verbis testati sunt, velut Tertullianus (Scorp. cont. Gnost.) *Memento claves ejus hic dominum Petro, et per eum ecclesiae reliquisse.* Optatus Milevit., qui L. 7. cont. Parmen. c. 10. hoc potissimum nomine Petrum caeteris Apostolis praelatum docet, quod *claves regni coelorum communicandas caeteris solus accepit.* Atque hic quidem sponte sua se offert plana quaedam, nec indigna consideratione animadversio. Posteaquam Christo placuit primatus auctoritatem Petro demandare, quis dicere audeat in Apostolorum potestate fuisse, aliud sibi caput, ac principem praestituere, quam quem ipsis Christus praefecerat, ipsumque primatum, quem in Petrum contulerat, in alium quemvis transferre? Quod si tum nil potuit ecclesiae communitas in Petrum, nec profecto quicquam in successores potuit, in quos, ipsiusmet Christi instituto, collata Petro potestas in aevum omne prorogatur. Quo magis magisque confirmatur potestatem Clavium, quam Christus Petro, et per Petrum caeteris apostolis ac pastoribus communicavit, nullo pacto a grege in pastores derivari, nec alia ratione intelligendum universitati datas claves, quam quatenus, ut dictum est, ad universitatis bonum datae sunt.

In eamdem rem valent postrema Christi verba, quae paullo ante memoravimus ex Math. cap. 28. *Data est mihi omnis potestas in coelo, et in terra: euntes ergo docete omnes gentes etc.* Quibus verbis doctissimus Bossuetus duplicem in ecclesia demonstrat, planeque distinctum ordinem personarum, unum eorum, quibus a Christo praedicandi evangelii, sacra ministrandi, docendarum gentium munus demandatum est: alterum eorum, qui ab illis christianae vitae documenta, et institutiones petere, et accipere debent, juxta illud Christi superius allatum: *Qui vos audit me audit.* Hinc vel ab apostolicis temporibus, ut jam notavimus, multi sunt a pastoribus editi canones ad christianae institutionis formam pertinentes, quos sine piaculo violari non potuisse constans semper fuit totius ecclesiae sententia. Est igitur in ecclesia spiritualis regiminis potestas a Christo tradita ad canonicas leges feren-

das, quibus fideles indiscriminatim omnes jure conscientiae obtemperare teneantur.

§. II.

Principatum civilem potestate pollere ferendarum legum, quae conscientiam obligent.

Homines ad societatem natura comparatos esse: societatem vero sine publica potestate haud satis apte regi posse abunde liquet ex dictis. Cum autem media, sine quibus ordinata hominum societas haberi nequit, ad legem naturae, seu ad rectae rationis praescriptum pertineant, merito theologi potestatem civilem ad Deum tamquam naturalis ordinis auctorem referunt. Cum autem haec potestas ad regendam societatem comparata sit, sequitur ei potestati jus esse communitatis ad publicum bonum ordinandae, quae quidem ordinatio legibus maxime continetur. Leges proinde citra publici boni, et recti ordinis detrimentum, publicaeque potestatis injuriam, nec adeo sine piaculo infringi possunt. Conscientiam igitur obstringunt.

Aque haec quidem sacrarum literarum auctoritate liquido constat. « Apostolos ad Rom. 13. Omnis anima potestatibus « sublimioribus subdita sit: non est enim potestas nisi a « Deo: quae autem sunt, a Deo ordinatae sunt: itaque qui « resistit potestati Dei ordinationi resistit. Qui autem resi- « stunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. = Et v. 5. = « Ideo necessitate subditi estote non solum propter iram, « sed etiam propter conscientiam. = Ad Titum 2. = Admone « illos principibus, et potestatibus subditos esse, dicto obe- « dire. » S. Petrus Ep. 1. c. 2. = Subjecti igitur estote « omni humanae creaturae propter Deum: sive Regi qua- « si praecellenti, sive ducibus tamquam ab eo missis « ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum: quia « sic est voluntas Dei, ut bene facientes obmutescere faciatis « impudentium hominum ignorantiam. » Scilicet ineunte Ecclesia rumor increbuerat imperiis, et potestatibus humanis christianam religionem adversari, qui rumor ex secta Judae, et Galilaeorum Caesaris imperia detrectantium originem duxerat. Cum enim Christus, et Apostoli origine Galilaei habe-

rentur, in ejus calumniam, ut notant interpretes, Christus ipse tametsi lege omni superior didrachma solvit, jussitque reddi Caesari quae sunt Caesaris; ipsique Apostoli et ordinatione Divina potestates constitutas, et principem Dei ministrum esse in bonum, et ejus dictis obediendum constanter docuerunt.

Quare etiam D. Paullus 1. ad Timot. c. 2. praecipit orationes, et obsecrationes fieri pro regibus, et omnibus, qui in sublimitate sunt. Unde christianos vel a primis temporibus, ut notat clarus interpres, pro rege, sive imperatore etiam infideli orare solitos fuisse testes sunt Justinus Apol. 2., Origenes Lib. 8. contra Celsum, Arnobius Lib. 3. contra gentes, Eusebius Lib. 4. Hist. c. 26., ita S. Cyprianus cum ei a praefecto objectum esset, quod ipse tamquam christianus in Caesarem conjurasset, respondit: *Longissime absumus nos christiani ab ista culpa, qui Caesari etiamsi alia sacra, alios Deos colenti, tamen quia princeps noster est, bene cupimus, et precamur, et rogamus Deus nostrum, ut ad cogitationem verorum bonorum adducat.*

Pulchre Tertullianus: *Precantes semper pro omnibus imperatoribus, vitam illis prolixam, imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, senatum fidelem, populum probum, orbem quietum, et quaecumque hominis, et Caesaris vota sunt.*

Haustam ab Apostolicis fontibus doctrinam ecclesiae patres constanter tenuerunt. S. Justinus Apol. 2. *Vectigalia sane, et collationes eis, qui a vobis sunt ordinati exactoribus, prae omnibus ubique inferre contendimus.* Exercendae quoque vindictae in imperatoribus potestatem agnoscit, dum ait: *A vobis autem hoc etiam contendimus, ut eos, qui congruentes ejus* (idest Christi) *decretis, et praeceptis vivunt, tantumque christiani dicuntur, suppliciis coerceatis.*

S. Gregorius Nazianzenus Orat. 17. *Submittamus nos tum Deo, tum aliis, tum iis, qui imperium in terra gerunt: Deo quidem omnibus de caussis; aliis autem propter charitatis foedus, principibus denique propter ordinem, publicaeque disciplinae rationem.*

S. Aug. enarr. in Psal. 125. *Milites christiani servierunt imperatori infideli. Ubi veniebatur ad caussam Christi non agnoscebant nisi illum, qui in caelo erat; quando autem dicebat: producite aciem, ite contra illum gentem, statim obtemperabant. Distinguebant Dominum aeternum a Domino tempo-*

rali, et tamen subditi erant propter Dominum aetérnum etiam Domino temporali.

S. Thomas idem adstruit 1. 2. q. 96. art. 4. Idem luculenter demonstrat Dominicus Soto de justitia, et jure Lib. IV. quaest. IV. art. 1., ubi cum nonnullorum opinionem retulisset, qui dixerunt principes omnes per tyrannidem respublicas obtinere, adversus hanc non opinionem, ut aiunt, sed manifestum errorem, totiusque reipublicae perversionem, contrariam veritatem luce ipsa meridiana clariorem secunda conclusione confirmandam sibi sumit, nempe: « Regiam, imperatoriamque potestatem, caeterorumque principum auctoritatem non hominum esse inventum, sed Dei Sanctissimam « ordinationem. »

Scilicet; = Potestatem civilem Deus per legem naturalem, « quae suae sempiternae participatio est, ordinavit. »

Propositionem probat in hunc modum: « Deus per naturam dedit rebus singulis facultatem se conservandi suisque resistendi contrariis, non modo quantum ad incolumitatem temporalis salutis, verum et per ejus gratiam quantum ad prosperitatem spiritualis. Hanc autem homines facultatem cum exequi commode dispersi nequirent, adjecit eis instinctum gregatim vivendi, ut adunati alii aliis sufficerent. Congregata vero respublica neutiquam se poterat gubernare, hostesque propulsare, malefactorumque audaciam cohibere, nisi magistratus deligeret, quibus suam tribueret facultatem. Nam alias tota congregatio sine ordine, et capite neque unum corpus repraesentaret, neque ea providere posset, quae expedirent. Ergo eadem ratione doctae, divinitusque instructae respublicae, aliae annales consules, aliae alias publicarum administrationum formas sibi instituerunt. Atque eodem jure quaelibet potuit, ac debuit, ubi expedire cognosceret, totam suam potestatem, et imperium in unum regem, qui secundum Aristotelem optimus genere suo est principatus, transferre, ut lege; *Quod principi placuit*, sancitus, penes quem esset summa rerum. Ecce quemadmodam publica civilis potestas ordinatio Dei est: non quod respublica non creaverit principes, sed quod fecerit divinitus erudita. Unde illud Sap. 14. *Tua, pater, providentia ab initio cuncta gubernat:* Per leges naturales intelligendum est tam per illas, quas rebus irrationalibus ingenuit, ut mari, et ventis, quam per illas,

« quas indidit hominibus. Et ideo Paul. ad Rom. 13. Auctoritatem principum non in Rempublicam tantum, sed in Deum ipsum refert. *Omnis*, inquit, *anima etc.* et ad Titum 3. *Admone illos principibus etc.* »

« Neque vero potestates tantum christianorum principum, verum et quae sunt penes infideles a Domino Deo sunt, quia fides naturam non destruxit, sed perfecit, et per illas potestates gubernare possunt plebes in his quae sunt naturalis juris. Sic enim Daniel. 2. legitur Deum Coeli regnum, et imperium tradidisse Nabuchodonosor. Sic et Christus ait ad Pilatum: *Non haberes potestatem adversus me ullam, nisi Tibi datum esset desuper.* Unde etsi in primordiis ecclesiae omnes ferme principes infidelitate tenerentur, praecipit nihilominus Petrus Christianis 1, Pet. 2. ut subjecti essent omni humanae creaturae propter Deum, sive regi, inquit, quasi praecellenti etc. Ex hinc fit, ut lib. 1. qu. 6. dicebamus, principem potestate fungi ferendarum legum, quibus rempublicam coerceat: fitque praeterea, ut non solum singulis reipublicae membris superior sit, verum et totius collectim corporis caput, totique adeo sic eminens, ut totam etiam simul punire valeat. »

Leges porro, quae ab hujusmodi potestate, manant, conscientiam ligare manifestum fit oraculo Apostoli ad Rom. 13. *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit, qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt . . . Ideo necessitate subditi estote non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Merito igitur idem Dominicus Soto lib. 1. qu. VI. art. IV. statuit leges civiles ad culpam obligare, et quidem de genere suo ad mortalem. « Enim vero, ait, sicut reipublicae ecclesiasticae, sic et civili necessaria fuit ratione finis potestas seipsam gubernandi, atque adeo leges pro temporum, regionumque varietate instituendi; licet haec potestas aliter, quam ecclesiastica a Deo defluxerit, illam enim Christus contulit ecclesiae divina lege: haec autem per legem naturae descendit, quia quaelibet respublica seipsam administrandi auctoritatem habet, quam et regibus conferre potuit. Itaque quia respublica civilis familia quoque Dei est, fit, ut sicuti qui contra suas leges proximum offenderit, ad ejus tribunal reus habeatur: qui vero secundum easdem fuerit erga eosdem proximos beneficus, dignus habeatur praemio; sic prorsus et qui leges huma-

« nas per potestatem ab ipso collatam conditas vel violaverit, vel custodierit: et hoc est obligare in conscientia. Sed « confirmatur etiamnum eadem conclusio. Facere contra legem principis est malum morale, ergo peccatum apud « Deum. Antecedens est notum; quoniam si lex justa est, « regula rationis existit, praetergredi autem rationis lineas « obliquitas est, ac subinde peccatum. Consequentia nihilominus inde claret, quod quidquid mali in moribus est, « peccatum existit, ut egregie S. Th. 1. 2. q. 21. disseruit. « Deinde lex humana a naturali derivatur, quae constituit « id, quod generale est in particulari specie virtutis, ut genus pacis ad hoc quod est armis non uti nocturnis. Ergo « leges humanae obligant in foro conscientiae. Ac demum « postremum adhibetur argumentum peculiariter de lege civili. Principis finis licet proximus sit quietus status reipublicae, supremus tamen est sempiterna felicitas, ad quam « temporalis ille finis tendit. Ergo potest suis legibus per « virtutem sibi coelitus donatum in illo supremo foro obligare. » Hactenus Soto.

CAPUT II.

An, et quemadmodum leges humanae ad mortalem culpam obligant.

Quandoquidem leges humanas vim habere conscientiae obligandae vidimus, inquirendum superest quo culpae genere mortali, an veniali se adstringat qui leges humanas transgreditur.

Initio illud generatim cum Soto constituendum videtur legem humanam sive canonicam, sive civilem genere suo ad culpam etiam mortalem obligare. Non tamen in omni legis humanae violatione culpam lethalem inesse ex eo etiam patet, quod leges quaedam naturales, et Divinae nonnisi sub veniali obligant, velut lex naturalis vetans leve mendacium: pariter ob parvitatem materiae leve furtum nonnisi veniale peccatum est. Ex quo proclive est colligere in humanis etiam legibus materiae parvitate fieri posse, ut legis violatio nonnisi venalis sit. Quae ut sine errandi periculo percipiantur, res est distinctis articulis pertractanda.

PROPOSITIO I.

Legis humanae violatio etiam in materia levi, si fit in gravem legis contemptum, peccatum lethale est.

Nam contemptus legis in potestatem ipsam, a qua lex manat, ac propterea in Deum resilit, a quo est ordinatio potestatis. Quare S. Bernard. lib. de praec., et dispens. c. 11 *Elatio contemnentis, atque impoenitentis obstinatio in minimis quoque mandatis culpam facit non minimam, et convertit in crimen gravis rebellionis naevum satis levem simplicis transgressionis.* Idem habet S. Th. 2. 2. qu. 186. art. 9. ubi etiam docet quid sit legem violare ex contemptu: *Tunc*, inquit ad 3., *committit aliquis, vel transgreditur ex contemptu, quando voluntas ejus renuit subjici ordinationi legis, vel regulae, et ex hoc procedit ad faciendum contra legem, vel regulam: quando autem propter particularem aliquam caussam, puta concupiscentiam, vel iram inducitur ad aliquid faciendum contra statuta legis, vel regulae, non peccat ex contemptu, etiamsi frequenter ex eadem caussa, vel alia simili peccatum iteret.* Tunc ergo violatio legis non erit mortalis ratione contemptus, licet aliis de caussis mortalis esse queat. Haud vero praetereundum quod sapienter monet S. Doctor ibid. „ Frequentia „ tamen peccati dispositive inducit ad contemptum, secundum „ illud Proverb. 18. c. 3.: *Impius, cum in profundum venerit peccatorum, contemnit* „ Et sane vix fieri potest, ut non jure ac merito contemptor legis habeatur, qui frequentius in legem peccando, parum se legis auctoritatem vereri aut curare ostendit.

PROPOSITIO II.

Qui legem humanam in materia levi cum gravi scandalo transgreditur, reus fit lethalis peccati.

Neque enim sine scelere potest quis auctor fieri detrimenti, aut ruinae spiritalis proximi, cui per grave scandalum caussam praebet. His vero casibus patet non ratione ipsius legis humanae in materia levi jubentis, aut vetantis, sed ra-

tione adjuncti contemptus, vel scandali violationem legis in mortalem culpam evadere.

PROPOSITIO III.

Quoties lex humana jubet, aut vetat in materia gravi, legis violatio genere suo lethalis est.

Nam legis humanae violatio in materia gravi jubentis, vel vetantis, vergit in grave detrimentum communis boni, gravemque perversionem ordinis, quem lex aeterna, et naturalis conservari jubet, perturbari vetat. Quod sine culpa ex genere suo mortali esse nequit; ut facile declarari potest ex his, quae alibi dicta sunt de peccati mortalis, ac venialis discrimine.

Verum inquirendum superest, quibus momentis illa gravitas, vel levitas aestimanda sit, quibusve argumentis colligenda.

I. Itaque rei gravitas, vel levitas aestimanda est non solum ex materia ratione sui spectata, verum etiam ratione circumstantiarum, maxime vero finis, qui legi propositus est. Sic theologi animadvertunt, licet interdicti materia, quo Deus primis Parentibus vetuerat, ne de fructu arboris comederent, levis per se se videri posset, fuisse tamen ratione finis gravissimam. Eo quippe spectabat, ut hac abstinentia supremum Dei dominium profiterentur, a quo reliqua omnia sibi subjecta fuerant. Ita etiamsi leve quiddam videatur modicissima comestio, qua jejunium naturale frangatur, ejus tamen jejunii violatio ante sumptionem Eucharistiae fit gravissima; quia eo spectat lex ut per id jejunium coelestis cibi excellentia demonstretur, et omne irreverentiae periculum amoveatur. Sic etiam quamvis unius gladii exportatio in finitimam regionem res per se se levis videri posset, nihiliominus spectato fine legis, ne scilicet arma ad hostes deferantur, necessariisve subsidiis civitas destituatur, gravis omnino censenda est. Quia vero subditi saepe causas ignorant, justasque rationes, ob quas leges conduntur, non ideo levem obligationem judicare debent, quia rei praescriptae gravitatem non satis perspiciunt. Etenim, ut docet Augustinus de ver. Relig. c. 11. *In temporalibus legibus . . . . . quando sunt institutae, et firmatae, non licebit de his judicare, sed secundum ipsas.*

Quare omnino pro legis gravitate praesumendum, atque in dubio tutiori parti adhaerendum.

Multiplici porro ex capite materiae, ac praecepti gravitas colligitur. 1. Ex verbis, quibus lex exprimitur, quod praesertim locum habet in legibus canonicis. 2. Ex gravitate poenae, quae in delinquentes statuitur, cujusmodi est il lege canonica excomunicatio, suspensio a Divinis, irregularitas ex delicto: in lege civili poena capitis, carceris, proscriptionis bonorum, gravioris multae etc. 3. Ex circumstantiis, velut si annonae caritate Respublica praecipit subditis frumentum vendere. 4. Ex relatione ad commune bonum. Qua de re cum subditis haud fas sit judicium de lege sibi sumere, standum in dubio pro tutiore, idest pro legis, ac praecepti gravitate.

Quaeritur autem, utrum ex legislatoris intentione lex in materia gravi posita nonnisi ad venialem culpam, et contra lex de re levi ad mortalem culpam obligare valeat.

Ad removendam quaestionis difficultatem non abs re fuerit id referre, quod Sotus habet l. 1. qu. VI. art. IV. *Notandum est discrimen inter ecclesiasticam potestatem, et civilem. Ecclesiastici enim praelati, quia spiritualium judices sunt, possunt leges condere non modo constituendo opera in certa specie virtutis, et vitii, verum etiam discernendo inter mortale, et veniale, atque adeo decernendo transgressionem suae legis esse mortale crimen.* Ex quo intelligi potest quemadmodum fiat ex manifestata intentione, seu declarata voluntate praecipientis, ut nonnulla obligent sub mortali, alia vero, tametsi obligent, communiter tamen nonnisi sub veniali obligare censeantur, ut patet in quibusdam rubricis divisim acceptis, et quae substantiam ritus non attingunt. Sane hoc ipso, quod praecipiens intentionem suam manifestat obligandi ad culpam lethalem, patefacit rei praeceptae gravitatem saltem ex fine, quem sibi proponit; unde revera ob rei gravitatem fit legis violatio lethalis.

Saeculares autem principes, ait Soto, *id nequeunt, scilicet ut leges suae sub culpa veniali, aut mortali serventur, sed tantum constituunt opera in specie virtutis, aut vitii: an vero transgressio, vel omissio mortalem labem transgressori impingat ex rerum natura examinandum est.*

Demum addit: *Leges nunquam ferri consueverunt cum tali accessione: Praecipimus sub reatu culpae mortalis, vel venialis, sed ex operis natura, et gravitate illud est perpendendum. Quo-*

circa fidissima regula est: Omnis lex, quae absolute fertur, hoc est quae contrarium non explicat, obligat ad culpam vel venialem, vel mortalem secundum pretium operis. Et ratio est liquida, quia lex secum affert obedientiae praeceptum: obedientia autem per se est virtus, et inobedientia peccatum. Quo fit, ut quicunque legem ferre voluerint, sive saeculares principes, sive Ecclesiastici praepositi, quae non obligent ad culpam, illud debent explanare, neque aliud potest constitui signum.

Ex quibus inferri potest I. Non repugnare quidem, ut legislator aliquam ordinationem edat, simul declarando nolle se quempiam ea ordinatione ad culpam obligari. Sed ejusmodi ordinatio suasio potius principis, quam vera lex, seu praeceptum haberetur. Nam ubi verum intervenit praeceptum legislatoris, ibi vera emergit in subjectis obligatio parendi. Omnis autem obligationis propriae dictae violatio peccatum est.

II. Quoties proinde princeps legem, seu constitutionem edit, quam servari mandat, ac praecipit, tum hoc ipso, et citra declarationem aliam subditi parere tenentur. Proptereaque si gravis transgressio fuerit, mortalis erit inobedientiae culpa, quin Princeps ullo pacto de obligatione ad mortale, vel veniale cogitaverit.

III. Hinc statim atque lex promulgata est, otiosum foret quaerere, num legislator intentionem habuerit obligandi ad culpam sive mortalem, sive venialem. Nam posita lege statim ex ipsa natura praecepti consurgit obligatio parendi, et si quidem, ut dictum est, gravis transgressio fuerit, mortiferam labem inferet.

IV. Alia ratio est de regulis illis, aut constitutionibus monasticis, quae ad nullam nec venialem quidem culpam vi sua obligant. Etenim istae ordinationes sunt ad perfectionis vitae rationem, et modum pertinentes. Et quamvis ad nullam culpam citra contemptum, vel scandalum obligent; nihil in eo absonum est, ut qui regulam profitentur, ea professione se se obligent ad poenam subeundam, quae regulae violationi adjecta est. Ex quo patet, quemadmodum ea poena juste infligi possit, etiamsi peccatum abfuerit.

CAPUT III.

Utrum Lex humana obliget cum vitae discrimine.

Duae hac de re circumferuntur extremae opiniones. Prima tribuitur Almaino neganti legem humanam vim unquam habere obligandi cum morali vitae periculo. Altera Cajetani ajentis leges humanas quoties ad mortale obligant, etiam cum vitae discrimine obligare. Ad quaestionis explanationem.

PROPOSITIO I.

Ea est vis humanarum legum, ut ad sui observationem etiam cum vitae discrimine, si necesse sit, prorsus obligare valeant.

Etenim in republica est potestas ad sui conservationem, et ad commune bonum procurandum, ut antea probatum est. Porro salus reipublicae, et communis boni ratio interdum postulat, ut aliqua obeantur, quae sine vitae discrimine praestari nequeunt. Id sane patet in bello, cum duces militibus praecipiunt, ut in hostes irruant, aut ne stationem deserant; tum grassante peste, quo tempore praepositorum jussu obligari multi possunt ad permanendum, et revera etiam cum discrimine vitae manere tenentur, ut eorum opera publicae incolumitati consulatur.

Forte quis dixerit in ejusmodi eventu obligationem totam ex lege naturali manare: humanae autem legis non alias partes esse, quam ut cogat ad naturalem obligationem implendam. Verum illud quidem ultro concedimus obligationem naturalem esse in republica, grassante peste, vel bello prospiciendi saluti publicae. Sed haec obbligatio non omnes omnino cives indiscriminatim, et ex aequo afficit: nec lex naturalis determinat quo munere, quo tempore, quo loco, quo modo quisque causae pubblicae inservire debeat. Quod ergo naturalis obligatio ad certas determinate personas applicetur, eisdemque et proprium munus, et obeundi muneris tempus, locus, ratio praescribatur, id vero legis est humana lege, ac potestate praescripta sunt, quisque teneatur etiam cum vitae discrimine.

PROPOSITIO II.

Non semper leges humanae cum tanto discrimine obligant.

Spectant quippe leges in bonum commune, idque propositum habent, ut Civium saluti, incolumitati, concordiae prospiciant. Porro ab eo fine aberrarent, si ob quodlibet minimum lege praescriptum cives ipsos certo discrimini objicere non dubitarent: v. g. quando publici boni causa velut ad faciliorem mercium comportationem, publica opera, velut viae reficiendae imperantur, jubenturque homines alicujus pagi statuto die lapides, et ligna conferre; si eo tempore interjectum flumen exundet, nec sine gravi periculo trajici valeat, nemo profecto dixerit homines illos teneri ad praescriptum munus obeundum tanto se periculo committere. Neque id leges intendunt.

Hic vero regula opus est, qua dignoscatur, quando legi humanae sit cum periculo quovis obtemperandum, quandove gravissimum periculum ab ea servanda eximat. Rem explicant praestantes Theologi sequenti propositione.

PROPOSITIO III.

Tum maxime, ac per se lex obligat cum periculo vitae, cum actum praecipit, cui ex natura rei conjunctum sit mortis periculum.

Id vero patet cum superiore propositione, tum exemplis allatis. Quod si mortis periculum non est per se conjunctum actui, qui praecipitur, lex humana generatim non censetur obligare cum tanto periculo; tametsi etiam in aliquo eventu obligare possit ex accidente, ut postea etiam dicemus.

Quod autem lex humana generatim non censeatur obligare cum mortis periculo, dum ea praecipit, quibus ex natura rei nullum ejusmodi periculum conjunctum est, id eo colligitur, quod leges civium salutem, et incolumitatem sane propositam habent. Cum ergo lex ea praecipit, quae communiter praestari possunt sine gravi periculo, si quod tempus incidit, quo id ipsum praestari nequeat sine periculo vitae, merito lex censetur malle civem servari.

Atque hoc ipsum illustrari potest ex ipsa lege naturali, nam praecepta ejusdem legis, quae dicuntur affirmantia, non semper obligant cum vitae periculo. Lex naturalis jubet depositum reddi; non tamen obligat ad reddendum gladium, quo tempore qui gladium redderet, in vitae amittendae periculum se se conjiceret. Neque lex naturalis de stipe indigentibus impertienda eum adstringit, qui unicum panem habet, quo vitam suam sustentet: non quod lex naturalis mutetur, aut relaxationem ullam patiatur, sed quia lex naturalis vult in officiorum conflictu majus bonum anteponi minori. Cum ergo eo casu propriae vitae conservatio majus bonum sit, quam praesens alieni depositi redditio, debet ille potius vitae suae consulere: neque propterea fit injustus; quandoquidem non retinet depositum animo sibi usurpandi. Similiter aequum est caeteris paribus unumquemque ante vitae suae prospicere, quam alienae, nisi aliter postulet publici boni ratio; non ergo injustus nec immisericors qui panem sibi servat, quia praeceptum eleemosynae copias eas respicit, quae necessitati supersunt.

Praecepta quidem negantia, seu vetantia legis naturalis nullo unquam tempore, nullave de causa praeteriri possunt, quia quod suapte natura malum est neque ad vitam redimendam fieri unquam debet. Licet vero quod praceptis affirmantibus legis naturalis praescribitur, suapte natura bonum sit, non tamen ad id praestandum omni tempore, et ad omnem veluti temporis articulum indiscriminatim obligant, ut constat apud omnes.

Idem proportione dicendum de legibus positivis, nec de affirmantibus tantum, sed etiam de negantibus. Quandoquidem quod legibus positivis dumtaxat prohibetur non est suapte natura malum, sed tantummodo malum quia prohibitum; ut proinde minime repugnet, id ex ipsamet legis voluntate fieri licitum, cum sine gravissimo detrimento lex servari nequit. Cujus rei exempla suppeditat lex ipsa divina positiva. Sic David necessitate cogente panes propositionis comedit, quos alioquin non licebat ei per legem comedere; quo exemplo Christus discipulos excusavit, qui die Sabbati spicas vellebant.

Idem locum habet in legibus canonicis; neque enim jejunii praeceptum infirmos adstringit, qui sine gravi salutis incommodo jejunare non valent: nec isdem diebus festis assistere Sacris tenentur, ut alia multa praeteream.

Quamvis tamen officio, quod lege humana praescribitur, nullum suapte natura conjunctum sit vitae discrimen, adhuc tamen contingere potest, ut legis servandae causa certum etiam periculum adiri omnino debeat 1. Cum magni refert ad religionis vel reipublicae bonum, ut id fiat quod lege praescribitur: nam ubi religio, vel salus reipublicae periclitatur, tenetur unusquisque proprio etiam periculo commune periculum depellere. 2. Si transgressio legis in contemptum sacrae, vel publicae potestatis redundaret: quippe ad eum contemptum vitandum, utpote ex sese malum, naturali lege quisque adstringitur. Hinc David fame compulsus non dubitavit panes propositionis comedere; quippe non aliter cogenti necessitati satisfacere poterat, omnisque inde contemptus aberat. Contra senex Eleazarus mortem potius perpeti maluit, quam immundis carnibus vesci, eo quod illud ipsum ab eo tunc in religionis contemptum exigebatur. 3. Si ex transgressione legis grave pusillorum scandalum prudenter timeatur, tum etiam cum vitae jactura prorsus lex servanda; quam rationem Eleazarus attulit, cum ad simulandam saltem transgressionem invitaretur.

Ex his merito concludi potest regulam non consistere a Cajetano allatam, scilicet legem humanam quoties ad mortale obligat, toties etiam cum vitae discrimine obligare. Etenim notum est jejunii legem ad mortale obligare, nec tamen obligare cum gravi mortis periculo. Equidem verum est unumquemque teneri mortem potius oppetere, quam se lethali culpa obstringere, imo debet quisque potius mortem sustinere, quam venialem culpam admittere. Quocirca si Cajetani regula valeret, dicendum foret legem obligare cum vitae discrimine, quoties ad veniale obligat. Porro nulla est lex proprie dicta, quae non ad aliquam culpam obliget; ex quo sequeretur omnem legem indiscriminatim cum vitae discrimine obligare. Sed in hoc non vertitur disputationis cardo, utrum quis debeat mortem oppetere potius quam ullam vel levem culpam admittere. Constant enim satius esse mori, quam peccare. Sed hoc demum quaeritur, num lex, quae citra grave periculum ad peccatum obligaret, adhuc obligare censeatur in eo discrimine. Illudque ipsum est, quod Cajetanus non probat, cujusque oppositum satis patet ex dictis.

Argumentum sane Cajetani potissimum istud est, non licere instante etiam mortis periculo contrahere matrimonium

lege humana irritum: ex quo concludit legem humanam ob camdem rationem semper obligare cum periculo vitae.

Verum respondemus matrimonium posito impedimento dirimente citra Sacramenti contemptum, et injuriam contrahi non posse. Etenim cum Sacramentum in contractu valido firmetur, si contractus ob impedimentum humana etiam lege inductum nullus est, irritum erit Sacramentum, atque adeo illo contrahendo fiet injuria rei sacrae; quod nusquam licet, nullave de causa.

CAPUT IV.

Utrum ut Leges humanae valeant requiratur acceptatio populi.

Ita olim censuerunt doctores nonnulli ducti ex eo, quod habetur apud Gratianum leges constitui, cum promulgantur; firmari autem, cum moribus utentium approbantur: tum l. de quibus §. de leg. *Ipsae leges nulla alia de causa nos tenent, quam quod judicio populi receptae sunt.* Demum Aristoteles ipse lib. 2. Polit. cap. 6. legem ait vim non habere, nisi ex more, et consuetudine.

Verum quaestionis enodatio pendet ex triplici forma regiminis, quae distingui solet. Enim vero in regimine democratico, quale olim in romana republica viguit, magistratus legem condendam proponebat, populumque rogabat notissima verborum formula, ut eam suo assensu, seu potius jussu comprobaret: quod si populo probabatur, ab eodemque recipiebatur, tum lex lata, et condita censebatur.

Cavendum porro, ne hic etiam ambiguitas aliqua irrepat; aliud est enim quaerere utrum ad legem ferendam requiratur acceptatio, seu potius consensus populi, an posteaquam lex a potestate legislatrice latà est, aliam praeterea populi acceptationem requirat, ut vim obligandi obtineat.

Primum quidem locum habet in regimine democratico, in quo publica legislatrix potestas penes populum est. Enim vero in tali regimine magistratus, qui legem proponit, est veluti consiliarius populi, facultatem habens rogandae legis, non ferendae. Cumque populus legem a magistratu propositam, et rogatam suffragio suo comprobavit, seu acceptavit, ac valere jussit, tum proprie lex lata intelligitur, quia in tali

regimine solus populus potest legem ferre, utpote solus legislatrice potestate praeditus. Unde in eo regimine legem a populo acceptari unum, idemque est, ac legem ferri, seu constitui.

Atque id quidem locum habuit aliquando in romana republica, ut merito dici potuerit, ea tantum de caussa leges tenere, quod judicio populi receptae sint. Posteaquam vero suprema potestas a populo ad imperatores translata est, tum istorum constitutiones vim eamdem obtinere coeperunt, quam pristinae leges, quae omnium ordinum jussu latae fuerant: quare jura etiam declarant, quod principi placuit, id habere vigorem legis.

Legis proinde vigor omnis ex eo pendet, quod lex ab eo feratur, qui suprema potestate pollet, sive ab ipsa communitate in regimine democratico, sive ab optimatibus in aristocratico, sive a principe in monarchico; vel, ut in mixtis quibusdam regiminibus accidit, a principe, et comitiis simul, eo quod in illa mixta regiminis forma suprema potestas in illis simul resideat. Sit itaque

PROPOSITIO.

Posteaquam lex a suprema potestate pro diversa regiminis forma lata, et promulgata est, eo ipso vigorem suum obtinet, nec ullam requirit acceptationem ab institutione distinctam, ut obligare intelligatur.

Propositio facile demonstrari potest ex his, quae de potestate publica superius disputata sunt. Quippe demontravimus, potestatem publicam ad reipublicae incolumitatem, et quietum statum necessariam prorsus esse; proindeque hujusmodi potestatem cuique reipublicae lege naturae, seu inductione ac divina ordinatione cohaerere. Non tamen necessarium est, imo nec saepe opportunum, aliquando etiam nec fieri potest, ut ea potestas in tota communitate tamquam in proprio subjecto insit, tumque vel in optimatibus, vel in uno principe insit oportet, qui totius communitatis curam gerat. Ejus porro potestatis sive in tota communitate, sive in optimatibus, sive in uno principe resideat, vis una, eademque permanet.

Etenim in quoque politiae genere illud maxime societa-

lis humanae interest rempublicam certo quodam ordine contineri; idque proprium munus, et officium est eorum, qui publica potestate reipublicae praesunt. Ex quo sequitur iis etiam omne ad juris competere, quod ad id munus, et officium praestandum necessarium est. Jam vero nil aptius, nil bono regimini conducibilius, quam rempublicam legibus regi, et administrari. Est ergo munus, et officium eorum, qui publica potestate praesunt, subjectos consentaneis legibus ad commune bonum ordinare. Quod si ex officio debent, ergo jure possunt. Quod si jure possunt, ergo subiecti parere debent. Quippe jus, et obligatio velut correlata sibi mutuo respondent.

Hinc vel in ipso regimine democratico, posteaquam lex legitimis suffragiis lata est, non aliam acceptationem requirit, ut valere incipiat. Sane in omni fere democratia non omnes indiscriminatim cives ad ferendum suffragium in publicum consilium admittuntur; sed praefinita saltem aetas requiritur: in multis nec ipsa minuta plebs admittitur, nihilominus statim atque lex legitimis suffragiis lata est, omnes tamen indiscriminatim obligat sive qui per aetatem, sive qui de aliis causis suffragium non tulerunt, aut ferre non potuerunt, nec debuerunt: neque istorum ad legis vigorem acceptatio ulla requiritur. Quod si publicum consilium in democratia reliquos vel cives, vel subjectos, mulieres certe obligat, quae nullo pacto ad publicas deliberationes admittuntur, idque citra ullam istorum acceptationem; cur non eodem jure illud ipsum aestimabimus de legitimo optimatum consilio in aristocratia, de supremo principe in monarchia?

Atque rem quidem ita se habere prorsus necesse est ad ordinatum, et pacificum civitatis statum, qui finis est societatis civilis, finisque proinde, ac mensura publicae potestatis. Enim vero ut pseudophilosophus sociali hominum vitae maxime infensus agnovit, multitudo bonum capit, sed non cernit. Quo fit, ut leges multitudinis bono summopere adversantem habuerint, prout innumerabilibus exemplis demonstrari posset. Si ergo multitudinis acceptatio expectanda foret, anteaquam lex vigorem nancisceretur, quisque se parendi obligatione solutum existimaret, usque eo dum de legis acceptatione sibi liquido constaret: et si quidem aliquos obmurmurantes audiret, legem non esse acceptatam facile sibi persuaderet, et in paullo latiore regno, vel republica semper aliqua

dubitandi ratio suboriretur, quae multum de necessaria legis firmitate detraheret.

Jam ad id, quod ex Gratiano depromptum est, quodque perperam tribuitur Augustino, facilis est, et expedita responsio: nimirum leges hoc ipso institui, quod publica auctoritate promulgantur; firmari autem, non quidem quoad vim obligandi, sed quoad firmam earumdem observationum cum moribus utentium approbantur, idest in usu habentur. Etenim notum est leges tum facilius, et constantius servari, cum longa consuetudine in morem, ac naturam veluti transierunt. Eademque est Aristotelis mens, qui eo loco minime de lege disserit quoad vim obligandi, sed de ipsa veluti legis efficacitate ad flectendos animos, qua fit, ut illi revera, et actu obtemperetur. Hanc autem vim ex consuetudine, et usu magna ex parte philosophus repetit.

Neque vim habet quod alii opponunt, legis obligationem desinere, statim atque in desuetudinem abiit: ex quo concludere sibi posse videntur, si desuetudo vim legi adimit, eidem vim, et robur utentium moribus, et acceptatione conciliari. Nam cum lex contraria consuetudine vigorem amittit, id ex eo fit, quod cum legislator contrariae, ac publicae consuetudini non obsistit, ei consentire saltem tacite videtur, ac illo tacito consensu legem ipsam tollere; ut postea suo loco latius dicetur.

CAPUT V.

Utrum ferendarum legum potestas pendeat a fide, et moribus.

Donatistae olim putarunt morum sanctitatem episcopo adeo necessariam esse, ut episcopus malus desineret esse verus episcopus. Donatistarum errorem non innovavit modo, verum et auxit Joannes Vicleffus, cujus hic articulus damnatus est in concilio constantiensi: *Nullus est Dominus civilis, nullus est praelatus, nullus est episcopus, dum est in peccato mortali:* hunc secutus est Joannes Hus damnatus in eodem concilio, et alii deinceps haeretici.

Perniciosissimus error sacrarum literarum auctoritate, rationeque manifeste refellitur. Sane dominium civile a Deo Auctore naturae proficiscitur, ut ante demonstratum est;

quippe regimen civile ad socialis vitae ordinatam concordiam refertur. Non ergo pendet ex fide, quae ordinis est supernaturalis. Et quamquam par sit optimis moribus, omniumque virtutum ornamentis eos praecellere, qui aliis praesunt, non inde sequitur illos auctoritatis gradu excidere, quam legitime adepti sint, si minus vitae integritas dignitatis amplitudini respondeat. Quin si qualibet mortali culpa jus imperandi concideret, nil stabile, nil firmum in humanis imperiis diu permaneret, omnesque respublicae continenter in ea rerum perturbatione versarentur, cujus vitandae caussa potestates a Deo sunt ordinatae. Quare etiam et Josephum, et Danielem infidelium regum administros fuisse legimus. Quin Daniel sic alloquitur regem Nabuchodonosor cap. 2. *Tu rex regum, et Deus Coeli regnum. et fortitudinem, et imperium es: et gloriam dedit tibi.* Quod si principes infideles jure dominii potiuntur, cur non et fideles, tametsi malis moribus, aut lethalibus culpis contaminati? Nec enim David lapsus in peccatum regnum, aut dominium amisit, nec Salomon ipse ex lascivia in impietatem delapsus: nec potestate sua exciderunt alii reges, quorum vita pessima in sacris literis memoratur. Sane apostoli fideles instituebant, docebantque parere potestatibus, quo tempore qui rebus humanis praeerant a fide, vitaeque castimonia, et bonis moribus longe aberant. Sic D. Petrus 1. c. 2. *Subjecti igitur estote omni humanae creaturae propter Deum sive regi quasi praecellenti, sive ducibus tamquam ab eo missis etc.* Et deinceps: *Servi subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis, et modestis, sed etiam dyscolis.*

Quod autem Oseae 8. de malis regibus dicitur: *Regnaverunt, et non ex me*, sic videtur esse intelligendum, non quod illi non veri Reges essent, aut non haberent a Deo potestatem, qua regnabant, sed quod non secundum Dei voluntatem regnarent. Aliud enim potestas est, aliud usus potestatis. Potestatem a Deo esse docet Apostolus: et Proverb. 8. dicitur: *Per me Reges regnant:* itaque in malis Regibus potestas a Deo est, pravus potestatis usus ex Deo non est.

Spiritalis etiam, et Canonica potestas non ministrorum sanctitati, sed Cathedrae ipsi, ac visibili ministerio rite in Ecclesia suscepto cohaeret. Christus ipse Math. 23. ait: *Super Cathedram Moysi sederunt Scribae, et Pharisaei; omnia ergo quaecumque dixerint vobis servate, et facite: secundum opera*

vero eorum nolite facere. Et sane ut Christus visibilem Ecclesiam, ita et visibile in ea Pastorum ministerium esse voluit; unde et ab Apostolicis temporibus sacrae ordinationis, manumque impositionis ritu constitutos esse legimus, qui Apostolis in spiritali regimine succederent. Ut ergo non ex interiore sanctitate oritur illa Regiminis potestas, ita nec improbitate amittitur. Secus legitimi Pastores ab illegitimis nulla satis visibili nota distingui possent, quod Ecclesiae institutioni manifeste adversatur.

DISPUTATIO V.

De subjecta Legibus materia.

Quandoquidem lex est humanarum actionum regula, ut ex legis definitione constat, consequens est non aliam legi subjectam materiam intelligi posse, nisi facta humana, sive humanos actus, quatenus ad bonum commune, honestumque dirigendos. Materia proinde legis illud omne dicetur, quod faciendum, vel praetermittendum est ex legislatoris imperio, ut finis legi propositus obtineatur.

Merito itaque illud primum axioma statuitur, legem omnem in materia honesta, et possibili versari oportere.

Et quidem actus humani ex natura sua in triplici sunt differentia, nimirum aut boni, aut mali, aut medii, seu indifferentes. De quibus jam quaerendnm, quemadmodum legibus humanis aut praecipi, aut vetari intelligantur.

CAPUT I.

An legis humanae sit omnes vitiosos actus prohibere.

Lex naturalis, ut diximus, omnes natura sua vitiosos actus prohibet: nam quod suapte natura vitiosum est, illud intelligitur, quod rectae rationis ordini repugnat; quod autem rectae rationis ordini repugnat, illud ipsiusmet rectae rationis dictato, et praescripto, seu lege naturali prohibetur, ac reprobatur, ex quo fit consequens, quoties officium virtutis omitti nequit, quin recta ratio laedatur, toties eum virtutis actum lege naturali omnino praecipi.

Ad leges vero humanas quod attinet, ea proferemus, quae communi Doctorum consensione traduntur.

PROPOSITIO I.

Haud par est Legibus humanis omnia prorsus vitia, et peccata vindicari, et cohiberi.

Etenim, ut recte animadvertit S. Thomas, lex accommodata esse debet conditioni eorum, quibus imponitur. Jam vero multitudo, quae humanis legibus regitur, ejus conditionis est, ut in ea non plurimi ea virtute praediti reperiantur, a quibus prudenter expectari, sperarique possit eas leges servatum iri, quae omnia prorsus vitia vindicarent. Cum ergo leges communi hominum infirmitati attemperare se se debeant, haud par est omnia vitia, et peccata legibus humanis cohiberi.

Sane id in primis legistatori propositum esse debet, ut quae leges constituuntur rite, sancteque serventur: nil enim tam obest optimo regimini, quam latarum legum neglectus, et contemptio: id autem Legislator non consequetur, si a multitudine requirat, quod vix speres a viris perfecta virtute praeditis. Quare sapienter S. Augustinus lib. 1. de lib. arb. cap. 5. hanc sententiam approbat: Legem istam, quae regendis civitatibus fertur, recte multa concedere, atque impunita relinquere, quae per Divinam Providentiam vindicantur.

Id vero potissimum contingit, cum ex minoris mali coercitione majora mala, et scandala suboritura prudenter timentur, ac praevidentur. Cujus rei judicium ex locorum, temporum, morum varietate, et conditione petendum est, magnamque in Legislatore prudentiam desiderat; nec debent privati velle de causis judicare, quibus in ea aestimatione legislatores permoventur.

Hinc vero patet a recta sentiendi ratione abesse, sive qui Magistratum reprehendere non verentur statim atque vident quidquam publice tolerari, quod aliquam mali speciem praeseferat; sive qui concludunt semper id licitum, atque honestum esse, quod publice toleratur. Enim vero, ut animadvertit Augustinus, leges humanae quandoque recte multa concedunt, quae per Divinam Providentiam vindicantur, igitur vir probus sic existimabit magistratum recte se gerere, dum

ea concedit, quae pro rerum conditione recte concedi possunt, simul tamen privatim sibi abstinendum esse ab iis rebus, quae per Divinam providentiam vindicantur.

Grotius ipse de jure belli, et pacis lib. III. c. IV. probe notavit hujus vocis *licere* non unam, eamdemque esse significationem. Interdum enim id licere dicitur, quod rectum ex omni parte, piumque est, etiamsi forte aliud quid fieri possit laudabilius. Sic, inquit, licet matrimonium contrahere, sed laudabilior ex pio proposito caelebs castitas, ut ad pollentium ex Apostolo tradit Augustinus. Alias vero licere aliquid dicitur, non quod salva pietate, et officiorum regulis fieri potest, sed quod apud homines poenae non subjacet. Eoque sensu opponi videmus quod licet, et quod oportet; ut apud Ciceronem pro Balbo: Est aliquid, quod non oporteat, etiamsi licet.

Tria porro sunt peccatorum genera, quae in primis par est legibus humanis vindicari, et coerceri. 1. Ea, quae Reipublicae statum, ordinem, et pacem labefactant, velut proditiones, conjurationes in publicam potestatem; tum homicidia, furta, et alia, quae justitiam commutantem laedunt, et mutuam civium cum civibus communicationem evertunt. 2. Ea vel maxime, quibus Supremi Numinis Majestas impie laeditur, ac violatur. Neque audiendi profani, qui dicere non erubescunt hominum non esse, illatas Deo injurias velle ulcisci. Nam, ut vel gentilis Philosophus Tullius probe animadvertit, pietate adversus Deum sublata necesse est fidem, justitiam, et universam generis humani Societatem concidere, quocirca magni interest vel ad ipsam reipublicae temporalem salutem, et incolumitatem petulantia ingenia coerceri, qui religionem firmissimum societatis vinculum, et munimentum dictis, auct factis impetere non verentur, qua in re initiiss potissimum obsistendum est. 3. Ea nefanda scelera, quae turpi velut flagitii dedecore humanam naturam commaculant, quaeque ad corruptissimam morum licentiam reipublicae omni exitiosissimam aditum, et exemplum praebent.

Hic vero cum Dominico Soto notandum, non quo graviora sunt coram Deo peccata, eo etiam gravioribus poenis per leges humanas coerceri, sed quo magis incolumitati, pacique reipublicae adversantur. Neque hic locus est caussas omnes memorare, ob quas modo gravius, modo mitius malefacta puniuntur.

CAPUT III.

An Legis humanae sit omnes omnium virtutum actus praecipere.

Disputationem triplici propositione complectemur.

PROPOSITIO I.

Rectissime Legibus humanis ea virtutum omnium officia praecipiuntur, quae ad bonum commune propius spectant; adeo ut sine illis haud satis provisum esset republicae.

Is quippe finis est humano regimini propositus, e quo praecipiendarum, vel vetandarum rerum norma, et regula peti debet. Tametsi vero illa officia pleraque sive ex natura rei, sive ob communis boni rationem ad legem naturalem pertinere viderentur, opportunum adhuc est, et quandoque necessarium ad legis naturalis praescriptum humanae sanctionis vim accedere, ut ad ea implenda officia efficacius inducantur.

PROPOSITIO II.

Non tamen omnia omnium virtutum officia humanis legibus praecipi convenit.

Probatur eadem ratione, qua superiore capite demonstratum est haud par esse omnia omnino vitia, et peccata humanis legibus vindicari, et coerceri; quae ratio hic majus momentum habet. Scilicet consentaneum est leges communi hominum conditioni attemperari. Non feret autem humana conditio, ut quae sunt in virtutem officiis admodum ardua, ea communiter a tota multitudine sperari queant. Tum ergo solum difficiliora praecipi poterunt, cum ad reipublicae salutem necessaria videbuntur.

Hinc ad ea; quae sunt consilii, tota multitudo nullo praecepto adstringi potest. Sed ea ipsa rectissime imponuntur iis, qui se se peculiari statui dedicant. Sic caelebs vita, quae universae multitudini praecipi non posset, recte illis praecipitur, qui sacris initiari petunt.

PROPOSITIO III.

Actus etiam suapte natura honesti legibus humanis pro temporis, ac loci ratione, proque aliis adjunctis ad commune bonum pertinentibus, quandoque quoad exercitium limitantur, et coercentnr.

Id vero jure suo leges humanae sibi sumunt. Etenim officia virtutis tum maxime e virtute esse intelligimus, cum loco, ac tempore congruo, aliisve debitis circumstantiis exerceantur; quae quidem omnia legibus humanis determinari quandoque opus habent. Hinc licet praestantissimum opus religionis sit in sacerdote Missae Sacrificium peragere, lege tamen Canonica cantum est, ne Feria Sexta Parasceve opus illud religionis exerceatur. Sic etiam licet liberalitas virtus sit excellentissima, legibus tamen civilibus donationes quaedam liberales vetantur. Nam, ut dictum est, officia, quae ex objecto ad virtutem aliquam referri videntur, revera non pertinent ad illam virtutem, nisi certa quadam forma, ratione, et modo exerceantur: quae si desunt, actus non amplius virtutis erit, siquidem bonum ex integra causa. Hanc autem fungendi officii rationem, formam, tempus, locum, modum, leges humanae quandoque praescribunt: tumque si actus licet ex objecto honestus praeter hujusmodi praescriptum exerceatur, jam ex circumstantiae defectu non bonus, sed malus censendus erit.

CAPUT III.

De actibus mediis, seu indifferentibus.

PROPOSITIO I.

Actus suapte natura medios, seu indifferentes legis humani praecipi vel prohiberi consentaneum est, prout bono regimini, publicisque commodis prodesse possunt, vel obesse.

Sic suapte natura indifferens est, ut quis noctu per urbem ambulans lumen praeseferat; quia tamen hoc ipsum ad praecavanda pericula, atque adeo ad urbis, et civium secu-

ritatem valere potest, merito legibus humanis praecipi poterit. Quae ratio ad alia pene innumerabilia nulla negotio transferetur.

PROPOSITIO II.

Multa sunt, quae naturali Lege generatim quidem praescribuntur, sed quorum modus, et ratio jure quandoque determinatur per conditiones positivas naturali legi superadditas.

Sic ad virtutem temperantiae, aut etiam poenitentiae vi sua, seu ex natura, et essentia rei, ut vocant, non pertinet, ut una tantum diurna comestione qui utatur. Sed quia temperantia, et poenitentia vi sua moderationem quamdam requirunt, modus, et ratio peculiaris ejus abstinentiae, ac moderationis determinatur Ecclesiastico praecepto jejunii. Quod idem valet de plerisque aliis, quae sive canonica, sive civili lege praescribuntur.

PROPOSITIO III.

Cum opus ex natura sua honestum, vel indifferens legislatoris, et instituto in aliud quoddam virtutis bonum ordinatur, tum illud opus humana lege praescriptum honestatem induit ejus virtutis, ad quam refertur.

Sic abstinentia a carnibus die Veneris vi praecepti Ecclesiastici refertur ad virtutem temperantiae, et propter eamdem rationem cessatio ab operis servilibus diebus Festis evadit Religionis officium: proinde qui aut die Veneris carnibus vescitur, aut festis diebus operis servilibus incumbit, iis infringendis praeceptis adversus temperantiam, aut adversus Religionem peccare censetur.

Ex quo illud intelligitur, quod frequenter Theologi docent per leges humanas, dum aliquid praecipiunt, constitui, ac determinari medium illud, quod ad virtutis rationem magnopere pertinet. Notum est ex. gr. temperantiam in certa quadam mediocritate, seu moderatione versari, quae medium locum tenet inter excessum, et defectum, seu inter nimium, et parum, nec tamen illa moderatio vi sua aut unam tantum comesturam, aut omnimodam a carnibus abstinentiam

prorsus requirit, quippe potest temperantia in victu consistere, etiamsi quis plus una vice in die comedat, aut in victus ratione moderate carnibus utatur. At vi Ecclesiastici praecepti efficitur, ut moderata victus ratio ad unam comesturam, et ad abstinentiam a carnibus adstringatur. Quod exemplum una in re positum ad alia facile transferri potest.

Atque hinc proclive est intelligere quemadmodum fiat, ut legislator humanus jubendo, vel vetando, certa quaedam opera in ratione virtutis, vel vitii constituat, prout ante ex Soto vidimus: Scilicet indicata lege facit legislator ut opus, quod vi sua rationem virtutis, aut vitii non habebat, jam ad rationem virtutis, et vitii pertinere incipiat; ut patet exemplo cessationis ab operis servilibus die festo, vel esus carnium die Veneris. Nam etsi nullum suapte natura peccatum est moderate vesci carnibus, tamen qui hac re praeceptum Ecclesiae infringit, peccat adversus temperantium.

Quod quidem non solum praestat lex Canonica, verum etiam lex Civilis, quemadmodum declarat Sotus loco laudato: « Exempli causa, inquit, praecipit rex tempore famis « frumentum non asportari a regno, aut tempore instantis « belli arma indui. Constituit ergo illa opera in specie obe« dientiae, et fortitudinis . . . quod si praecipit sericis non « indui, incipit esse temperantiae virtus, aut non ferre ar« ma, quod jam inde est virtus pacis. »

Hac doctrina consentaneum est proinde fideles imbui, ut discant, quod multi ne suspicantur quidem, obtemperando legibus Civilibus, non obedientiam tantum, verum et alias morales virtutes exerceri, quae ad Christianae vitae institutionem pertinent.

CAPUT IV.

Utrum actus interiores humanis Legibus subjiciantur.

Non eo pertinet quaestio, ut disputetur num implendo praecepto interior obedientia cum externo actu conjungi debeat. Etenim justitia legalis postulat; ut legibus in bonum commune positis ex animi sententia pareamus. Estque legis naturalis dictatum, ut non solum fiant quae justa sunt, sed et juste fiant.

Verum illud disputatur, num actus interiores prout ab exterioribus sejuncti legum humanarum sanctioni obnoxii esse queant, potissimum vero quaestio de lege Canonica instituitur. Nam Civiles leges ad politicum regimen pertinentes externa, et patentia officia, quibus humana societas colitur potissimum respiciunt: quibus tamen, ut dictum est, legis naturalis praescripto parendum est ex animi sententia, adeo ut interior obedientia cum exteriore officio consentiat.

Ad quaestionis explicationem notandum est interiorem actum duplici ratione spectari posse, vel ut mere interior est, vel ut cum externo cohaeret, ac nectitur. Atque hic nexus multiplici ex capite oritur. 1. Quatenus interior actus cum externo conjunctus esse debet, ut in genere moris talis esse intelligatur, qualis nominatur. Sic mentis attentio aliqua, saltem quae virtualis dicitur, cum externa precatione conjunctam esse debet, ut haec vera oratio esse censeatur, adeoque illam in genere moris naturam, et qualitatem habeat, quae per id nomen significatur. 2. Quatenus interior actus se habet instar dispositionis ad actum externum rite obeundum, sicut peccati detestatio ad rite confitenda peccata. 3. Quatenus interior actus finis est, ad quem exterior refertur; ut cum Ecclesia precationes indicit impetrandae, et conciliandae pacis gratia inter Christianos Principes: adeo ut qui precaturus accedit, eum sibi finem praestituere debeat. 4. Quatenus interior actus per externum manifestatur, velut cum interior haeresis pravitas per dicta haeretica se prodit. Atque actus interiores ejusmodi Ecclesiae praecepto, judicio, ac censurae subesse nemo pius negaverit. Etenim Ecclesia regimen ad salutem animarum spiritualemque profectum potissimum institutum est. Ob id Petro cura demandata est pascendarum ovium, et Episcopi positi sunt regere Ecclesiam Dei. Jam vero fideles ad pietatis fructum dirigi haud possunt, nisi praescripta Religionis munia religiose obeant, atque adeo actus interior cum exteriore consentiat.

Quod vero attinet ad interiores actus, qui nullo nexu cum exterioribus cohaerent, tametsi non desunt praestantes Theologi, qui hos etiam, si non censurae saltem praeceptioni legis Ecclesiasticae subesse putant, communior tamen sententia eos a legis humanae vinculo, et judicio prorsus eximit. Cui sententiae suffragari videtur Benedictus XIV. de Syn. Dioeces. l. 9. c. 4. art. 4.: *Ecclesia autem sicut non potest per*

se directe, et immediate praecipere, aut prohibere actum mere internum juxta communem Theologorum sententiam . . . . ita non potest haeresim, quae in exteriorem actum non prodit, censura perstringere.

Et sane si quis ad legis vim, et notionem animum intendat, comperiet de his legem ferri, quae Legislatoris cognitioni, judicio, et vindictae subesse possunt. Sunt enim haec munera legis propria, ut antea vidimus, praecipere, prohibere, permittere, punire. Actus autem mere interior Legislatoris humani cognitioni, judicio, et censurae subesse nequit. Ergo actus mere interior per se, et immediate ab humano Legislatore praecipi, nec prohiberi potest.

Huic Sententiae contrariam esse ajunt nonnulli praxim Ecclesiae, *quae internos modo praescripsit actus, modo lege prohibuit.* Ita inter ceteros Colletus. Id vero persuadere posse putant Propos. X. damnata ab Innocentio XI. *Non tenemur proximum actu interno diligere.*

Sed hoc argumentum prorsus alienum est. Etenim Pontifex propositionem damnans non tulit legem Canonicam, qua quisque teneatur proximum actu interno diligere. Quippe dilectio proximi non Ecclesiastico, sed naturali, ac Divino jure praecipitur. Quare Pontifex ea damnanda propositione non novum jus constituit, sed errorem Divino jure adversum notavit, ac reprobavit.

Afferuntur etiam Michaelis Molinos propositiones damnatae: *Praepositis obediendum est in exteriore; et latitudo obedientiae voti Religiosorum tantummodo ad exterius pertingit.* Et altera: *Risu digna est nova quaedam doctrina in Ecclesia Dei, quod anima quoad internum gubernari debeat ab Episcopo.*

Verum cum Molinos ait praepositis obediendum in exteriore, satis manifeste interiorem obedientiam ab exteriore officio sejungit, quasi satis esset manum ad opus admovere, tametsi mens intus refragetur. Id vero jam absonum est, ut satis convincitur ex dictis. In eo vero quod ait vota Religiosorum tantummodo ad exterius pertingere, quasi actus interiores voveri non possent, in eo, inquam, errat manifeste. Votum enim promissio est, quae Deo fit de meliori bono, quae promissio actus etiam internos complecti valet, utpote qui Dei cognitioni, ac judicio plane subsunt. Neque minus abhorret a sana doctrina quod altera propositione con-

tinetur. Etenim vita interior in his, quae ad Religionem pertinent, spiritu privato regi non debet, sed Ecclesiae Pastorum praeceptionibus consentanea sit oportet. Licet enim Ecclesia actus mere internos per se, et immediate praecipere non possit, tamen praeceptiones canonicae, quae in constituendo, ac moderando Religionis cultu versantur, vi sua ordinantur etiam ad regendos interiores actus, quatenus actus interior cum officio praecepto conjunctus esse debet, ut praescriptum virtutis opus impleatur, aut instar dispositionis requiritur ad praescriptum munus rite obeundum, aut quatenus ex eo actu interiore tamquam fine moveri voluntas debet ad opus praeceptum implendum. Quin etiam Divino jure interior assensus debetur his, quae ab Ecclesia circa fidem, et moralem Christianae vitae institutionem definiuntur. Sed ex hoc non sequitur leges Canonicas de actibus mere internis per se, et immediate ferri posse.

CAPUT V.

Quomodo se habeat Lex ad actus praeteritos.

Lex vel novum jus constituit, vel jus ante constitutum declarat. Item in lege spectari potest vel obligatio, quam inducit, vel poena, quam statuit. Poena autem alia est proprie dicta, quae in vindictam culpae infligitur, alia improprie dicta, velut inhabilitas quaedam, aut irregularitas, quae non propter culpam, sed decori, vel publici boni caussa inducatur.

Lex novum jus constituens actus mere praeteritos comprehendere nullo pacto valet, neque quoad obligationem, neque quoad poenam.

Etenim lex ponitur ut regula agendi. Dum ergo nova lex fertur, nova agendi forma, et regula praescribitur, quae proinde non nisi futuros actus respicere potest. Et sane cum novum jus constituitur, quidquid eo jure vel jubetur, vel vetatur nondum erat aut praeceptum, aut prohibitum. Nulla ergo culpa esse potuit in ejusmodi rebus vel omittendis, vel faciendis. Quod si nulla culpa, nec poenae proprie dictae locus esse potest.

Poena tamen improprie dicta, seu potius onus quoddam, vel privatio, quae non in vindictam malefactis, sed alia de

causa inducitur, nil vetat, quin ad praeterita retrahatur. Velut cum Lege Canonica statutum est, ne illegitimi ad clericalem ordinem admitterentur, non est dubium, quin ea irregularitas illos etiam comprehenderit, qui non justis nuptiis ante latam legem nati fuerant.

Cum actus praeteritus respectum habet in futurum tempus, poterit sane lex nova ejus actus praeteriti vim infirmare, quatenus in futurum tempus respicit. Exemplum poni potest in testamentorum substitutionibus, ubi scilicet futuri haeredes deficientibus haeredibus infinito progressu temporis alii aliis ordine substituuntur. Etenim lex nova non attingit substitutiones, quae vi legitimi testamenti jam locum habuerunt, potest tamen futuris substitutionibus modum ponere.

Porro lex eo dumtaxat spectans, et legum antea latarum sanctiones declaret, ad praeterita vi sua trahitur; quippe tali lege declaratur priorem legem vigere, ac viguisse, proindeque vel malum, vel irritum censendum, quidquid adversus eam legem patratum sit.

Lex prior, quae per posteriorem viguisse, ac vigere, declaratur, aut erat lex jubens tantummodo, vel vetans, tumque qui contra fecerunt, culpa se obstrinxisse, et in poenam ei culpae statutam incurrisse censentur; nisi forte invincibilis ignorantiae exceptionem afferre queant.

Vel ea lex inhabilem reddebat, aut actum irritabat, idque non in vindictam dumtaxat, sed ex alia qualibet caussa, tumque nulla prorsus, et irrita merito declarantur quaecumque adversante lege acta sunt; quamvis cum ignoratione, aut etiam ex ignorantia invincibili legis gesta fuerint.

Ex gestis vero, et actis, quae per posteriorem legem irrita declarantur vi antiquioris legis, alia sunt, quae sola posteriore lege suppleri, et convalescere possunt: cujus rei exemplum extat Capit. Aqua de Consecr. Eccl. vel Alt. ubi declarat Pontifex violatam Ecclesiam non posse reconciliari per sacerdotem, sed per episcopum tantum; et nihilominus addit particulam *de caetero*, immo vult sustineri reconciliatione ante factas a sacerdotibus. Et sane cum templi purificatio sit humanae institutionis, ejus purificationis forma, vel necessitas suppleri potuit.

Alia vero sunt, in quibus quod jure humano irritum est per solam legem posteriorem convalescere non potest, cum

scilicet rei gestae valor pendet omnino a consensu agentis, adeo ut si prior consensus nullus fuit, novus plane consensus ad valorem actus requiratur. Tale matrimonium est contractum inter consanguineos intra quartum gradum, quod humano jure nullum est. Et hoc quidem suppleri nequit quoad praecedentem actum, sed necesse est, ut sublato impedimento matrimonium iterum valide ineatur per mutuum consensum contrahentium; quia ejusmodi actus pendet omnino a tali consensu, quem lex per se ipsam supplere non potest. Ita Doctores laudati a Benedicto XIV. de Syn. Dioeces. l. 13. c. 21. n. 6., qui subinde n. 7. sequenti docet, qua ratione in proposito casu dispensationi Pontificiae locus esse queat.

DISPUTATIO VI.

De his, qui humanis legibus subjiciuntur.

CAPUT I.

Generalis Doctrina proponitur.

Quotquot Communitati subsunt, eos ejusdem Communitatis legibus alligari constans est, et certa doctrina, quam S. Thomas 1. 2. q. 96. art. 5. probat ex illo Apostoli ad Rom. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.*

Atque vel hoc uno testimonio abunde refellitur perniciosus error eorum, qui vel Christianos omnes, vel saltem justos, aut perfectos omni humana lege solutos praedicarunt. Nam ad fideles, et ad justos, perfectosve homines ex aequo pertinet Apostoli mandatum. Unde et ad Titum c. 3. *Admone illos*, inquit, *Principibus, et Potestatibus subditos esse, dicto obedire.*

Quare cum ait Apostolus 1. ad Timoth. 1. *Lex justo non est posita, sed injustis*, id manifeste refertur ad eam partem legis, quae minis, et terroribus improbos coercet. Justi enim, quatenus justi, leges servant voluntarie, ducti amore virtutis, et justitiae, non autem inviti, et quasi coacti metu poenarum.

Cum vero ad Rom. 6. ait: *Non estis sub lege, sed sub*

gratia, loquitur de jugo legis Mosaicae, ut communiter interpretes docent, et ostendunt. Quae duo animadvertisse sufficiat ad alios textus explicandos, qui proferri solent.

Certum est proinde legibus teneri subditos quotquot publicae potestatis, quibus illae feruntur. Nunc dubitationes amovendae, quae de certis personarum generibus excitari solent; quod distinctis capitibus, sed quam breviter fieri poterit, praestare conabimur.

CAPUT II.

De Pueris, et Amentibus

Pueri ante usum rationis, et perpetuo amentes tametsi potestati subsunt, qua regi maxime opus habent, legibus tamen non teneri expeditissimum est.

Nec enim legis obligatione teneri possunt, nisi qui ad praescriptam normam actus suos accomodare valent; quod non fit, nisi deliberata ratione, cujus pueri, et amentes compotes non sunt.

Hinc legibus humanis ante septennium obstricti pueri communiter non censentur. Nam nonnisi ad hanc fere aetatem ratio jam satis adulta esse solet, ut pueri ex deliberata voluntate agere censeantur; adeo ut quid agendum, quidve non agendum sit, intelligant, et ad unum prae altero eligendum non ex impetu, qui sententia appetitum consequitur, sed ex quodam rationis consilio se se moveant, ac determinent. Quod si maturius nonnulli, ut quandoque evenit, rationis usum adipiscuntur, illi quidem violatae legis naturalis, aut divinae rei esse poterunt. Verum leges humanae illud spectant, quod communius accidit, proptereaque pueros ante septennium alligare communiter non censentur.

Hinc nec sacris interesse, nec ullo tempore a carnibus abstinere tenentur. Ut proinde immunes a culpà sint parentes, qui eos carnibus alunt; quod etiam multi de perpetuo amentibus existimant.

Gravissime tamen peccant quicumque pueros ante usum rationis, vel perpetuo amentes ad iram, ad impias voces proferendas, ad libidinem, aut ad alia, quae juri naturali repugnant, incitare non verentur. Cum enim haec suapte na-

tura turpia sint, et flagitiosa, quisquis ad ea incitat, caussa mortalis sceleris, ac flagitii merito censetur, licet ille, a quo perpetratur, a culpa sit immunis.

Quin etiam debent parentes teneros puerorum animos etiam ante usum rationis ad religionis, legum, ac magistratuum reverentiam instituere, et assuefacere; ut sensim haec prima virtutum semina cum ratione adolescant, et confirmentur, uberesque demum fructus afferant. Peccant gravissime parentes, qui in pueris instituendis non eam curam, et diligentiam adhibent, quam rei gravitas postulat, qua nulla majoris fere momenti est cum ad ipsum puerorum profectum, tum ad religionis, ac reipublicae spem, et incrementum. Qua de re saepius monendi sunt parentes ab iis, ad quos pertinet.

Post septennium pueri eis legibus obligantur, quarum materia eorum aetati congruit, ideoque tenentur praescriptis diebus aut Divinis Mysteriis assistere, aut carnibus abstinere, semel in anno peccata confiteri etc. Sunt vero leges aliae, quae provectiorem aetatem desiderant. Sic ante decimum, vel duodecimum annum non solent pueri sacra communione refici, nec jejunii lex urget, nisi vigesimo primo anno exacto.

Ebrii porro, et furiosi, qui per temporum intervalla rationis usu privantur, soluti minime sunt legibus, quas reliquo vitae tempore dignoscere, ac servare valent. Quo vero tempore sui compotes non sunt, a peccato excusantur legem non servantes, si citra culpam suam in eam impotentiam, et mentis alienationem inciderint, iis porro nefas materiam praebere, et occasionem infringendae legis, qua si non actu, saltem habitu obstricti tenentur.

CAPUT III.

De infidelibus quod attinet ad Religionem, et Ecclesiae decreta.

PROPOSITIO I.

Infideles nunquam baptizati Evangelicis legibus tenentur, non tenentur Ecclesiasticis.

Etenim 1. Lex Evangelica omnibus est hominibus a Deo

constituta. Christus enim Apostolos suos, eorumque successores voluit per universum orbem salutarem Evangelii Doctrinam promulgare; omnesque homines ad salutem per fidei obedientiam vocare, omnes proinde tenentur Evangelio, statim atque sibi sufficienter propositum fuerit, obedire, et Baptismum suscipere, uno verbo christianam religionem amplecti, prout in catholica ecclesia ab Apostolis ad nostram usque aetatem propagata est. Enim vero: *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur*; ut habetur Marci 16.

Notandum est autem infideles licet salutem consequi non valeant, dum in infidelitate permanent, ipsam tamen infidelitatem, si mere negativa est, non ipsis ad culpam imputari, quamdiu ea laborant. Sed hujus rei uberior explicatio nostri non est instituti.

2. Infideles non baptizati non tenentur legibus ecclesiasticis. Siquidem infideles non baptizati sunt extra ecclesiam, in quam intratur per baptismum. Porro ecclesia de iis, qui foris sunt, non judicat, ex Apost. 1. ad Corinth. 5., constansque est doctorum sententia.

Non tenentur proinde isti praescriptis temporibus aut jejunare, aut carnibus abstinere. Quin possunt ei carnes a fidelibus suppeditari, nisi petantur in contemptum; aut nisi alicubi generaliter prohibitum sit, ne certis temporibus carnes suppeditentur.

Utrum autem christiani, qui servos habent infideles, possint eos diebus festis servilibus operis mancipare, disputatur inter eos, qui morales institutiones scripserunt. Negant haud pauci ex iis, qui accuratiores habentur, hoc argumento ducti, quod perinde servilibus operis vacare censeatur adversus praeceptum sive qui opus servile per se ipsum, sive qui per servum tamquam per instrumentum exequitur.

Quam in rem juverit forte memorare quod veteri lege non solum Domini jubebantur sabbato abstinere a servili opere, sed etiam prohibebantur servos, et ancillas, quorum permulti ex alienigenis erant, servilibus operis addicere. Cujus institutionis hanc etiam affert rationem divinus scriptor: *Ut requiscat Servus tuus, et ancilla tua, sicut et tu.* Hoc scilicet solatium Deus esse voluit miserae servorum conditioni, ne a Dominis lucri, quam honesti appetentioribus duriore, nec unquam intermisso labore premerentur. Quamvis autem

lex Mosaica in his, qua sunt juris positivi, non amplius vigeat, tamen praeceptum de cessatione a servilibus operibus die festo in Ecclesia ipsa usurpatum est, ut proinde nova sanctio veterem imitata censeri jure possit, etiam quoad hanc partem humanitatis plena, qua Domini vetantur, ne servos, et ancillas, cujuscumque tandem gentis, et generis sint, servilibus operibus addicant, quibus diebus illi debent ex praecepto cessare. Quam in rem facit quod catechismns romanus tradit de tertio praecepto n. 34. « Itaque hujus praecepti lex » eo etiam spectat, ut, si jumentorum laboribus homines » parcere Deus vult, eo certe magis ipsi cavere debeant, » ne inhumani sint in eos, quorum opera, atque industria » utuntur ».

PROPOSITIO. II.

Infideles Baptizati, nimirum Haeretici, et Apostatae legibus Ecclesia tenentur.

Enim vero per Baptismum ecclesiae subjiciuntur, quam si non audiunt, velut ethnici, et publicani habendi sunt: illius ergo legibus alligantur, a quibus servandis non eos eximit a veteri doctrina turpis defectio, et adversus legitimam auctoritatem pertinax contumacia. Nemo enim quocumque saeculo haereticus prodiit, qui non aliquid novum protulerit prorsus alienum a communi fide, quam tum ecclesia profitebatur, quique auctoritatem non contempserit, quae velut auctoritas legitima in tota ecclesia publice angoscebatur; adeo ut vel sola sectarum series, quae aliae aliis successerunt, ipsam corporis ecclesiae continuationem, a qua una post aliam avulsae sunt, ultro demonstret.

Haud proinde licet haereticis materiam, et occasionem praebere violandi cujusvis praecepti ecclesiastici, velut carnes ministrando diebus vetitis, nisi justa, et legitima dispensationis caussa intercesserit.

CAPUT IV.

De Advenis, Peregrinis, et Vagis.

Advena dicitur qui aliunde venit in locum, ubi dein-

ceps habitat, isque intelligitur, qui extra patriam domicilium comparavit. Domicilium porro acquirere dicitur is, qui aliquem in locum venit stabili animo permanendi: quasi domicilium vero acquirit, qui venit stabili animo manendi ad magnam saltem anni partem, velut studiosi, qui academias frequentant.

Peregrinus dicitur, qui extra domicilii sui locum aliquantisper moretur cum animo ad sua revertendi.

Vagus, qui nullam habet stabile domicilium, sed incertus migrat de loco in locum.

De his quaeritur num, et quemadmodum aut patriis legibus solvantur, aut teneantur alienis.

PROPOSITIO I.

Praeceptum, quod personale vocant, ligat subditum ubicumque fuerit, qnamdiu manet subditus.

Etenim praeceptum personale proxime, et immediate subditum afficit. Cum ergo subditus tamquam subditus teneatur praepositio legitime praecipienti obtemperare, sequitur praeceptum personale ligare subditum ubicumque fuerit, quamdiu manet subditus. Quocirca si praelatus clericum subditum ordinis exercitio interdicit, is nec in aliena dioecesi vetito sibi munere, et exercitio perfungi poterit.

PROPOSITIO II.

Qui absunt a communitate, communitatis legibus tenentur quamdiu absunt, nisi aut fictione juris adesse censeantur, aut absint in fraudem.

Etenim hoc differt lex proprie dicta a praecepto personali, quod lex primo ipsam communitatem afficit, et vi communitatis singulos in communitate versantes. Non ergo extra communitatem protenditur vis legum, quae regendae communitati feruntur, nec proinde obligant eos, qui e patriis sedibus discesserunt. Sic., si viget lex in communitate, ne quis sericis induatur, ea lex non obligat eum, qui degit extra communitatem.

Duae vero sunt exceptiones: prima nisi fictione juris qui

absens legem non servaret, in ipso domicilii loco delinquere censeretur. Quod quidem contingit 1. cum quis facere omittit, quod in eo loco facere tenebatur; velut si parochus grassante peste oves suas deserit, omissionis peccatum in ea parochia compleri censetur, in qua ille munere suo fungi debebat, atque ibi deliquisse moraliter intelligitur.

Id porro locum habet sive in jure canonico, cum beneficiarius ex. gr. versans in aliena dioecesi, vocatus ad synodum propriae dioecesis, obtemperare detrectat: sive in jure civili, velut si subditi extra patriam vagantes lege revocentur ad arma capienda. Nam qui detrectat, omittit facere quod in patria fecere debebat; ejus proinde omissio in ipsa patria veluti peragitur, atque adeo in patria delinquere censetur.

2. Et quidem propter eamdem rationem, cum id quod fit adversus legem ab eo, qui extra patriam degit, in patriae ipsius damnum, et perniciem redundat; velut si quis extra patriam degens arma vendat alienis contra legis praescriptum. Nam is ea venditione patriam laedit, adeoque facti improbitas in patria, quae laeditur compleri, et velut consummari intelligitur, idem locum habet in lege canonica; velut si homicidium in aliqua dioecesi reservatum est, qui transgressis limitibus dioecesis hominem sagitta eminus missa in dioecesi occideret, in casum reservatum incideret.

Altera est exceptio, si quis abest in fraudem; abesse porro in fraudem dicitur qui subterfugiendae legis caussa e domicilio discedit. Nam, ut habetur l. 30. §. de leg. *Fraus legi fit, ubi quod fieri noluit, fieri autem non vetuit, id fit.* Certe leges positae sunt, ut serventur: quippe spectant vel ad pietatis fructum, vel ad commune civitatis emolumentum. Quare cum religio, tum legalis justitia postulant, ut quisque leges vereatur, et colat. Non ergo licet subjectis sine iusta caussa impositam a lege obligationem subterfugere.

Neque dicatur qui sic discedit uti jure suo; nemini quippe jus, fasque est legis subterfugiendae caussam, et occasionem de industria quarere, et arcessere. Quemadmodum ex communi sententia non licet die jejunii aut iter arripere, aut laboriosum opus aggredi caussa vitandi jejunii. Quod autem quis vitandi jejunii caussa grave opus suscipiat, aut e loco, in quo praeceptum viget, consulto discedat, idem animus, eadem subterfugiendi voluntas se prodit. Proinde si ex communi sententia censetur in fraudem legis agere qui ad jejunium

vitandum laborioso se opere implicat, idem quoque putandum de illo, qui consulto discedit e loco domicilii. Propter eamdem rationem qui ex una in aliam dioecesim commigrat, ut absolvatur a peccato in propria dioecesi reservato, in fraudem reservationi agere censetur, nec ei fraus prodest.

Quin etiam in morali theologia Antoinii Romae typis edita memoratur responsum cardinalium ab Urbano VIII confirmatum, quo responso de incolis; ubi viget concilium tridentinum discedentibus in locum, ubi non fuit publicatum, solo animo matrimonium clandestinum contrahendi sine mutatione domicilii, declaratur: *Non esse legitimum matrimonium inter sic contrahentes cum fraude.*

Hinc merito a sanctioribus Theologis damnantur qui de industria migrant e loco, in quo viget lex jejunii in locum, ubi non viget, ut praeceptum effugiant: nam fuga praecepti sine ulla justa caussa repugnat legi naturali dictanti, ne quis legibus in bonum commune positis parere detrectet, meritoque proinde ista fuga instar fraudis habetur.

Alia ratio est eorum, qui justam habent caussam de uno in alium locum migrandi. Illi enim non tenentur servare leges, quae in sui domicilii loco vigent, si hae leges non vigent in loco, in quo bona fide versantur. Quo pertinet aurea, et notissima Augustini regula ep. 117. *Alia vero, quae per loca terrarum, regionesque variantur...... nec disciplina ulla est in his melior gravi, prudentique christiano, quam ut eo modo agat, quo agere viderit ecclesiam, ad quam forte devenerit.*

Hic vero quaeritur, num qui e domicilio discedit, in quo lex obligat, venturus in locum, ubi ea lex non viget, teneatur ante discessum praecepto satisfacere.

Communis sententia est eum teneri, si praevidet sibi deinceps non futuram satisfaciendi copiam; nam haec est vis praecepti affirmantis, ut obliget quo tempore impleri potest, si aliud ejus implendi tempus non supersit. Sic in locis, ubi unum tantum sacrum die festo celebratur, praeceptum affirmans obligat ad eam horam, qua celebratur, secus nulla evaderet obligatio. Porro incola discessurus e loco sui domicilii est adhuc in eo loco, proindeque legibus ejus loci tenetur. Ergo si facultatem habet implendi praecepti antequam discedat, praevidens deinceps futurum, ut non possit, praeceptum obligat pro eo tempore, quo facultatem habet ejus implendi.

Hinc qui eo loco, in quo dies festus est, mane discedit, migraturus in locum, ubi dies festus non est, tenetur quoad potest sacris ante discessum adesse, si praevideat futurum, ut deinceps nequeat ei praecepto satisfacere.

Ob parem rationem mane discessurus e loco, ubi jejunatur, non potest ante discessum jentaculum sumere; quia dum est in eo loco, praecepto ibi vigente alligatur.

Nec enim privilegium loci, in quem quis pergit, et in quo nondum est, eximere quemquam valet ab obligatione loci, in quo revera est, sicut nec spes futurae dispensationis, ut constat apud omnes.

PROPOSITIO III.

Advenae, Peregrini, Vagi tenentur legibus locorum, in quibus versantur.

1. Enim constat eos, qui ad aliquem locum accedunt stabili animo permanendi, statim ejus loci legibus obligari, cum jam incolae fiant, quippe domicilium hoc ipso comparatur quod quis incipit habitare animo perpetuo manendi; ex leg. *cives* C. de incolis. Idem valet de his, qui accedunt animo manendi per magnam anni partem, ut studiosi, operarii, famuli, quique quasi domicilium acquirunt, hoc enim satis est, ut quis e parochia esse censeatur, fiatque idoneus ad omnia sacramenta suscipienda praeter ordinem.

2. Peregrini etiam tenentur legibus locorum pro tempore, quo in iis commorantur. Lex enim generaliter fertur pro loco legislatoris potestati subjecto. Igitur ligat omnes in eo degentes, quamdiu ibi commorantur. Etenim regiminis ratio postulat, ut legibus, quae feruntur in bonum commune, omnes, qui communitate admiscentur, pro suo quisque ordine, et gradu subjaceant, secus maxima exoriretur in republica ordinum omnium perturbatio. Peregrini ergo legibus obnoxii sunt, et quoad vim praeceptricem, quia conscientiae lege parere iis tenentur, et quoad vim cogentem, quia puniri juste possunt, si positas leges infringunt. Demum etiam in rebus contrahendis obnoxii sunt legibus, quae contrahendi formam praescribunt, etenim actus, qui certam formam, et solemnitatem requirunt, valorem non habent sine adminiculo juris L. *Legittima* §. de pactis. Proinde si formae legibus praescri-

ptae negliguntur, non solum jus non adminiculatur, sed potius resistit. Quam in rem egregie S. Aug. lib. 3. confess. cap. 8. *Quae contra mores hominum sunt flagitia, pro morum diversitate vitanda sunt, ut pactum inter se civitatis, aut gentis consuetudine, vel lege firmatum nulla civis, aut peregrini libidine violetur. Turpis enim omnis pars est suo universo non congruens.* Ita enim Grotius de jure belli, et pacis l. 11. c. XI. §. V. *Etiamsi peregrinun cum cive paciscatur, tenebitur illis legibus: quia qui in loco aliquo contrahit, tamquam subditus temporarius legibus loci subjicitur.*

Ex allato textu Augustini, et superiore doctrina consequens etiam fit, ut qui moratur tota die in loco, ubi non jejunatur, vespere accedit ad locum, ubi jejunium servatur, debeat se illius loci legi accommodare, et a caenando abstinere.

Intelligendum est autem peregrinum loci legibus teneri, dum in eo ad tempus moratur eis implendis accommodatum, et sufficiens. Nec enim ad eas implendas morari diutius tenetur, quam statuerat. Ita qui transit per locum, in quo dies festus est, non tenetur ab itinere cessare, ut sacro intersit. Teneretur autem, si tantum temporis moraretur, quantum moraliter satis est ad praeceptum servandum.

Unum contra opponitur, quod alicujus momenti esse videatur. Si peregrini locorum, per quae transeunt, legibus obnoxii essent, sacerdotes graeci per occidentem transeuntes deberent in azymo consecrare ut latini, et latini fermentato uti deberent, cum in Graeciam appellunt: quod tamen secus est. Verum facile hic nodus expeditur, siquidem expresso jure cautum est, ut sive graeci apud latinos, sive Latini apud graecos ritum suum servarent. Exceptiones autem hujuscemodi regulam firmant, non evertunt.

Quod praeterea dicitur clericum in aliena dioecesi non posse ordines sine proprii episcopi facultate suscipere, nec posse episcopum peregrinorum vota relaxare, nil pertinet ad praesentem quaestionem, quae tota est de obligationibus, quas locorum leges peregrinis imponunt, non de commodis, aut beneficiis, quibus ipsi peregrini potiri, aut non potiri valent.

Jam quod de peregrini dictum est, multo magis valere intelligitur de vagis, qui prorsus exleges degerent, nisi subjacerent legibus locorum, per quae transeunt. Sed de his satis.

CAPUT V.

An supremus princeps suis legibus teneatur.

PROPOSITIO.

Probatissima est doctrina D. Thomae principem supremum non teneri sui legibus quoad vim cogentem, teneri vero quoad partem praeceptricem, quae sibi conveniat.

Sic enim habet S. Doctor 1. 2. q. 96. art. 5. ad 3. *princeps dicitur esse solutus a lege, quantum ad vim coactivam legis; nullas enim proprie cogitur a seipso. Lex autem non habet vim coactivam, nisi ex principis potestate. Sic igitur princeps dicitur solutus a lege, quia nullus in ipsum potest judicium condemnationis ferre, si contra legem agat. Unde super illud psal.* 50. *Tibi soli peccavi, dicit glossa, quod rex non habet hominem, qui sua facta dijudicet.* Consentiunt jura, quibus expresse princeps legibus solutus dicitur.

Tamen pergit S. Thomas eodem loco: *Quantum ad vim directivam legis princeps subditur legi propria voluntate.* Quod probat ex cap. *cum omnes* 6. de Constitut. quo Innocentius III. ait: *Quod quisque juris in alterum statuit, ipse eodem jure uti debet:* profertque in eam rem sapientis dictum, Catonis videlicet: *Patere legem, quam ipse tuleris.* Tum utitur argumento theologico ducto ex eo, quod *improperatur his a domino, qui dicunt, et non faciunt, et qui aliis gravia onera imponunt, et ipsi nec digito volunt ea movere*, ut dicitur Math. 23. *unde* (concludit S. Doctor) *quantum ad dei judicium princeps non est absolutus a lege quantum ad vim directivam ejus, sed debet voluntarius, non coactus legem implere.*

Quod si princeps humanum judicium minus sibi pertimescendum putat, certe vereri, ac timere debet divinae ultionis severitatem, quam nullis opibus effugere poterit, idque meminisse, quod scriptum est: *Potentes potenter tormenta sustinebunt.*

His addi potest quod l. 4. Cod. de leg. dicitur: *Digna vox est majestate regnantis legibus alligatum se princpem profiteri... Et revera majus imperio est legibus subjicere principatum.* Et Ambrosius epist. 13. ad Valent. *Quod praescripsi-*

sti aliis praescripsisti et tibi: Leges enim imperator fert, quas primus ipse custodiat. Animadvertit tamen S. Thom. principem adhuc esse supra legem, quatenus, si expediens fuerit, potest legem mutare, et in ea dispensare pro loco, et tempore.

Tenetur autem princeps sui se legibus accommodare ex naturali aequitate suadente, ne in pari caussa princeps aliam subjectis, aliam sibi legem, et morem imponat. Valdeque conducit ad optimam reipublicae gubernationem, et statum caput cum reliquis consentire in his, quae ad communis boni rationem pertinent; id vero intelligitur de legibus, quae ipsi principi convenire possunt. Unde Dominicus Soto 1. de just. qu. 6. art. 7. inquit: *Quando statuimus principem legibus subdi suis, intelligimus legibus, quae ex aequo ad ipsum perinde ac ad subditos spectant. Praecepit rex neminem gladio succinctum incedere, aut sericis indutum: non est par ratio cur ipse eisdem abstineat.*

Eadem ratio valet quoad leges canonicas. Quocirca theologi communiter docent, si episcopus indicta suspensionis poena clericis interdicat, ne aleis ludant, eum quidem peccare, si aleis ludat, non autem in poenam suspensionis a se latam incurrere.

DISPUTATIO VII.

De Legis implendae ratione, et modo.

Multis difficultatibus implicatam disputationem aggredimur, ad quam plurimae quaestiones referri solent. 1. Utrum Lex impleri queat praeterquam per actum humanum, seu liberum, et an per actum ceteroquin vitiosum. 2. Utrum sine animo satisfaciendi praecepto satisfiat, et an intendi debeat finis legi propositus. 3. Utrum per unum actum pluribus officiis, seu obligationibus satisfieri queat, et an saltem per plures actus uno, eodemque tempore editos. 4. Utrum qui totum opus lege praescriptum praestare non potest, aliquam saltem ejus partem praestare teneatur. Num qui teneatur implendae legis impedimenta non ponere, vel etiam removere.

CAPUT I.

Utrum lex impleri queat, praeterquam per actum humanum liberum, et honestum.

PROPOSITIO I.

Ut satisfiat legi vetanti, adeo ut quis censeatur non peccare adversus legem, satis est, ut ne id fiat, quod lege prohibetur, nec opus est ullo actu mentis, quo quis de implenda lege cogitet. Etenim lege vetante hoc tantum praescribitur, ne id fiat, quod prohibetur: quare hoc solo legi satisfit. Hinc licet aliquis nunquam de furto cogitasset, sicque ab omni furto abstinuisset, hoc ipso ab omni culpa immunis esset adversus legem furtum vetantem. Potest quis nusquam de stellionatu cogitasse, et tamen si ab omni ejusmodi actu abstinuit, merito censetur nusquam violasse legem stellionatum vetantem. Quod si tentatio quaedam violandae legis menti succureret, tum sane voluntas dissentire teneretur, tumque lex servatur actu positivo, libero, et honesto, quo tentatio repellitur.

PROPOSITIO II.

Lex jubens directe impleri nequit nisi per actum liberum, et bonum: indirecte tamen et vi mutationis materiae satisfieri potest per actum non liberum aut etiam vitiosum, adeo ut lex haud amplius obliget.

Prima pars probatur in hunc modum. Haec vis est legis affirmantis, seu jubentis, ut praescribat opus aliquod, seu munus certo modo, loco, ac tempore obeundum: obire autem munus suum nemo dicitur, nisi qui agit ex deliberata voluntate. Aliunde opus quodvis lege praescriptum induit ex ipso legis praescripto rationem aliquam virtutis, ut superius ex toto demonstratum est, adeo ut nisi opus ponatur ea honestate praeditum, quam lex intendit, non id revera fiat, quod lex praecipit. Igitur lex affirmans, seu jubens directe impleri nequit, nisi per actum humanum seu liberum, eumdemque bonum, et honestum.

Hinc si quis vi detinetur in templo, ut sacro intersit, intus autem renuat, praecepto non satisfacit. Pariter non satisfaceret qui templum ingressus animo dumtaxat orandi, et precationi intentus non adverteret interea sacrum peragi. Nam quamvis corpore adfuisset, non tamen censeretur functus esse praecepto sacris assistendi; utpote qui ad hoc opus implendum nusquam animum advertisset.

Altera quoque pars facile declaratur. Ex. gr. Si furiosus rem antea sibi commodatam temere, ac fortuito in commodantis manus projiciat, per eum actum, tamtsi non humanum, neque ex consilio rationis, ac deliberata voluntate profectum, restituendi praecepto satisfactum erit. Quippe restituendi obligatio eo casu ex rei alienae detentione oriebatur. Proinde statim atque res in domini potestatem reversa est, desinit ex parte commodatarii caussa, qua nitebatur restituendi obligatio; adeoque ex commutatione materiae non amplius ea lege adstringitur.

Id porro contingit cum lex factum potius, quam actum respicit: velut in his, quae pertinent ad justitiam commutantem; quippe in hujusmodi rebus eo spectat lex justitiae, ut inaequalitas ad aequalitatem adducatur. Quamdiu permanet inaequalitas, urget praeceptum inaequalitatis tollendae. Quod si actu quopiam tametsi non humano, nec libero inaequalitas sublata fuerit, et jus suum alteri redditum sit, jam desinente materia praecepti, obligatio quoque desinet. Atque hoc sensu intelligi potest quemadmodum in ejusmodi rebus per tales actus indirecte praecepto satisfiat.

PROPOSITIO III.

Cum vero lex actum praecipit non tam ut res actui subjecta ponatur, quam ut actus alicujus virtutis exerceatur, tum legis officium non impletur per actum non liberum, vel per actum aliunde vitiosum.

Sic non satisfit communionis paschalis praecepto per communionem sacrilegam, nec satisfit praecepto recitandi preces canonicas sine mentis attentione ad voces, quae proferuntur. Etenim hoc recitandarum praecum praecepto non id spectat potissimum ecclesia, ut voces quaedam articulatae edantur, sed ut

externus religionis actus exerceatur. Jam patet actum non liberum, aut aliunde vitiosum, nullo pacto religionis actum censeri posse.

Notandum tamen ex tractatu de actibus humanis aliquando in actu apparere mixtam bonitati malitiam: tumque circumspiciendum, utrum prava circumstantia ipsummet actum intime afficiat, an dumtaxat comitetur. Primo casu actus totus fit malus; siquidem bonum ex integra causa, malum ex quocumque defectu. Altero casu in una velut actione duo sunt reapte actus morales distincti. Et quamvis unus alteri nexu quodam copuletur, tamen illius malitia istius bonitati non officit. Itaque dum qui intenta mente, studioque fungendi officii ac Deo placendi praeces canonicas recitat, fieri potest, ut in circumstantes intuens aliquo inanis gloriae blandimento tangi se sinat; quo pacto admiscebit se se actus vitiosus devotae recitationi praecum. Attamen haec inanis gloriae voluntaria subreptio non intime afficiet ipsum religionis officium; quippe ille homo non ob inanis gloriae fructum, sed studio Deo placendi recitat; tantumque ex bono opere, cui intento animo vacat, in vanae cogitationis culpam delapsus est. Haec proinde culpa tamquam actus distinctus ipsam praecum recitationem comitatur, non intime afficit; nec obstat quin ea recitatione praecepto satisfiat. Qua de re consulendus, si placet, tractatus de humanis actibus.

CAPUT II.

Utrum praecepto satisfiat sine animo satisfaciendi, et an intendi debeat finis legi propositus.

PROPOSITIO I.

Ut satisfiat praecepto sufficit intentio faciendi operis praecepti, tametsi quis non cogitet de Lege implenda.

Etenim qui pie, et religiose canonicas praeces recitat, aut Divinis mysteriis assistit die festo, id exequitur quod lex fieri praecipit. Ergo satisfacit legi, etiamsi de lege non cogitet.

Equidem ille, qui munus praescriptum rite obit nulla nec

virtuali, ut vocat, intentione parendi legi, non habet meritum obedientiae: quia tamen functus est officio virtutis velut religionis, quod lex praecipit, non amplius ea lege obligatur. Hinc si quis ignarus diei festi sacro rite interest, ille si postea resciat diem festum esse, non tenetur iterum sacro interesse. Quippe satisfecit praecepto dum id fecit, quod praeceptum erat, etiamsi nulla mentem ejus praecepti cogitatio subierit: carebit tamen obedientiae merito.

Jam videndum, num qui praescripto munere fungitur, agere debeat ex fine, quem legislator intendit. Finis duplex distinguitur, unus ipsi actui cohaerens, et intimus, qui dici potest finis operis; velut eleemosynae finis intimus est sublevare indigentis inopiam: quia in id vi sua tendit eleemosyna tamquam in scopum, seu terminum sibi congenitum. Alius est finis extrinsecus adveniens, ille videlicet, ad quem opus non vi sua, sed ex intentione operantis ordinatur, velut si quis eleemosynam ordinaret ad inanem gloriam captandam. Sic etiam Divinus cultus finis est intimus praecum, quae indicuntur; sed simul praeces in alium finem velut extrinsecum ordinari possunt velut ad pacem conciliandam, ad morbos depellendos, ad impetrandam pluviam.

PROPOSITIO II.

In omni virtutis officio, quod praecipitur, tenetur quisque servare illam honesti rationem, quae propria est ejus virtutis, estque velut illius finis intimus: secus actum virtuti praeceptum non exerceret; quippe repugnat poni actum religionis a quo absit honestas propria ejus virtutis, ut patet. Proinde qui nulla mentis intentione, nullove pio affectu praeces canonicas recitat, non exercet verum religionis officium, quia non servat eam honesti rationem, quae propria est ejus virtutis, nec adeo praecepto satisfacit.

Verum quod attinet ad finem velut extrinsecus propositum, duo sunt apprime distinguenda, scilicet ordinatio actus, vel operis in eum finem, et ipsa finis consecutio.

Ordinatio, seu relatio actus, vel operis in finem, quem legislator intendit, est in potestate agentis. Propterea quoties legislator eam ordinationem praecipit, tenetur subditus actum suum, vel opus in eum finem ordinare. Quare si praeceptae sunt preces in eum finem, ut pax obtineatur, non satisfacit

praecepto qui preces fundit, nisi eas in praescriptum finem dirigat.

Quia vero consecutio finis non est in agentis potestate, etsi obligari quis possit ad ordinandos suos actus in eum finem, non tamen obligari potest ad ipsam finis consecutionem. Et sane adeptio finis aliud quippiam est ab ordinatione actuum in finem. Quamobrem ex eo, quod, hujusmodi ordinatio praecipiatur, non sequitur in praecepto esse consecutionem finis. Unde natum est tritum axioma: *Finem praecepti non cadere sub praeceptum.*

CAPUT III.

Utrum uno actu pluribus praeceptis satisfieri queat, et an per plures actus uno, eodemque temporis intervallo editos.

PROPOSITIO I.

Uno, eodemque actu pluribus praeceptis, et obligationibus satisfit, quoties obligationes, et praecepta vel ex rei natura, vel ex intentione se se obliganti, vel ex fine legis, aut voluntate legislatoris distinctam materiam, distinctosve actus minime requirunt.

Enim vero, cum uno, eodemque actu ponitur quidquid illae obligationes, vel praecepta poni volunt, id totum praestatur, quod respondet illis obligationibus, et praeceptis, quae nec distinctam materiam, nec distinctos actus requirunt. Igitur uno, eodemque actu pluribus obligationibus, et praeceptis satisfieri poterit. Sic si vigilia, quae annexum habet jejunium, incidat in feriam quadragesimalem, uno jejunio satisfit utrique praecepto: nam utrumque praeceptum pro eadem die jejunium indicit. Pariter qui vovit eleemosynam largiri, si ei pauper occurrat extrema necessitate laborans, eleemosynam ei pauperi largiens satisfaciet cum obligatione voti, tum etiam praecepto eleemosynae. Nam per actum misericordiam ad quem votum obligat, illud etiam ponitur, quod praeceptum eleemosynae praescribit, ut nempe subveniatur indigenti. Unde illo casu obligatio, quae oritur ex voto, et obligatio,

quae respondet praecepto eleemosynae distinctos actus minime requirunt.

Quando vero distincta materia, distinctive actus requirantur, colligitur 1. Ex intentione se se obligantis, velut qui ex pii animi affectu jejunium vovet, censetur se obligare ad jejunandum, qua die sibi alioquin fas esset non jejunare. Colligitur 2. ex diversis obligationum titulis. Sic obligatus ad restitutionem simul, et ad eleemosynam, non satisfacit utrique obligationi solvendo creditori indigenti. Nam actus restitutionis non est vi sua opus misericordiae. Quare per actum restitutionis satisfit quidem obligationi justitiae, non autem exercetur officium charitatis, et misericordiae, quod subest praecepto eleemosynae largiendae, colligitur 3. Ex diversis temporibus, et locis, quibus actus praescripti alligantur. Sic obligatus ad horas canonicas non satisfacit una recitatione pro die hodierna, et crastina. Colligitur demum ex declarata voluntate legislatoris, cui omnino parendum est.

PROPOSITIO II.

Per diversos actus uno temporis intervallo pluribus praeceptis, et obligationibus satisfit, quoties actus uni praecepto respondens est veluti materia, seu medium alteri adimplendo praecepto accommodatum, nec aliunde praecepta munera diveris temporibus alligantur. Exemplum multi ponere solent in clerico sacris initiato, qui die festo praeces canonicas recitat, simul dum divinis mysteriis assistit. Etenim pie horas canonicas recitans habet certe animum in res divinas intentum. Porro audiendae missae praeceptum die festo non aliud requirit, quam ut fideles intento in res divinas animo sacris intersint, hunc autem intentum animum affert qui religiose praeces canonicas recitat, dum sacro interest. Ille ergo uno, eodemque temporis intervallo satisfacit praecepto precum recitandarum, et precibus recitandis simul id praestat, quod praecepto sacris assistendi praescribitur.

Sunt quidem qui negant clericum sacris precibus obligatum utrique simul praecepto satisfacere posse; hacque ratione ducuntur, quod hoc pacto clericus nil plus die festo praestaret, quam quivis laicus, quod vehementer abhorret ab eo religiosi cultus studio, quod clericis in primis commendatum

esse debet. Sed isti mihi videntur ab uno genere quaestionis in aliud desilire. Non id quaeritur, num clericus plura, et praestantiora religionis munia die festo exercere debeat, quam laicus; neque id quaeritur, utrum hoc solo, quod quis sacro intersit, festi sanctificandi praecepto penitus satisfecisse sit censendus, hoc totum alienum est, nec hujus loci. Sane fieri potest, ut clericus sacris initiatus, qui magnam precum canonicarum partem recitavit, simul dum sacro interesset, reliquam diei partem religiosis muneribus vacet, intersit v. gr. sacrae concioni, pueros christianam doctrinam doceat, infirmis, et in carcere detentis opera exhibeat misericordiae spiritualis, et corporalis, nonnullas etiam horas in sacra lectione insumat. De hoc clerico quaeritur, num mortaliter peccaverit hoc solo, quod preces canonicas eodem temporis intervallo recitaverit, quo sacris mysteriis aderat, hic scilicet est status quaestionis. Affirmare debent qui negant licere clerico eodem temporis intervallo et sacris interesse, et horas canonicas recitare. Ego sane affirmare non audeo. Quid ergo? inquient, nulli culpae obnoxium putas esse clericum, qui horas canonicas dum sacro interest, recitat, reliquum diei festi tempus per otium transigit? Non puto sane, nec ajo; sed eum in culpa futurum ultro assentiar, quod in otio consumat totum id tempus, cujus magnam partem religiosis muneribus impendere deberet: non propterea mortalis culpae arguam hoc solo, quod horas canonicas recitaverit dum sacro interesset. Atque hoc exemplo perspici forte poterit, quam necesse sit in quaestionibus morum definiendis statum quaestionis accuratissime proponere, nec ab eo discedere: ipsaque officia minutatim considerare, et inspicere, ut liquido appareat quid liceat, quidve non liceat. Sane aliud est quaerere quid liceat, quid deceat, quid expediat: ea vero facile permiscentur, cum fusa oratione res morales pertractantur; quo fit, ut multa interminabilibus disputationibus implicata interdum remaneant.

CAPUT IV.

Num qui totum opus lege praescriptum praestare non potest, partem, quam potest, praestare teneatur.

Communis sententia est, si opus praeceptum dividi aliquo modo queat in partes, in singulis autem partibus aliqua ratio ejus boni, et honesti servetur, quod lex intendit, tum sane qui totum opus praestare nequit, teneri ad eam partem, quam potest: secus si honestum, quod lex intendit, nonnisi in opere perfecto, et absoluto inveniatur. Ex gr. Si cui imperatum est iter ad aliquam aedem sacram invisendam, ille autem totum iter conficere nequeat, ad nullam partem itineris tenebitur, quia religionis officium, quod est itineri illi propositum, locum non habet, nisi toto itinere confecto, sic ut ad aedem sacram perveniatur.

Contra qui totum canonicarum precum cursum peragere non potest, adhuc recitare tenetur partem, quam potest, ut satis constat proposit. damnata ab Innocent. XI. Nam singulis horis absolvendis aliqua pars ejus religiosi cultus exercetur, qui eo praecepto praescribitur.

Qui non potest totum quadragesimale jejunium absolvere, tenetur quibus potest diebus jejunare. Singulis enim diebus pars aliqua exercetur ejus abstinentiae, quae pro toto quadragesimali tempore indicta est.

Ob eamdem rationem qui non potest eam praecepti partem servare, quae praescribit abstinentiam a carnibus, non continuo eximitur ab altera parte servanda, quae sancit, ne plus una vice in die comedatur, excepta vespertina refectiuncula. Quod quidem pontificia etiam auctoritate confirmatum est. Nam ecclesia indicendo jejunum duo spectavit ad abstinentiae rationem ex aequo pertinentia, quae duo simul complexa, jejunii nomine, ac notione comprehenduntur. Sed ex hoc non sequitur uno sublato nil remanere, quod ad jejunium pertineat. Neque enim hic agitur de metaphysica quadam essentia, sed de morali officio plures obligationes complectente, quarum si una desinit, non sequitur alias etiam desinere.

Atque hoc etiam exemplo patet quanti referat in mora-

libus quaestionibus ex veris, et solidis principiis argumentari. Multis invictum videbatur hoc argumentum: essentia jejunii consistit in abstinentia a carnibus cum unica comestione. Igitur sublata abstinentia a carnibus tollitur essentia jejunii. Nec proinde ad jejunium obligari potest qui non obligatur ad eam abstinentiam. Sed hoc totum inane est. Si de essentia jejunii perinde statuendum esset, ac de essentia metaphysica, vel mathematica, haec sublata fuisset per vespertinam refectiunculam. Etenim si tribus lateribus addatur quartum, licet exiguum latus, perit essentia trianguli. Essentia jejunii, ut ajebant, consistit in abstinentia a carnibus cum unica comestura. Igitur si de hac jejunii essentia mathematice judicandum est, addita huic unicae comesturae alia quantumvis modica refectione, jam non amplius ea essentia consistet, quemadmodum, ut dictum est, si tribus lateribus quartum quantumvis exiguum addatur, non amplius consistit essentia trianguli.

Est equidem sua etiam in rebus moralibus essentia, notio nimirum complexa, partes omnes complectens, quae ad unum totum morale constituendum requiruntur. Itaque si una pars deest, utique totum ipsum morale non habebitur. Verum ex eo non sequitur, ut qui totum integrum ponere non potest, nullam ejus partem ponere teneatur. Sed ejus rei judicium ex regula superius allata petendum est. Si in ea parte, quam exequi possunt, aliqua ratio servatur ejus honesti quod lex intendit, tum etiam partem servare tenetur qui opus totum praestare nequit, ut ex superius dictis patet, et innumerabilibus exemplis demonstrari posset.

Hinc a vera sentiendi ratione aliena existimanda est eorum opinio, qui censent eum qui semel jejunium violavit, nulla se nova culpa obstringere, si deinceps per diem saepius manducet. Etenim lex, quae imperat abstinentiam a cibis, praeterquam his, qui una comestura, et vespertina refectiuncula sumuntur, sane vetat, ne plures comesturae fiant, quam quae conceduntur. Proinde quoties quis praeterea comedit, toties adversus eam legem committit, novisque et adeo culpis obstringit.

CAPUT V.

Num quis teneatur legi servandae impedimenta non adhibere, aut etiam removere.

PROPOSITIO

Haud licet voluntarie apponere impedimentum legi servandae eo animo, ut quis praescriptum lege officium subterfugiat. Istud enim ipsum est in fraudem legis agere, quod sine culpa fieri non posse superius ostendimus.

Non proinde licet quo tempore urget praeceptum, vel paullo ante, in opus non necessarium incumbere, e quo futurum sit, ut praeceptum servari nequeat; peccat proinde qui die jejunii lusu pilae ita se se defatigat, ut jejunii servando deinceps par non sit.

Ob eamdem rationem tenetur quis removere impedimentum non necessarium, si quod occurrat. Enim vero dum lex munus aliquod praescribit, ea etiam praescribere censetur, sine quibus imperatum munus exerceri non valet.

Quin etiam praecepta sunt usque adeo gravia, ut nunquam liceat apponere impedimentum praecepto servando, imo teneatur quis obicem quemcumque quoad potest removere, et media quantumvis difficilia adhibere: id patet in his, quae sunt omnino necessaria sive ad salutem consequendam, sive ad morum honestatem servandam, sive ad bonum commune tuendum. Quae quidem ex communi theologorum sententia decerpsimus.

Ceterum ut planius de hoc toto genere judicetur, praevidendum, utrum impedimenta sint ejus conditionis, quae ex generalibus principiis a legis servanda onere pro aliquo temporis intervallo eximant. Quod judicium tribus potissimum ex capitibus pendet, ex necessitate operis, ex ejusdem difficultate, ex conflictu officiorum.

Necessitate operis fit, ut qui duro labore se, suamque familiam alit, minime teneatur laborem illum necessarium intermittere, ne impedimento sit jejunii legi servandae.

Difficultate operis a servanda lege quis eximitur, cum sine gravi periculo lex servari nequit, et aliunde lex ad tantum

periculum non obligat, ut superius explicatum est. Sic non tenetur quis trasnare flumen exundans, ut sacris die festo intersit, cum exinde vitae amittendae grave periculum orietur.

Conflictu officiorum: cum scilicet impedimentum ad unam legem servandam oritur ex opere, quod alia lege magis urgente pro eo tempore praescribitur; in quo conflictu lex naturalis legi positivae, officium necessarium pro temporis conditione, officio eo tempore non ita necessario, bonum praestantius, et universalius, minus praestanti, minusque universali anteponi debet.

Est autem munus prudentiae principia haec generalia singulis, quae occurrunt, rite accommodare.

DISPUTATIO VIII.

De multiplici legum diversitate.

Ad hanc disputationem tria praesertim genera legum revocatur, videlicet leges poenales, leges irritantes, leges, quae tributa imperant.

CAPUT I.

De lege poenali.

Tria legum genera distinxere scholae doctores, unum earum, quae jubent tantum, aut vetant nulla adjecta poenae sanctione; alterum, earum, quae poenam tantummodo sanciunt, quasque mere poenales dixere; tertium earum, quae praecipiunt, simulque poenam in violatores sanciunt, quasque mixtas appellare placuit.

Hic porro mira se prodit sententiarum dissimilitudo, seu potius pugna dissentientium inter se doctorum. 1. Enim veteres cum theologi, tum jurisconsulti, si quae leges essent mere praecipientes, nulla adjecta sanctione poenae, eas nihilominus jure conscientiae obligare omnino censuerunt: contra Puffendorfius, Barbeyracius, aliique horum adstipulatores putant legem, quae sanctione poenae careat, non esse perfectam legem, nec adeo perfectam obligationem inducere. 2. Veteres quidam scholastici putarunt leges quascumque hu-

manas, quibus adjecta esset poenae sanctio, ad poenam, non ad culpam obligare. 3. Alii fatentur leges mixtas, quae praeceptum, et sanctionem complectuntur, ad poenam, et culpam obligare, non autem leges mere poenales, quas volunt ad poenam tantum infligendam valere, non ad obstringendam conscientiam. De quibus opinionibus jam pauca dicenda sunt, ut quid sit sentiendum distinctius innotescat.

§. I.

Adversus eos, qui leges non poenales nullam obligationem parere opinantur.

Hos vero, quantumvis multa nominis celebritate valeant, refellere nullius negotii est. Etenim rationi ordo postulat, ut ei pareatur, qui legitimam habet protestatem imperandi. Ergo eo ipso, quod legislator jubet, aut vetat, enascitur in subjectis obligatio parendi, quae sine naturalis ordinis perturbatione, ac legitimae potestatis injuria violari non potest. Quis autem hanc naturalis ordinis perturbationem, et illatam legitimae potestati injuriam culpa vacare dixerit? Poenae vero sanctio, quae in violatores statuitur, valet non ad inducendam obligationem, sed ad permovendos poenarum terrore illos, qui officii sui consideratione non moventur.

Quod autem ajunt perfectam obligationem non respondere, nisi perfectae legi; perfectam autem legem non esse, quae non praeceptum simul, et sanctionem complectatur: ex quo concludunt sublata sanctione legem utpote non perfectam haud posse perfectam obligationem inducere; id vero inani verborum lusu totum innititur.

Enim vero perfecta lex, quod ad praesens institutum pertinet, duplici ratione intelligi potest, aut lex, cui nil desit ad obligationem inducendam, aut lex, cui nil desit ad sui observationem asserendam. Priore sensu lex perfecta est statim atque legitimus legislator legitime imperat, ut probatum est. Posteriore sensu lex carens sanctione imperfecta censeri potest, quia cum in civitate non omnes, imo nec plerique virtutis, et officii studio ducantur, lex jubens tantum, aut vetans a permultis impavide, et passim violaretur. Sed ex hoc non sequitur hujusmodi legem, tamesti magna ex parte careret effectu, pariter omni vi obligandi carituram. Et sane si

omnes in civitate probi essent, leges adhuc quidem necessariae forent ad costituenda jura, sine quibus ordinatus civitatis status consistere non potest; et tamen istae leges nulla indigerent adjecta sanctione poenae: nam homines probi non moventur ad officium minis, ac terroribus humanis, sed ipsa potius officii consideratione. Quis autem dixerit propterea homines illos probos a legis servandae obligatione immunes futuros? Plura de hac re alio in opere diximus e nostra philosophia morali deprompta.

§. II.

De his, qui leges poenales ad poenam, non ad culpam obstringere opinantur.

Navarrus, aliique pauci opinionem Puffendorfii opinioni e diametro adversam tenuerunt. Nam cum Puffendorfius legem sine addita sanctione nullam proprie dictam obligationem parere putaret, isti contra existimarunt leges humanas siquidem poenae sanctionem praecepto adjiciunt, ad poenam quidem, non autem ad culpam obligare; adeo ut nullam culpae labem contrahat qui eas infringit, sed dumtaxat poenae perferendae obnoxius fiat. Ad hanc opinionem hac potissimum ratione adducti sunt, quod legislator contentus poenam sumere de transgressoribus noluisse censeatur eos praeterea culpae reatu obstringere.

Verum legislator jubens, aut vetans vult, sane legem suam servari: quin lex ipsa, utpote quae in bonum commune spectat, et ab eo, qui potestate pollet profecta, vi sua, seu ex intima relatione, quam habet sive ad bonum publicum, sive ad potestatem, e qua manat, postulat omnino ut ei pareatur. Poenae autem sanctio valet non ad minuendam, sed potius ad confirmandam obligationem, Ita constanter S. Thomas, qui perpetuo docet, poenam legibus adjici ut efficacius homines ad eas servandas inducantur: mensque proinde S. Doctoris fuit poenam legi adjectam obligationem non minuere, sed sancire.

Praeterea illo textu apostoli: *Subditi estote non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam*, perpetua veluti traditione doctores intellexerunt praeceptum contineri, quo fideles ab apostolo instituti jubebantur parere legibus eorum,

qui potestate publica rebus humanis praeerant. Isti porro imperatores erant, aut reges, et principes, quorum leges non carebant sanctione poenae, quive aliunde de obliganda conscientia nullo pacto cogitabant. Et tamen ex conscientia legibus illis parendum erat; quo patet, ad obligandam conscientiam minime requiri, ut principes, qui legem fert, de hujusmodi obligatione imponenda cogitet, eamque obligationem vi sua fluere ex lege, nec minui, sed potius confirmari per sanctionem poenae. Proinde illa Navarri opinio communi velut consensu repudiata est, nec juvat in ea refellenda diutius immorari.

§. III.

De legis mixtae, et mere poenalis distinctione, deque his, qui leges saltem mere poenales nullam ad culpam obligare autumant.

Alii, nec pauci Navarri opinionem saltem ex parte defendere student; ejusque rei gratia duplicem distinguunt legis poenalis rationem, quarum alteram mixtam, alteram mere poenalem dicunt: mixtam quae praeceptum, et sanctionem poenae simul continet, eamque conscientiam obstringere non diffitentur; qua in re a Navarro dissentiunt: mere poenalem quae poenam statuit, quin praeceptum exprimat, hancque putant ad poenam tantum, non ad culpam obligare; talis foret lex his verbis promulgata: quisquis noctu per urbem arma gestaverit, carcere multator.

Ad id genus (minus apte tamen) revocant leges, quae sub disjunctione decernunt aut ne quid fiat, aut, si fit, certa multa solvatur. Sed istae leges a legibus poenalibus omnino secernendae sunt; earumque vis paullo diligentius explicanda est, antequam statuatur quid sentiendum sit de legibus, quas istis doctoribus mere poenales appellare placuit.

Fatendum proinde. 1. Leges aliquas esse, quae sub disjunctione sanciunt. 2. Leges hujusmodi ad alterutrum obligare. 3. Non tamen eas leges satis apte poenales vocari posse.

Primo itaque non desunt exempla legum, quae decernunt, ut aut ne quid fiat, aut si fit, onus aliquod subeatur: talis esset lex praescribens, ne aut certa merx in civitatem com-

portetur, aut siquis eam comportare velit, certam pecuniae summam in publicos usus solvere teneatur. Porro haec vis est earum legum, ut vetent aliquid fieri non absolute quidem, sed sub conditione, nisi quis malit impositum onus subire; posita conditione id fieri concedant. Neque in eo est quidquam, quod naturae legis repugnet.

Secundo ex hoc proinde sequitur, ut hujusmodi leges ad alterutrum obligent, prout revera isti fatentur; scilicet vel abstinendum ab importanda merce, vel praescripta pecunia solvenda; quippe alterutrius optio datur a lege, cui proinde satisfit, quaecumque pars eligatur.

Tertio non tamen istae leges satis apte poenales vocari possunt; nam, ut graviter docet Dominicus Soto, poena vel ipso attestante nomine tam cognatam habet connexionem ad culpam, ut poena neque rem habeat, neque justum nomen, nisi sit pro culpa posita. Loquimur enim hic de poena juridica, pro eo, quod est ultio, et vindicta (nam accipitur poena quoque physice pro cruciatu, quem quis patitur vel ab alio quovis morbo afferente dolorem). Neque opus est alia probatione praeter nominis significationem. Vindicare enim, et ulcisci, et supplicium poscere, atque adeo poenam infligere neutiquam, nisi pro culpa, fas est. Quocirca nisi culpa adsit, improprie, et praeter verborum significatum usurpatur. Fit enim per poenam justa repensio culpae; nempe ut qui suae obsequens voluntati deliquit, contra eamdem suam voluntatem patiatur. Porro quoties lex optionem dat aut deponendi gladii, aut pecuniam solvendi, nulla est in culpa sive qui gladium deponit, sive qui retinet impositam solvendo pecuniam. Uterque enim legis voluntati obsequitur. Ergo illa pecuniae solutio poterit quidem onus vocari, sed non poena. Quare merito idem Soto quidquid ejusmodi oneris tali lege imponitur, non instar poenae repeti affirmat, sed tamquam vel pretium rei concessae, vel tamquam compensationem damni, quod ex usu rei concessae obvenire aliquando potest. Immerito igitur poenalis vocatur lex, quae nullam poenam exigit, sed quae concedendo aliquid fieri, oneris aliquid imponit vel pretii, vel compensationis causa; idque ex illa aequalitatis notissima regula, quae statuit justum esse, ut qui commodum sentit, etiam incommodum patiatur.

Neque haec quaestio de nomine tantum esse putanda est; nam qui leges mere poenales defendunt ad poenam, non ad

culpam obligantes, hoc exemplo, sive hac nominis poenae detorta significatione abutuntur, ut ostendant poenam non semper ob culpam infligi, nec proinde repugnare leges aliquas esse quae violatores nulli culpae, sed poenae perferendae obnoxios faciant. Quare posteaquam ex communi sensu demonstratum est illud onus, quod legibus hujusmodi, disjunctive imperantibus imponitur, non esse poenam proprie dictam, neque adeo illas leges poenales jure dici posse, ruit fundamentum ejus opinionis praecipuum. Jam veniendum ad alias leges, quae proprio nomine poenales vocari possunt, quasque isti mere poenales dicunt: quae scilicet veram poenam decernunt, quin praeceptum disertis verbis enuncient.

PROPOSITIO

Leges, quae mere poenales dicuntur, quae videlicet poenam statuunt, tametsi praeceptum disertis, et expressis verbis non enunciant, non ad poenam tantum, verum etiam ad culpam obligant.

1. Vel fatentibus adversariis leges istae ad poenam obligant, ergo etiam ad culpam. Poena enim nonnisi propter culpam juste infligitur. Unde Augustinus lib. 3. de lib. arb. c. 18. *Omnis autem poena, si justa est, peccati poena est.*

Ut vim eludant hujus argumenti solent qui contra sentiunt proferre regulam 23. jur. in 6. quae sic habet: *Sine culpa (nisi subsit caussa) non est aliqui puniendus.* Ex qua concludunt, cum subest caussa, etiam sine culpa poenam infligi posse. Verum, ut sapienter animadvertit Soto, regula ea juris universalem continet veritatem, quod sine culpa non est aliquis puniendus, interjectam autem parenthesim (*nisi subsit caussa*) si glossam auscultes, solum docere, ubi intervenerit citra culpam caussa, contingere posse, ut homo propter indecentiam ab aliqua dignitate repellatur, ut in bigamo accidit, qui sine culpa at irregularis, quae una forte est caussa, ut notat idem Sotus, ob quam regula juris eam exceptionem fecit, quamquam nil obstare videtur, quo minus ad alia etiam traduci valeat. Praeterea, eodem auctore Soto, illa parenthesis aliter a D. Thoma intelligitur, videlicet de flagellis divinis, quae non tam in poenam commissorum criminum, quam ceu medicinae in futurum infliguntur, Qua de re vi-

dendus S. Doctor 2. 2. q. 108. art. 4. Quamquam ipsa S. Doctoris interpretatio nullo pacto adversatur illi alteri, qua in allata exceptione poena sumitur pro cujusvis incommodi genere, quod justa de caussa etiam citra culpam imponitur, habetque cum poena velut affinitatem quamdam, et similitudinem.

II. Legislator, qui poenam constituit adversus violatores legis, vult sane legem suam servari, nec poenam sancit, nisi ut subjecti efficacius inducantur ad eam servandam. Ergo ejusmodi leges revera praecipientes sunt, tametsi praecipiendi verbum non adhibeant. Ex caus. reperiuntur in jure leges nonnullae, quae in hunc fere modum statuunt: *Qui nummos aureos finxerit, summo supplicio affici debet.* Tametsi legislator disertis verbis non exprimat prohibere se, ne nummos quis fingere audeat, tamen satis explorate ostendit voluntatem legis hanc esse, ne nummi fingantur.

Quamobrem leges hujusmodi, quae pure poenales dicuntur ab adversariis, implicite praeceptum continent, ne id fiat, cui poena adjuncta est. Sunt ergo, si non expressis verbis, saltem vi, et potestate leges mixtae ex praeceptione, et sanctione, quas conscientiam obligare nec ipsi adversarii diffitentur.

Equidem et Sotus, et cardinalis Gotti, aliive, qui legem omnem poenalem et ad culpam, et ad poenam obligare defendunt, hanc exceptionem adhibere solent, nisi legislator contrariam intentionem expresserit, adeo ut dicat se nolle obligare. Sed recte animadvertit Gotti talem constitutionem non fore propriam legem, sed meram directionem, et consilium. Quod vero solet etiam opponi de constitutionibus monachorum, quae non ad culpam, sed tantum ad poenam sustinendam obligant, respondet Sotus illas non esse proprie, et legitime poenas, sed esse quasi conventiones, et pacta, quia monachi volunt tali se voto adstringere, ut si haec fecerint, illa patiantur. Gotti addit hoc ideo esse, quia legislatores non intenderunt veras leges ferre, solas ordinationes, et directiones moventes, et hortantes, quid ad melius bonum fieri deceat, non tamen praecipientes, ut id fiat, quam in rem doctrinam laudat S. Th. 2. 2. q, 186. art. 9. ad 1. et 2. Quin et forte addi potest, etiamsi caput quodpiam monasticae regulae ad nullam culpam vi sua obliget, tamen si quis monachus muneri, quod eo capite praescribitur, nulla

legitima caussa desit, in hujusmodi officii praetermissione nonnullam se prodere animi remissionem ad desidiam; ut proinde jure ac merito poenitentiae genus aliquod statuendum fuerit, quod ad acuendam diligentiam; servandamque disciplinam valeret.

Sed cum lex nulla praecipiendi formula poenam dumtaxat sancit, velut si feratur in hunc modum: *Qui mercem talem importaverit, multam solvito*; dubium enasci potest, num ejusmodi lex inter eas sit recensenda, quae praeceptum implicite continent, an inter eas, quae sub disjunctione statuunt, ut: aut ne quid fiat, aut, si fit, onus impositum subeatur.

Ad cujus rei judicium tria sunt animadvertenda. 1. Perspici satis facile id posse et ex materia legi subjecta, quae si valde pertinet ad bonum publicum; non est dubitandum, quin cadat sub praeceptum. 2. Ex conditione poenae. Nam leges, quae mortem, infamiam, exilium, carcerem in violatores statuunt omnino praeceptivae censeri debent. Etenim haec non decernuntur nisi ad vindictam de culpa sumendam, non autem exiguntur instar pretii, vel compensationis, ut satis manifeste patet. 3. In dubio lex censeri debet omnino praeceptiva ex generali regula, quae docet in dubio tutiorem viam esse sequendam.

Quare nisi perspicue constet legem sub disjunctione optionem dare, aut rei alicujus omittendae, aut ejus faciendae, modo impositum onus a lege subeatur, peccat qui legem transgreditur. Nec solum peccat adversus charitatem, quam sibi quisque debet, quatenus exponit se se discrimini gravis poenae subeundae, sed adversus obedientiam, quam quisque legitimae potestati debet.

Tandem animadverto Gallum scriptorem (Continuat. Tourneli) qui aliam sententiam secutus leges mere poenales agnoscit ad poenam, non ad culpam obligantes, tamen concludere: *Hinc etiam inferes nullas a regibus nostris ferri leges, quae certo judicari possint esse mere poenales.* Idest quae poenam sine praeceptione saltem implicita contineant. Idem porro de cujusvis reipublicae legibus valere par est. Quo tamen putamus non excludi leges, quae sub disjunctione optionem dant, aut rei alicujus non faciendae, aut pecuniae solvendae; quae proprie poenales dici nec possunt, nec debent.

CAPUT II.

De modo, quo leges ad poenam obligant.

Multae ad hoc caput quaestiones referuntur, ad quarum explanationem praemittenda est diversi ordinis poenarum multiplex distinctio.

Poenae aliae sunt *latae*, aliae *ferendae sententiae*. Poena dicitur latae sententiae, cum lex poenam decernit ipso facto incurrendam, dicitur vero ferendae sententiae, cum poenam decernit per judicem infligendam.

Sententia porro judicis alia est *condemnatoria*, qua reus a judice certa poena damnatur; alia *declaratoria*, qua judex declarat aliquem reum esse criminis, propter quod poena ipso facto incurritur, adeoque reum in illam poenam male facto suo revera incurrisse.

Deinceps poena aliae actionem aliquam requirunt vel delinquentis, velut si pecunia solvenda est, vel aliorum, ut fustuatio: suntque vel graviores, vel leviores; aliae nullam ejusmodi actionem requirunt.

Insuper aliae inhabilem reddunt ad acquirendum, aliae privant jure acquisito.

Item aliae sunt spiritales, ut excommunicatio, suspensio, irregularitas ex delicto etc., aliae temporales, quae vel personam ipsam, vel bona fortunae afficiunt etc.

PROPOSITIO I.

Quoties poenae est ferendae sententiae, reus non tenetur illam subire ante sententiam judicis. Nam lex poenam decernit ut infligendam per sententiam judicis. Ergo vi legis nulla est conscientiae obligatio poenae ante sententiam judicis luendae, in eoque omnes consentiunt.

PROPOSITIO II.

Poenae latae sententiae, quae nullam rei actionem requirunt, ut sunt irregularitas ex delicto, excommunicatio etc. incurruntur vel ante omnem judicis sententiam. Quare occulti quidam legum violatores vere sunt excommunicati, et ir-

regulares. Etsi autem excommunicatus non sit vitandus, nisi post sententiam, qua talis nominatim declaretur, tamen excommunicatus occultus abstinere debet ab his, quae sunt excommunicatis vetita, et id quidem quoad potest. Nam ad vitandam infamiam non semper debet se gerere ut excommunicatus.

PROPOSITIO III.

Poenae, quae ipso facto irritant actum prohibitum, velut matrimonium clandestinum, vel reum reddunt inhabilem ad jus acquirendum, velut quae beneficiarium horas non recitantem reddunt inhabilem ad percipiendos fructus, effectum suum sortiuntur ante omnem sententiam. Quare clandestine conjuncti nulla expectata sententia recedere debent: Simoniacus realis beneficium dimittere, et fructus restituere etc.

PROPOSITIO IV.

Poenae, quae reum privant jure jam acquisito communiter vim non habent ante sententiam judicis saltem declaratoriam. « Quare, inquit cardinalis Gotti post Sylvium, reus « ante judicis declaratoriam non tenetur seipsum abdicare a « possessione beneficii, a cujus titulo excidit, nec restituere fru- « ctus ex ipso perceptos, modo officia, et onera beneficio « annexa exequatur: nisi tamen ipsa lex expresserit, ut de « facto debeat in conscientia beneficium deponere, vel nisi « exprimat, quod ipso facto ante judicis declarationem de- « beat beneficium dimittere. Quod si reus ante judicis decla- « rationem aliquos actus suae jurisdictionis exerceat, etsi il- « licite agat, validi tamen sunt. Unde si clericus sit parochus, « et crimen ejus palam notorium non sit, ut constet, quod « beneficii titulum amiserit, valent ejus acta, et confessiones « ipsi factae, et absolutiones ab ipso datae validae, ac ra- « tae sunt. Et si canonicus sit, ac suffragium ferat in cano- « nicorum collegio, valet ejus suffragium ob communem er- « rorem. Tum enim ecclesia, ne conscientiae perturbentur, « censetur auctoritatem illi conferre. Ita valde probabiliter « censet Sylvius etc.

PROPOSITIO V.

Poenas latae sententiae, quae propriam actionem rei requirunt, nec sunt admodum graves, reus ipse ante quamlibet sententiam persolvere debet. Quippe tum nil occurrit, quod reum excuset, ne pareat legi poenam ipso facto decernenti.

PROPOSITIO VI.

In poenis, quae per sententiam Judiciis infliguntur tenetur reus. 1. Sententiae se se subdere, nec ei fas est judici, aut ministris per vim obsistere; quippe lex poenalis conscientiam obligat ad poenam sustinendam, et justo praepositi mandato est obtemperandum. 2. Si poena sit capitis, mutilationis, vel gravis verberationis non debet eam ipse sibi inferre, sed infligentibus non obsistere. 3. Tenetur vero reus damnatus pecuniam solvere; in exilium abire, vel in carcerem se conferre, in eoque permanere. Nec enim est nimiae acerbitatis poenas ejusmodi a reo pro delicti gravitate repetere, debetque reus justae legi, ac sententia parere.

Quae ut magis illustrentur, proferenda in medium doctrina D. Thomae 2. 2. q. 69. art. 4. ad 2. « Dicendum « quod nullus ita condemnatur quod ipse sibi inferat mor« tem, sed quod ipse mortem patiatur: et ideo non tenetur « facere id unde mors sequatur, quod est manere in loco, « unde ducatur ad mortem; tenetur tamen non resistere a« genti, quin patiatur quod justum est eum pati. Sicut etiam « si aliquis sit condemnatus ut fame moriatur, non peccat, « si cibum sibi occulte ministratum sumat; quia non sumere « esset se ipsum occidere ».

Certum proinde, in quo facile omnes consentiunt, reo damnato ad pereundum fame, licere oblatum clam cibum sumere. An vero liceat repudiare, aliqua est inter doctores dissensio. Non desunt, qui licere putent: alii prorsus negant; quorum sententia propius accedere videtur ad mentem D. Thomae, qui hoc ipso quod statuit idem esse oblatum cibum respuere, ac seipsum occidere, satis ostendit, quemadmodum nemini licet seipsum occidere, ita nec licere, quod perinde est, oblatum cibum non sumere.

Liquet etiam ex eadem D. Thomae doctrina reo damnato ad mortem fas esse fuga sese capitali supplicio subducere non tamen, ut dictum est; justitiae ministris per vim obsistere.

Multi existimant eidem quoque licere custodiam effringere. Verum aliter sentit Henricus Gandav. referente Soto. Effractio quippe custodiae speciem prae se fert vis adhibitae. Nam ut privato vim adhibet qui januam ipsius effringit, sic ille potestati publicae vim adhibere aliquo modo videtur. Sed in re tam gravi probe considerandum, num carceris effractura eodem sit loco habenda, quo vis adhibita adversus lictores, quamque non licere constare omnino debet.

Sane Merbesius, quem mollioris indulgentiae culpa notare non soleat, affirmare non dubitat reo, tametsi juste ad mortem condemnato, licere carceres effringere, ut se se penetret in fugam. Dubius haerere videtur Pontas propter legum auctoritatem. Leges quippe romanae puniendos censent qui carcere effracto evadunt.

Sed legislatoris prudentiae est inspicere, num forte non satius esset harum legum rigorem temperare, quae parum proficiunt ad finem propositum, qui non nisi diligenti custodia obtineri potest, et aliunde humanis viribus non satis attemperatae videri possunt.

Minime vero licet ad carcerem effringendum instrumenta, vel auxilium praebere, ut haud satis probabiliter probabilistae non pauci opinantur.

An vero liceat fugam dumtaxat consulere, majorem dubitationem habere videtur. Cur enim, inquiunt, non liceat alteri consulere quod licite ille facere potest? Cur non etiam auxilium praestare?

Verum generaliter haud verum est ei rei, quam quis licite facere possit, posse alios indiscriminatim adjutores se praebere. Licite potest cui pecunia surrepta est, furem convenire: numquid ipsemet filius furis propterea poterit accusationi adversus patrem suasorem, consultorem, ministrum, et adjutorem se praebere? Sane in filio peculiaris circumstantia pietatis erga patrem facit, ut ei turpe ac nefarium sit, quod omnino licet ei, cui pecunia surrepta est. Sic in reo damnato circumstantia, quae dicitur ex amore vitae cuilibet a natura insito, facit, ut ei liceat sine vi supplicio se se subducere; in aliis vero justitia legalis, et obedientiae debi-

tum erga potestatem publicam vetant, ne illi fugae se se ullo modo adjutores praebeant, tamen si reus damnatus ad mortem promisisset non fugere, jam fuga non ei amplius licita esset.

Postremo loco se offert difficultas explananda. Facta est poenarum partitio in poenas latae sententiae, quae ipso facto incurruntur, et poenas ferendae sententiae, quae per sententiam judicis infliguntur. Postea dictum est poenis latae sententiae reum plerumque non teneri ante sententiam declaratoriam judicis, maxime si poena gravior sit reique actionem requirit. Hoc porro everti videtur discrimen inter poenas latae, et poenas ferendae sententiae; siquidem sit utrobique aliqua judicis expectanda sententia.

Verum adhuc discrimen consistit. Nam ubi lex poenam decernit ipso facto incurrendam, lex per se ipsam poenam rogat, v. g. reum bonis suis privat, ea tamen conditione, ut crimen per sententiam judicis declaretur. Ubi vero poena est ferendae sententiae, lex per se ipsam poenam non irrogat non continuo reum suis bonis privat, sed judici mandat, ut privet. Hinc primo casu donationes, aut aliae bonorum alienationes quae post crimen patratum factae sunt, rescinduntur, et irritae evadunt, statim atque intervenit sententia judicis declaratoria; quae proinde ad ipsum commissi criminis tempus fictione juris retrotrahitur, id autem in secundo casu non evenit. Propterea possunt haeredes conveniri ad solvendum quod defunctus debebat vi poenae ipso facto irrogatae, secus si poena solum esset ferenda.

CAPUT III.

An, et qualis ignorantia eximat a poena.

Hoc capite in medium proferemus quae communiter theologi docent de poenis, praesertim canonicis.

PROPOSITIO I.

Ignorantia, oblivio, inconsiderantia prorsus inculpabilis excusans a culpa, excusat quoque a poena. Quippe nonnisi ob culpam poena juste infligitur, propterea etiam in facto aliunde gravi, si inconsiderantiae culpa levis fuit, poena justa

proportione mitigari debet. Porro regula jur. 3. in 6. *Ignorantia facti excusat, non juris*, merito pro foro externo valet, in quo ignorantia juris non praesumitur, sed probari debet. Propterea etiam multi concludunt, si reus damnatus est, quia inculpabilem ignorantiam probare non potuit, ei fas esse se se poenae subducere, modo id fiat sine vi, fraude, et scandalo. Sed cavendum, ne quis de inculpabili ignorantia perperam sibi blandiatur.

PROPOSITIO II.

Si lex irritat actum, non juvat ignorantia, etiamsi prorsus invincibilis, nisi lex omnino irritet in odium, et poenam delicti: quia ignorantia non supplet defectum, vi cujus actus lege irritatur.

PROPOSITIO III.

Ignorantia vincibilis, quae non excusat a gravi culpa, neque a gravi poena excusat; nisi poena in eos constituta sit, qui scienter, temere, praesumptuose aliquid fecerint. A qua tamen poena non eximuntur, quorum ignorantia est affectata.

PROPOSITIO IV.

Ignorantia etiam invincibilis solius poenae non excusat per se a poena, nisi lex contumaciam requirat. Enim vero ignorantia invincibilis solius poenae non excusat a culpa, propter quam poena lege decernitur. Id vero locum habet, nisi contumacia requiratur, ut in censuris evenit, a quibus proinde ignorantia excusat, nisi sit crassa, et supina.

Proinde qui peccat adversus legem naturalem, et divinam, quamquam ignoret invincibiliter legem humanam eumdem actum sub comminatione certae poenae vetare, continuo eximitur a poena, quam lex humana decernit. Nam voluntarie culpam admisit, cui talis poena constituta est.

Excipere tamen solent. 1. Si poena praecipue lata esset ob contumaciam, et contemptum humanae potestatis. Hic enim contemptus in eo esse non censetur, qui legem humanam prohibentem ignorat. 2. Si poena prorsus extraordi-

naria esset pro ratione delicti; quippe consonum aequitati videtur, ut poena ejusmodi minuatur, ubi legis humanae extraordinariam illam poenam statuentis invincibilis ignoratio praecessit. Atque hoc quidem valere existimo, praesertim cum agitur de delicto adversus quoddam peculiare statutum, non autem cum agitur de malefacto, cujus improbitas ultro insilit in oculos, quoque plus, minusve ubivis gentium plectitur. Nam qui tale improbum facinus admitteret in loco, ubi poena singularis, et prorsus extraordinaria ei delicto imposita esset, non propterea immunis ab ea censeretur, quod ejus poenae ignorantia invincibili laborasset.

CAPUT IV.

De lege irritante.

§. I.

Quemadmodum jure naturae fiat, ut ex actis alia vitiosa sint, non tamen irrita, alia vitiosa simul, et irrita.

Societas humani generis mutuis officiis, pactis conventionibus, aliisque id generis actis maxime continetur. Ex ejusmodi actibus alii tametsi vitio aliquo infecti, nihilominus rati sunt, ac validi, effectumque suum sortiuntur: alii vero vitiosi simul sunt, et irriti. Atque hujus quidem rei initium a jure ipso naturae repetendum est. Sic vel in ipsa lege naturae, et solo naturae jure spectato conjugium insciis parentibus, aut eorum injussu initum, pravum quidem erat, sed ratum. Conjugium autem cum ea initum, quae jam uxor esset alterius, non pravum dumtaxat, sed etiam nullum, et irritum. Discriminis ratio ex eo petitur, quod primum conjugium pravum non est ratione sui, seu substantiae actus, sed ratione circumstantiae accidentariae, et velut extrinsecus advenientis, nimirum ex defectu pietatis erga parentes. Unde peccat quidem qui sic matrimonium contrahit, quia non servat debitum officium erga parentes; actus autem per se se firmus manet, ac ratus. In altero vero casu conjunctio cum ea, quae jam uxor est alterius, vi sua repugnat substantiae, ac bono conjugii, quo fit, ut ea pravitas non solum incidat in ipsum modum con-

trahendi, sed ipsi contractui cohaereat, et cum ipso perseveret, semperque adeo resistat valori ejusdem actus.

Spectato proinde jure naturae actus erit non solum pravus, sed et irritus, sive cum vitium inficit ipsam substantiam actus, adeo ut pravitas divelli ab eo nusquam valeat, sive cum effectum habet permanentem ordini naturali adversum, et repugnantem. Cum vero vitium ex accidentaria circumstantia in actum irrepit, proindeque nec inficit substantiam actus, nec effectum habet permanentem legi naturae contrarium; tum actus vitiosus quidem erit propter circumstantiae pravitatem, sed simul firmus, ac ratus poterit consistere.

Nunc ad ea, quae jure positivo infirmantur, gradus est faciendus.

§. II.

De actis, quae humanis legibus irritantur.

Lex irritans dicitur quae nullum, et irritum reddit actum, qui alioquin vi sua validus, ac firmus foret.

PROPOSITIO I.

Certum est in republica eam potestatem vigere, ut supremus legislator valeat et certas personas ad contrahendum inhabiles reddere, quae alioquin solo spectato jure naturae, contrahere possent: et certam contrahendi formam, certasve conditiones praescribere, quae si desint, contractus nullus reddatur, et irritus. Etenim ex natura ipsa, et constitutione civilis societatis supremum regimen ea omni potestate pollet, quae ad optimam reipublicae gubernationem requiritur. Jam vero haec irritandi potestas ad bonum commune vehementer pertinet, sive ad certum ordinem in rebus gerendis constituendam, sive ad avertenda fraudis, et deceptionis pericula, sive ad rerum gestarum majorem securitatem, sive ad aetatis, vel sexus inscitiam muniendam, sive etiam ad sceleris, et fraudis vindictam.

Hinc lex irritans 1. dividitur in eam, quae actum irritat in odium, et vindictam delicti, ac poenalis dicitur, et eam, quae actum irritat ex publici boni consideratione ad avertendum fraudis periculum etc.

2. Alia est lex irritans ipso facto, alia decernens actum per judicem irritandum.

Summa porro disputationis a theologo his de rebus instituendae eo redit, an, et quemadmodum leges irritantes conscientiam obligent.

PROPOSITIO II.

Lex irritans, quae simul actum prohibet, obligat sane ab eo actu abstinere. Talis enim lex praeceptum continet, cui parendum esse satis constat ex dictis. Ex. gr. quo jure irritatur matrimonium clandestinum, eodem jure prohibetur, quare ne illud quidem attentare licet.

Verum inquiritur, utrum omnis lex prohibens, simul irritans sit, et an omnis lex irritans etiam prohibens censeri debeat.

Jure canonico non omnis lex prohibens simul est irritans. Nam ex cap. 16. de regul. *Multa fieri prohibentur, quae si facta fuerint, obtinent firmitatem.* Exemplum patet in eo, qui simplici voto castitatis adstrictus matrimonium contrahit, vel in eo, qui temporibus vetitis nuptias celebrat. Utroque casu est quidem illicitum matrimonium, et prohibitum, tamen validum, et firmum.

Et sane aliud est prohibere, aliud irritare: neque ipsa rerum natura spectata repugnat, ut lex fieri aliquid vetet, poena in transgressores decreta, nec tamen rem factam infirmet. Nil certe in hoc absurdi se prodit, quod legislator certas merces vendi prohibeat praeterquam in foro, poena etiam in violatores legis constituta; et tamen si aliquis alibi vendat, nihilominus rata sit venditio, vendensque tantum poenae constitutae obnoxius fiat in vindictam culpae.

An autem revera jure civili lex aliqua sit prohibens tantum, et non irritans, theologi quidam doctores disputant. Non est dubium, quin id pendeat ex legislatoris voluntate. Potest enim ex aequo legislator irritum velle, et facere quemcumque actum suis legibus prohibet, aut aliquos actus prohibere, poenamque in transgressores sancire, nec tamen eos irritos reddere.

Si romanum jus consulimus, extat imperatoris Theodosii constituto L. non dubium de leg. *Quae lege fieri prohibentur, si fuerint facta, non solum inutilia, sed pro infectis etiam ha-*

bentur: licet legislator fieri prohibuerit tantum, nec specialiter dixerit inutile esse debere quod factum est. Quam legem citat S. Gregorius Magnus lib. 7. epist. 7., cujus verba referuntur caus. 13. q. 2, c. 13. *Imperiali constitutione aperte sancitum est, ut quae contra leges fiunt, non solum inutilia, sed etiam pro infectis habenda sint.* Proinde si qua in republica viget tota quanta est ejus legis extensio, citra haesitationem dicendum erit quaecumque fiunt contra leges irrita esse habenda. Sed illud ipsum non erit transferendum in alias respublicas, quae alio jure utantur.

Ubi vero leges non ita perspicue declarant, quae dumtaxat prohibita, quae vero etiam irrita intelligenda sint, ejus rei judicium ex sequentibus peti poterit.

1. Si quod prohibetur suapte natura bonis moribus repugnat, pro nullo, et infecto habendum est, nam pravitas, quae substantiae actus inhaeret, firmitati ejusdem perpetuo resistit, ut superius observatum est. 2. Ex verbis, fine, vel ratione legis interdum argumentum capi poterit, utrum lex aliquid tantum prohibeat, an id etiam nullum, et infectum velit. 3. Idem innotescet ex usu, et praxi judiciorum, ac magistratum. 4. Ex communi etiam jurisconsultorum sententia.

Quod attinet ad secundum caput quaestionis doctores facile agnoscunt nullo pacto repugnare leges aliquas esse, quae factum irritent, non vetent. Exemplum proferre solent legis, quae irritat renunciationem haereditatis paternae factam a filia, quae nubit sola dote contenta. Lex, ajunt isti, renunciationem fieri non vetat, adeo ut in culpa sit filia, quae renunciationem infirmat; hoc porro evenire putant cum per solam irritationem bono publico, quod legislator intendit abunde prospicitur, velut in allato exemplo, ubi satis est renunciationem infirmari, ut indemnitati filiae, et eorum, quorum interest, consulatur. Quamquam dici posset eam legem potius patrem ipsum respicere, et implicite saltem vetare, ne pater ejusmodi renunciationem exigat. Itaque lex pietatis intuitu non eo filiam adigit, ut patri petenti obsistat, sed vetat patrem petere, quod ipsa lege nullum, et invalidum est. Ceterum exempli tantum gratia ista proferuntur; nam haec, et alia similia peculiaribus locorum legibus definienda sunt. Quod vero ad conscientiam attinet, generalia haec proponuntur.

PROPOSITIO III.

Lex omnis ipso facto irritans conscientiam obligat, ne quis actu per legem irrito utatur quasi valido.

Etenim non licet uti actu aliquo quasi valido, qui revera validus non est. Sed revera invalidus est, cui lex omnem valorem, ac firmitatem detrahit, quemque valere omnino non vult. Haud licet igitur actu ejusmodi uti quasi validus esset. Proinde cum simoniaca beneficii adeptio jure ipso irritetur, non licet beneficio uti quasi valide adepto, et si qui fructus percepti sunt, restitui debent.

Excipiunt nonnulli casum, quo irritatio fit in favorem unius partis. Tunc enim, inquiunt, haec potest actu irrito uti, licet non teneatur: velut jure communi minor, qui contraxit, potest, si vult, contractui stare, cum major effectus est. Verum id exemplum non satis apte cadit; quia jure communi contractus, quos minores ineunt, non tam ipso facto irriti sunt, quam ipsorum voluntate irritandi, si deinceps resilire volunt. Stat proinde regula generalis neminem posse uti actu per legem ipso jure irrito, quasi validus esset.

Porro censetur lex ipso jure irritare sive cum personam inhabilem reddit ad aliquid obeundum, sive cum formam praescribit actui, aut conditionem, sine qua ejusmodi actum nullum, et infectum esse omnino vult. Tunc enim ejusmodi actus ex lege nulli, et irriti sunt, utpote profecti a persona, quae omni ad eam rem facultate carebat, vel destituti forma ad ipsam substantiam actus praescripta, sine qua proinde actus nequit consistere, vel destituti conditione ad ejus valorem omnino requisita.

PROPOSITIO IV.

Lex, quae ipso facto actum non irritat, sed tantummodo decernit irritandum, non obligat ante sententiam judicis ad habendum actum tamquam irritum. Etenim irritatio actus est publicae potestatis. Ergo si non fit ipso jure per legem, fieri debet ex praescripto legis per judicem, adeoque quod gestum est valebit usque eo dum fuerit a judice irritum.

PROPOSITIO V.

Si lex actum non decernit irritandum, nisi ad petitionem partis, et in ejus favorem, tum non obsistit, quin consentiente parte actus privatim valere queat.

§. III.

De his, quae videri possunt impedire, ne quandoque lex irritans effectum suum consequatur.

PROPOSITIO I.

Si lex actum non irritat, nisi in vindictam culpae, sitque adeo irritatio mere poenalis, quaecumque a culpa excusant, simul a poena irritationis eximunt. Nam ubi nulla culpa est, nec poenae locus esse potest. Id vero praesertim cernitur in legibus canonicis, quae ad animarum regimen, ac spiritalem progressum maxime referuntur. Quare theologi docent, si quis inculpabili prorsus oblivione horas recitare omittit, eum nihilominus fructus facere suos. Difficile tamen videtur, ut ea sit inculpata oblivio, nisi forte dum memoria in homine paullatim obliteratur, ac sensim deficit. Aliquando tamen insons jure acquirendo privatur in odium culpae alienae, velut cum quis per alienam simoniam, cujus ille minime conscius est, beneficium consequitur. Sed tum irrita est beneficii consecutio non tam in vindictam culpae propriae, quam in odium simoniae, ut ei teterrimo vitio aditus omnis praecludatur: quod ad religionis bonum maxime pertinet. Et generatim dum quis propter alienam culpam inhabilis redditur ad aliquid consequendum, vel obeundum, ita fit ad arcendum detrimenti periculum. quod aliunde immineret.

PROPOSITIO II.

Qui actum ignorat irritari per legem, non tamen ignorat prohiberi, obnoxius est irritationi, quamvis haec in solam culpae vindictam sancita fuerit. Nam ignoratio poenae non tollit culpam, nec proinde a poena eximit.

PROPOSITIO III.

Ignoratio etiam inculpata legis irritantis non impedit irritationem, quoties haec inducta est ob commune bonum. Ita omnes sentiunt. Etenim haec vis est ejusmodi legis, ut actus irritus plane, ac nullus sit. Non ergo poterit ob ignorationem convalescere. Id patet jure canonico in matrimonio, quod quis bona fide absente parocho celebrasset, jure autem civili in testamento bona fide scripto sine solemnitatibus, quas ad ejus valorem jura requirunt.

CAPUT V.

De legibus tributa imperantibus.

Tributum generatim id omne dicitur, quod principi, vel reipublicae penditur ob onera communia sustinenda.

Quod pro rebus importandis, vel exportandis imponitur, vocatur vectigal, aut etiam portorium, gabella autem a summistis.

Quod à transeuntibus exigitur ad viarum munimentum, et custodiam, pontiumve refectionem dicitur pedagium.

Angariae nomine significantur operae, quae a personis exiguntur.

Tributum item aliud singulis capitibus, vel personis imponitur, idque aliquando in recognitionem supremi dominii, diciturque census, vel capitatio, aliud vero pro facultatum proportione imperatur.

Insuper unum ordinarium est, quod certam, et quotannis recurrentem ex communi lege praestationem continet; aliud extraordinarium, quod propter caussam peculiarem supervenientem imperatur.

Demum tributum aliud est reale, quod rebus, seu possessionibus inhaeret, aliud personale, quod personis plerumque ratione industriae imponitur, aliud mixtum, quod utrumque complectitur.

Tres porro conditiones requiruntur, ut tributa omni ex parte justa esse censeantur. 1. Legitima imponentis auctoritas, ut nempe imperentur a supremo principe, vel ab iis,

qui a supremo principe legitimam potestatem habent. Etenim imperandi tributi potestas inter regalia, seu supremae majestatis jura numeratur; nam princeps supremus a populis necessarios sumptus sumere debet; proreges vero, duces, et alii gubernatores, vel magistratus a principe, a quo constituuntur.

Altera conditio est, ut justa de caussa imperentur, nempe ad publicae rei necessitatem, vel utilitatem, tum ad principatus dignitatem, ut par est, honeste, et e virtute tuendam, quod etiam ad publici boni rationem pertinet. Quo loco duo monere theologi solent. 1. Si perpetuum tributum impositum est ad obeundum aliquod munus rei publicae necessarium, vel utile, v. gr. ut mare a praedonibus liberetur, ac tutum habeatur, quamvis aliquandiu cessent piratarum excursus, nihilominus exigi posse tributum ad servandas opes, et vires in futurum tempus necessarias, et aliquando etiam augendas, si forte praedones majoribus viribus instructi redeant. 2. Licet caussa, ob quam impositum est tributum extraordinarium, desinat, fieri adhuc posse, ut ea desinente aliae novae caussae et justae, et aequipollentes succedant, ob quas juste prius illud tributum exigi queat.

Tertia conditio est aequa proportio sive inter tributum, et caussam, sive in tributi partitione, adeo ut facultatum ratio habeatur; nec plus exigatur ab eo, qui minus valet, minus autem ab his, qui opibus magis abundant.

His positis conditionibus tributa justa esse doctores unanimi consensione fatentur. Sed in id praeterea incumbendum est, ut populi intelligant ejusmodi caussas cum utilitate publica prorsus esse conjunctas. Plurimi enim ipsum tributi onus sentire tantummodo videntur, utilitatem vero, quam ex eo capiunt, nec cernunt, nec suspicantur quidem, haec tamen utilitas ad oculum demonstrari potest. Sibi quisque ob oculos ponat civitatem quam libuerit magis, fingatque in ea civitate omnem principatum, omnem gubernationem, ac magistratum penitus aboleri, et desinere: incolas ejus civitatis nulli prorsus dominationi obnoxios integra libertate pollere, nec vindictam ullam, aut coactionem ab ullo magistratu amplius pertimescere, in ea civitate nemo jam tributum persolvet, quandoquidem nullus in ea princeps est, nulla gubernatio, magistratus nullus. Sed etiam quis privatus in eadem civitate tutum se vel per unam horam fore polliceatur? Improbi,

egentes, audaces, qui nullibi desunt, impune non solum per fora, et compita discurrent, verum et in domos irrumpent, rapient quod volent. Nil sanctum, nil intactum futurum est; facile quisque cogitatione adumbrare potest, quae metu omni depulso caedes, ruinae, conflagrationes, spoliationes undique imminerent, miserosque cives lacerarent, ac profligarent. Quis porro in eo perdito statu non libenter aliquam facultatum suarum partem conferret, ut suis opibus, et industriae fructibus uti, et frui tuto sibi liceret? Haec porro securitas non aliter praestari potest, quam publica potestate, quae civitatem in ordine contineat, quae improbos metu poenarum coerceat, jusque suum cuique reddi curet, ac jubeat. Neque id publica potestas praestare valet, quin magistratus, et praefectos, et pro rerum, ac munerum varietate multiplicis ordinis publicae rei administros constituat, milites describat, exercitus alat, et alia curet, sine quibus incolumis civitas non posset consistere, quaeque magnos sumptus, ut patet, desiderant. Revera ergo cives persolvendis tributis non aliud faciunt, quam eam facultatum suarum partem tribuere, quam in eo afflicto, et perdito statu, quem diximus, ultro conferre vellent, ut incolumitatem, securitatem, ac pacem sibi compararent. Quo patet commodum, quod principatus, vel respublica e tributis capit, in singulorum bonum, ac munimentum redundare. Quippe sine tributis nullum regimen, sine regimine nulla privatorum securitas, omniaque patent sceleri, et audaciae.

PROPOSITIO.

Leges tributa imperantes conscientiam obligant.

Vera haec, certaque sententia probatur. 1. Ipsomet Christi oraculo apud Matthaeum c. 22. ubi cum quidam missi a pharisaeis Christum rogassent, num liceret censum persolvere Caesari, Christus respondit: *Reddite ergo quae sunt Caesaris Caesari, et quae sunt Dei Deo.* Quibus verbis verum praeceptum contineri agnoverunt primi ipsi ecclesiae doctores Justinus, et Athenagoras, qui apologias pro christianis ediderunt.

2. Illud praeceptum expresse sancitur verbis apostoli ad Rom. 13. *Ideo necessitate subditi estote non solum propter*

iram, sed etiam propter conscientiam, ideo enim et tributa praestatis: ministri enim Dei sunt in hoc ipsum servientes. Reddite ergo omnibus debita; cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal. Manifeste hoc loco confirmat Apostolus in principibus jus imperandi tributa, quatenus principes ministri sunt Dei, et simul in subditis debitam obligationem solvendi. Nam posteaquam dixit reddenda esse omnibus debita, quae sane est obligatio conscientiae, illud continuo, et nominatim adstruit de tributis, et vectigalibus: *Cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal.* Quo demonstratur tributa deberi, adeoque reddenda ut debita. *Reddite ergo omnibus debita.* Hanc autem esse obligationem conscientiae patet ex prioribus verbis: *Subditi estote non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.*

3. Hinc tributa primis saeculis summa fidelitate persolvenda censebant christiani. Cujus rei fidem facit Tertullianus apol. c. 42. *Vectigalia gratias agent christianis ex fide dependentibus debitum, qua alieno fraudando abstinemus.* Quibus verbis aperte significat christianos in more habuisse vectigalia pendere ex fide, ut debitum, et existimasse qui non penderent aliena fraudare. Consentit Augustinus epist. 96. al. 124. *Neque enim fraus ista, quoniam fisco fiebat, ideo non fiebat.* Et in epist. ad Rom. *Si quis putat, quoniam christianus est, non sibi esse vectigal reddendum . . . in magno errore versatur.*

4. Clerus Gallicanus an. 1700. damnavit ut seditiosam, et apostolicae doctrinae contrariam hanc propositionem: *Subditi possunt justa tributa non solvere.*

Ex quibus cum Sylvestro, et aliis concludendum eos, qui justa vectigalia defraudant, *non solum mortaliter peccare, sed etiam furtum committere*, et proinde *obligari ad restituendum principi, aut illi, qui gabellas conduxit.*

Quaeritur vero, an gabellae, si non petantur, ex conscientia solvi debeant.

Respondent theologi: quotiescumque existit lex, aut consuetudo, ut qui rem transfert per certa loca, hanc exhibeat, et pro ea solvat, tum rem illam ex conscientia manifestandam, et vectigal solvendum. Quod si ex consuetudine manifestatio, et solutio non fiat, nisi ad exactorum petitionem, non obligari ad solvendum a quo nil petitur. Verum id solum habere locum potest ubi consuetudo omni ex parte le-

gitima sit, nec legem adversantem habeat. Caeterum nunquam dolus adhiberi potest ad occultandum; unde rejiciendum quod nonnulli docent licitum esse occultare quod petitur, aut per invia loca transire, ne petatur.

Quaeritur. 2. An qui sciens emit merces fraudato vectigali importatas, teneatur ad restitutionem.

Affirmant Collat. Paris.; imo ajunt emptorem teneri prae venditore, quia princeps habet in ejusmodi merces jus praelationis, et hypothecae. Quod si emptor dubitat, nec valeat certior fieri, num venditor jura persolverit, in eo dubio censent emptorem non teneri ad persolvendum. Quo confirmant l. 10. de jure Fisci.

Quaeritur demum quid agendum in dubio de justitia tributi.

Respond. Praesumendum pro lege: adeoque proinde agendum ac si constaret de justitia tributi.

Quare minus recte de hac tota quaestione sentiunt scriptores nonnulli, qui, ne aperte repugnare Apostolo videantur, fatentur quidem leges tributorum conscientiam obligare, sed simul eam obligationem tot conditionibus circumscribunt, ut eam magna ex parte eludant. Volunt enim ad obligationem inducendam ut lex praeceptivis verbis constet, ut tributum sit certo justum, tumque etiam legem nonnisi *regulariter* obligare pronunciant.

Verum 1. Haud necesse est legem ferri verbis praecipientibus ad scholae indolem compositis, ut lex vere praecipiens esse intelligatur. Satis est eam sic ferri, ut unusquisque intelligere queat legislatorem velle, ut id fiat, quod lege continetur. Hoc enim ipso legislator praecipere intelligitur, suamque jussionem poenae sanctione munire, porro non obscurum est, dum princeps pro jure suo tributa imperat, eum velle, ut subjecti tributum solvant. Lex ergo suapte natura praecipiens est, quamvis praecipiendi verbum in ea expresse non memoretur. Sed de his satis ubi de legibus poenalibus.

2. Quod addunt: *Si leges illae sint certo justae*, magnam affert violandae legis commoditatem, et licentiam. Multi enim dicent sibi quidem non constare de injustitia legis, non tamen se scire illam certo justam esse. Quare nullus jam scrupulus residebit. Verum hoc plane rejiciendum est, quandoquidem in dubio praesumendum pro lege; et aliunde tale ju-

dicium privatis, ac subjectis convenire nusquam potest, quibus omnia reipublicae onera nota esse nec possunt, nec debent.

3. Latet etiam effugium in eo, quod ajunt leges ejusmodi, tametsi verbis praecipientibus latas, et certo justas, nonnisi *regulariter* obligare. Quo multis exceptionibus aditum aperiunt, quae principiis hactenus constitutis plane repugnant.

Porro lex ipsa justitiae, quae tributa reddi jubet legitima auctoritate imperata, simul jubet, ut in his imperandis maximam cautionem supremi imperantes adhibeant, meminerintque haud sibi licere plus oneris imponere, quam quod publici boni ratio postulat, conceditve, omninoque justitiae modum ea in re verae non fictae necessitatis modo definiendum esse. Hinc S. Tho. 2. 2. q. 66. a. 8. ad 3. « Dicen« dum, quod si principes a subditis exigant quod eis secundum « justitiam debetur propter bonum commune conservandum, « etiamsi violentia adhibeatur, non est rapina. Si vero ali« quid principes indebite extorqueant per violentiam, rapina « est, sicut et latrocinium. Unde dicit Aug. in IV. de civ. « Dei: *Remota justitia, quid sunt regna nisi magna latro« cinia?* »

DISPUTATIO IX.

De mutationem legum.

CAPUT I.

An, et quemadmodum leges humanae mutationi sint obnoxiae.

Habent leges humanae, ut ante dictum est, perpetuitatem quamdam, non secus atque ipsa communitas, pro qua feruntur. Nam quod ob commune bonum publica potestate in republica constitutum est, tamdiu vi sua permanere intelligitur, quamdiu manet ipsa communitas seu respublica. Atque in eo leges humanae legis naturalis perpetuitatem aliquo modo imitantur.

Verum illud est discrimen, quod lex naturalis prorsus est immutabilis, ut antea demonstratum est, quippe lex ju-

bens servari, vetansque perturbari cum ordinem, quo perpetua, eademque rectae rationis lumine praescripta homini officia erga Deum, erga seipsum, et proximum continentur; adeo ut quidquid legi naturali repugnat, illud ipsum sit, quod rationalis naturae constitutioni, totiusque humani generis societati adversatur. Leges vero humanae potissimum versantur in regulis praescribendis, quae ad peculiaris communitatis publicum bonum facilius, et efficacius obtinendum pro rerum, ac temporum conditione conducunt.

Atque istae, tametsi vi sua stabilitatem habent, sunt nihilominus duplici ex capite mutationi obnoxiae, ut docet S. Th. 1. 2. q. 97. art. 1., et 2. sive quia naturali progressu rationis humanae fit interdum, ut melius quiddam, et accommodatius occurrat, quod antea latebat; in quo tamen prudentiam legislatoris magnopere desiderari antea notavimus; sive quia mutata rerum, ac temporum conditione, quod proderat dum institutum est, aetate procedente aut inutile, aut etiam noxium evadit. Etenim ut dicitur cap. 8. de consang., et affin. ex concil. general. Lateran. IV. *Non debet reprehensibile judicari, si secundum varietatem temporum statuta varientur humana, quoniam et ipse Deus ex his, quae in veteri testamento posuerat, nonnulla mutavit in novo.*

Jam theologi explicaturi qua ratione leges mutentur interdum, et concidant, animadvertunt duplici modo fieri, ut vis quam habet lex ad obligandum, effectum suum habere, aut exercere destinat: vel quatenus in peculiari casu privatus quisquam obligatione legis eximitur ob caussas, quae a lege servanda excusant, dum tamen lex universe vigorem suum retinet: vel quatenus lex ipsa intercidit, omnemque vim suam, et efficaciam amittit.

De caussis eximentibus in peculiari casu a servanda lege non est hujus loci disputatio, sed solum de his, quae valorem ipsum legis infirmare, et abolere valent.

Atque id quidem triplici de causa potissimum evenire statuunt abrogatione, derogatione, cessatione. Abrogatio fit cum lex tota tollitur. Derogatio cum pars ejus detrahitur, ut habetur l. 102. de Verb. signif. *Derogatur legi cum pars detrahitur; abrogatur legi cum prorsus tollitur.* Cessatio locum habet cum cadere lex velut per se ipsam, ac desinere videtur. De quibus jam breviter ex communibus placitis agendum.

CAPUT II.

De abrogatione, ac derogatione.

PROPOSITIO I.

Supremus legislator potest legi a se latae abrogare, et derogare: et quidem valide semper, licite autem, si justa caussa subest.

Etenim ejusdem potestatis est legem condere, et conditam legem tollere. Nam per quascumque caussas res nascitur, per eas et dissolvi potest, reg. 1. juris. Sicut ergo legislatoris voluntate lex constituitur, ita ejusdem voluntate tolli poterit: quodque de legislatore dicitur, pari jure valet de illo, qui pari potestate ipsi succedit.

Etsi autem valide potest legislator legem a se latam abolere, tamen peccat, si nulla necessaria, et justa caussa legem abrogat. Nam cum leges ob commune bonum sint constitutae, bono communi detrimentum affert princeps, qui nulla necessaria, vel justa caussa legem abrogat.

Caeterum subjecti nulla amplius obligatione tenentur servandae legis abrogatae.

PROPOSITIO II.

Nequit inferior superioris legi abrogare, nisi facultate ab eo quaesita, et obtenta, secus inferior potestas superiori praevaleret in eo, in quo inferior est: quod absurdum esse nemo non videt.

Hinc peculiares communitates, vel collegia, quae partes sunt reipublicae, tametsi quandoque facultate polleant condendi peculiaria statuta, non possunt tamen quidquam statuere contra jus commune, quod in ea republica supremi principis auctoritate viget.

Neque generatim revocare possunt statuta sua, quae fuerint supremi principis auctoritate confirmata, nisi forte confirmatio sit instar favoris, cui renunciari possit, ut ex dicendis de privilegiis.

Abrogatio porro legis fit tripliciter. 1. Simplici revoca-

tione, quando princeps declarat se legem tollere, et abrogare. 2. Dessuetudine, seu contraria consuetudine a principe expresse, vel tacite approbata, de qua disputat. sequenti. 3. Novae legis promulgatione, qua prior antiquetur.

Saepe quidem evenit, ut qui novam legem promulgat, priori se abrogare, vel derogare declaret. Non tamen id semper necesse est, ut prior lex abrogata censeatur. Satis est enim posteriorem legem non posse simul cum priore consistere, ut haec sublata intelligatur.

Notant tamen doctores leges speciales per posteriores generales non abrogari sine vel expressa mentione, vel saltem clausula generali derogatoria, quae manifestat principem voluisse legibus specialibus omnibus contrariis penitus abrogare, cujus rei hanc afferunt rationem, quod princeps generalem legem promulgans potuit ignorare speciale jus in aliquo loco vigens; nec ideo censetur illud tollere voluisse, nisi de hac voluntate constet aut per expressam mentionem, aut per clausulam derogatoriam, quae omnia comprehendat.

Quae de abrogatione dicta sunt nullo negotio in derogationem transferri possunt.

CAPUT III.

An cessante caussa, seu fine legis, cesset obligatio lege inducta.

Cessatio legis dupliciter contingere posse memoratur. 1. Cum elapsum est tempus, pro quo tempore lata erat; velut si quid ad decem annos imperatum est, elapso decennio lex ipsa desinet, nisi supremi legislatoris voluntate prorogetur. 2. Cum ipsa rerum, ac temporum commutatione cessat caussa, seu finis, ob quem lata erat. Qua de re quaestio instituitur, num cessante fine legis lex ipsa desinere, aut vim obligandi amittere censenda sit.

Respondent communiter doctores, si finis legis abest tantummodo quod attinet ad aliquem privatum in quodam peculiari casu, non propterea legem vigorem suum, vimque obligandi amittere, sed adhuc omnes, illum etiam privatum adstringere. Sic lex vetans, ne quis noctu arma deferat idque ad vitandas caedes, et rixas, non desinit obligare infirmum, et pacatum senem, a quo nulla esset rixa, nulla

caedes mutuenda. Nam quod pro incolumitate omnium sancitum est, perinde ab omnibus, ad quos pertinet, servari debet. Et aliunde, si ejusmodi exceptioni locus daretur, unusquisque sibi facile blandiretur finem legis nihil ad se pertinere, sicque vis omnis legum infringeretur.

Cum vero finis legis universe, et omni parte cessat, tum legem quoque vim suam amittere ajunt, quia princeps non censetur velle tum etiam legem vigorem suum retinere, cum omnis utilitas, ob quam lata erat, penitus desiit: quippe cessante caussa, cessat effectus, ut habetur L. 26 de jur. Quia vero privati non satis tuto judicare possunt, num finis adaequatus legis omni ex parte desierit, nec ipsis tale judicium competit, prudenter Sotus lib. 1. de just. et jur. qu. 6. art. 8. ait: *Si autem in toto genere caussa cessaverit, tum et lex quoque cessare debet. Verum tamen antequam princeps vel consuetudo illam abroget, vim suam non amittit.*

CAPUT IV.

De legibus in praesumptione fundatis.

Huic affinis est quaestio, quae institui solet de lege, quae praesumptione nititur: cujusmodi legis duplicem rationem distinguere solent, unam quae nititur praesumptione facti, alteram, quae nititur praesumptione periculi.

Et quidem cum agitur de lege, quae nitatur praesumptione facti communiter statuunt *Legem in praesumptione fundatam non obligare in conscientia, quando praesumptio falsa est.* Ita Sylvius 1. 2. qu. 96. art. 4. qu. 10 concl. 11. Grotius etiam de jure belli, ac pacis 11. c. 11. §. 6. n. 2. *Omnium ferme consensu receptum est, ut si lex fundetur in praesumptione aliqua facti, quod factum ita revera se non habet, tum ea lex non obliget, quia veritate facti deficiente, deficit totum legis fundamentum*; idque velut axioma proponunt collat. Andegav., hocque exemplum proferunt. Post initum matrimonium una pars comperit in altera impedimentum dirimens occultum, petitque matrimonium solvi, nec tamen potest in judicio impedimentum probare: judex petitionem nulla satis idonea probationi innixam rejicit, suaque sententia conjugem renuentem in conjugio permanere jubet. Sententia nititur praesumptione facti: praesumit scilicet judex non adesse impedimentum, quod probari non potuit.

Nihilominus ea sententia conscientiam non obligat, ut habetur c. 44. de sent. excomm. *Credimus distinguendum . . . . . utrum alter conjugum pro certo sciat impedimentum . . . in eo casu debet potius excommunicationis sententiam humiliter sustinere, quam per carnale commercium peccatum mortale operari.* Similiter judex ex falso allegatis, et probatis damnat quempiam ad solvendum quod improbus actor inique repetit. Sententia nititus praesumptione facti; praesumit enim judex propter allegata et in foro probata pecuniam deberi. Proinde si praesumptio falsa est, adeo ut reus certo sciat se nil debere, sententia eum non obligabit ad solvendum, modo possit abstinere a solvendo citra scandalum, ac publici ordinis perturbationem. Nam si a judice intimatur ei, ut solvat, solvere omnino debet, non quidem vi sententiae in se spectatae, sed ne publicus ordo violetur, cujus conservatio bono privato anteponenda est. Atque in his quidem exemplis nulla difficultas est: an vero satis apte cadant in hanc quaestionem deinceps dicturi sumus.

Quod si lex fundatur praesumptione periculi, omnes eam obligare consentiunt etiam in peculiari casu, quo longe abesset incommodum, vel damnum, ad cujus avertendum periculum lex lata est. Sic vetitum est, ne religiosa professio ante sextumdecimum aetatis annum exactum emittatur, quia praesumitur ante illam aetatem juvenes communiter non ea maturitate consilii praeditos esse, quae ad obligationis, quam contrahunt, magnitudinem magnopere desideratur. Ergo eo lex pertinet, ut in re tanti momenti removeatur levis, ac temerariae sponsionis periculum. Quamvis igitur adolescens anno sextodecimo nondum expleto maturitam illam omnem afferret, quam rei gravitas postulat, nihilominus haud ei liceret solemnia vota nuncupare, essetque professio irrita. Movetur quidem legislator communis, seu communiter occurrentis periculi consideratione ad legem ferendam, ad prohibendam v. g. et infirmandam omnem professionem religiosam ante annum sextumdecimum editam; sed tamen revera prohibet, ac infirmat indiscriminatim omnem ejusmodi professionem; quo fit ut quaecumque professio ante annum illum edita, quamvis in ea fraus nulla fuerit, nihilominus prohibita, et nulla censeatur, ac sit. Aliud est enim ratio, aliud praescriptum legis. Unde quamvis eo peculiari casu non occurrat illud commune periculum, quo ratio legis

nititur, stat adhuc praescriptum legis omnem professionem ante illum annum vetantis, et infirmantis. Quod de aliis similibus perinde valet. Atque in hoc nulla quoque difficultas residere potest.

Verum in eo, quod tradi solet de lege fundata in praesumptione facti, dubitatio aliqua occurrit, num revera sint agnoscendae leges hujusmodi, quae sola facti praesumptione nitatur. Nam exempla quidem, quae prolata sunt, cadunt in peculiarem sententiam judicis, non in legem universalem, ac perpetuam. Porro longe differunt lex principis, et sententia judicis. Lex utpote generalis, et perpetua statuit non de facto singulari, sed de specie facti sive jubendo, sive prohibendo, in eoque nulla intervenire potest facti praesumptio. Namque factum vel pertinet ad speciem, de qua lex statuit, vel non pertinet. Si pertinet jam dicendum erit factum illud revera imperari, aut prohiberi, prout lex fuerit aut jubens, aut vetans: si non pertinet, nihil ea lege de tali facto constitutum esse. Nullus ergo ibi praesumptioni locus. Contra sententia judicis versatur in singulari facto dijudicando: contingit autem quandoque, ut dubitari merito possit, num singulare quoddam factum ad speciem, de qua lex statuit, sit nec ne referendum. In hoc autem judicio praesumptio facti locum, et sedem habere manifeste cernitur. Judex enim ex indiciis, alliisve mediis argumenta capit, quae argumenta tanti quandoque sunt momenti, ut judicem adducant ad praesumendum rem ita se habere: et quamvis ea momenta plerumque sint cum veritate conjuncta, fieri tamen potest, ut in peculiari casu a vero aberrent; tumque veritas stat adversus praesumptionem; et sententia judicis per se se non obligat, nisi quatenus necesse est illi parere ad vitandum scandalum, et publici ordinis perturbationem.

Et quidem nil in eo absurdi est, quod sententia judicis, quae peculiare factum respicit, errori aliquando sit obnoxia. Sed vehementer incommodum videretur legem alioquin justam agnoscere, quae errorem sanciret, nec vi sua obligaret. Verum illud incommodum facile praecavetur. Nam cum lex non de facto singulari, sed de specie facti statuat, non videtur qualis intelligi possit lex fundata in praesumptione facti. Siquidem, ut dictum est, vel factum peculiare pertinet ad speciem, de qua lex statuit, vel non pertinet. Si pertinet, verum erit legem de illo facto statuisse, tumque servandum erit

quod lege statutum est. Si non pertinet, verum etiam erit, nihil lege hoc de facto statutum fuisse.

Nihilominus ex eo principio quod lex fundata in praesumptione facti non obligat, si factum aliter se habet, nonnulli consectaria duxerunt valde abhorrentia ab obsequio, quod legibus debetur: v. gr. vetat princeps, ne certo e loco merces advehantur propter contagiosi morbi periculum. Si nullus revera in eo loco serpit contagiosus morbus, ajunt edictum non obligare, utpote quod nititur praesumptione facti, quod aliter se habet. Verum in eo argumento ambiguitas quaedam latet. 1. Falsa praesumptio facti caussa esse potuit, quae principem impulit ad vetandam mercium importationem ex eo loco. Sed posteaquam constat de ipsa lege, ad praescriptum legis omnino respiciendum est, non ad caussam, quae legislatorem movit. 2. Dici potest legem proprie niti non falsa illa praesumptione facti, sed vera praesumptione periculi. Nam ubi contagiosi morbi vel indicia quaedam patuerunt, vel rumores increbuerunt, id satis est in re tanti momenti ad prudentem metum ingenerandum, atque ad omnes cautiones adhibendas, quae omnem periculo aditum praecludant. Unde licet absit morbus, non tamen abest fundamentum cautionis adhibendae ad praecedendum periculum. Quod si cuilibet privato liceret ex peculiaribus notitiis, vel vulgi rumoribus de illarum cautionum necessitate, vel utilitate judicare, et eo judicio legem servandam, vel non servandam sibi persuadere, plerique cupiditate obcoecati vel in maximis periculis nil timendum ducerent, legemque impune violarent; maximumque adeo periculum ex illo usurpato judicio, et legum neglectu rebus humanis crearetur.

DISPUTATIO X.

De Consuetudine.

CAPUT I.

Quid sit, et quotuplex consuetudo.

Consuetudo dicitur institutum moribus firmatum, vel pressius ad scholae rationem, usus ex frequentatis actibus inductus.

Consuetudo porro alia est juris, alia facti. Consuetudo facti est mera frequentia et crebritas actuum, sicque vocatur ex Isidoro, *quia in communi usu est.* Consuetudo juris est ipsa eadem frequentia, quatenus valet ad jus inducendum.

Praeterea consuetudo alia est secundum legem, alia praeter legem, alia contra legem.

De consuetudine, quae secundum legem est, nulla hoc pacto disputatio se offert. Tantum animadvertisse juverit eam haberi ut optimam legum interpretem ex cap. 8. de consuetudine. Mens enim legis certius constare non potest, quam publica, et inveterata praxi, et usu eorum, qui ea lege utuntur.

Superest ergo inquirendum, quemadmodum ex consuetudine, quae est praeter legem, novum jus prodire, et ex consuetudine, quae est contra legem, pristinum jus aboleri, et antiquari valeat.

Hic porro agitur de solo humano jure, non de naturali, ac Divino. Nam quod legi naturali repugnat, suapte natura turpe est, nec ulla potest consuetudine honestari. Neque adversus jus divinum ulla humanae institutionis auctoritas valere potest. *Nemo sanae mentis intelligit naturali juri..... quacumque consuetudine, quae dicenda est potius in hac parte corruptela, posse aliquatenus derogari.* Cap. 11. de consuetud. et can. 6. dist. 8. ex S. Augustino: *In Evangelio, Dominus, ego sum, inquit, veritas. Non dicit ego sum consuetudo.*

CAPUT II.

An consuetudo, quae est praeter legem, valeat aliquando vim legis acquirere.

Consuetudo juris definitur ab Isidoro lib. 5. Ethymol. c. 3. rel. in c. 1. d. 5. *Jus quoddam moribus institutum, quod pro lege suscipitur, cum deficit lex.*

PROPOSITIO.

Consuetudo praeter legem certis intervenientibus conditionibus vim legis acquirit.

Id summa consensione docent jurisperiti pariter, ac theo-

logi, probaturque multiplici auctoritate. *In his rebus, de quibus nihil certi statuit Divina scriptura, mos populi Dei, et instituta majorum pro lege tenenda sunt, et sicut praevaricatores divinarum legum, ita contemptores ecclesiasticarum consuetudinum coercendi sunt.* Ita August. ep. 86. c. 7: dist. 11. *Si consuetudo ecclesiae habeat inter eos non sustinere conjugium fieri .... tu .... fieri non permittas, et si quos taliter conjunctos inveneris .... separes*, cap. 3. de cognat. Spirit.

Idem constat Jure Caesareo §. *de quibus* 32. de leg. *Inveterata consuetudo pro lege non immerito custoditur; et hoc est jus, dicitur moribus constitutum.* Unde etiam Tertullianus de Corona mil. c. 4. *Consuetudo in civilibus rebus pro lege suscipitur, cum deficit lex.*

Ratio vero est, quia positis certis conditionibus, de quibus mox agemus, in consuetudine inest quidquid requiritur ad testandam voluntatem publicam, aut ipsius multitudinis, aut ejus, qui multitudini, praeest, e qua pro diversa regiminis forma vis omnis legis pendet. Merito Gratianus ejus juris antiquitatem commendat in fin. dist. 6. jus consuetudinis post naturalem legem exordium habuit, ex quo homines convenientes in unum coeperunt simul habitare.

Quinque vulgo conditiones requiruntur, ut consuetudo vim legis obtineat. 1. Ut nil absonum, nec naturali, aut divinae legi contrarium praeseferat.

Actus, quibus consuetudo inolescit oportet esse liberos, frequentes, notorios, et manifestos: liberos quidem, propterea quod actus, qui forent per vim, et metum exorti, non essent publicae voluntatis indices, quin potius repugnantes animos proderent: frequentes pro subjectae materiae conditione, nam consuetudo sine frequentia nulla intelligi potest: tum notorii, ac manifesti actus illi esse debent, populo velut inspectante peracti, adeo ut increbrescens consuetudo facile, et probabiliter in eorum notitiam perveniat, quorum interest.

3. Est temporis diuturnitas, ut habetur l. 35. §. de legib. *Sed et ea, quae longa consuetudine approbata sunt, et per annos plurimos observata, veluti tacita civium conventio, non minus, quam ea, quae scripta sunt, jura servantur.* Animadvertit porro Grotius l. II. c. IV. §. V. *Tempus, quo illa consuetudo effectum juris accipit, non esse definitum, sed arbitrarium, quantum satis est, ut concurrat ad significandum con-*

sensum. Et id quidem verum est solo naturae jure spectato. Caeterum multi docent tempus requiri, ac sufficere, quod ad jurium praescriptionem statutum est, qua de re adeundi jurisconsulti.

4. Requiritur, ut actus a populo, vel a majore parte populi frequententur quasi ex obligatione, vel inducendae obligationis animo. Nam si populus quacumque temporis diuturnitate opus aliquod frequentet, v. g. initio quadragesimae cineres benedictos accipiat, ter ad pulsum campanae salutationem angelicam recitet ex libero pietatis affectu, non ideo nascitur juris necessitas sub peccato obligantis.

5. Requiritur scientia, et tacitus consensus ejus, qui potest legem condere. Nam hoc differunt lex, et consuetudo, quod in illa expressus, in ista tacitus legislatoris consensus, et voluntas interveniat. Quampropter si populus legem, vel statutum condere valeat, tacitus ipsius populi videntis, et non repugnantis consensus auctoritatem consuetudini praestabit. *Quid enim interest*, ut dicitur l. 32. §. de leg., *suffragiis populus voluntatem suam declaret, an rebus ipsis, et factis?* Sin autem populus legis condendae potestatem non habet, nec propria auctoritate vim legis consuetudini praestare poterit, quare hoc casu requiritur consensus, seu approbatio principis. Tacite autem consentire, et approbare princeps censetur, si sciens populi morem, ac potens prohibere, longo tempore toleret, ut docet S. Th. 1. 2. q. 97. art. 3. ad 3.

CAPUT III.

An consuetudo, quae est contra legem, valeat aliquando legi derogare.

PROPOSITIO

Consuetudo, quae est contra legem, interdum habet vim legis antiquandae.

Ita scilicet habetur l. 32. §. de lib. *Rectissime receptum est, ut leges non solum suffragio* (videlicet expresso) *legislatoris, sed etiam consensu omnium per desuetudinem abrogentur.*

Et cap. ult. de consuet. *Licet longaevae consuetudinis non sit vilis auctoritas, non tamen est usque adeo valitura, ut vel juri positivo debeat praejudicium generare, nisi fuerit rationabilis, et legitime praescripta.*

Igitur praeter ea, quae ad consuetudinis rationem pertinent, ut nimirum actibus increbrescat liberis, frequentibus, et notoriis, ut superius explicatum est, duae conditiones ex citato textu requiruntur, ut consuetudo legem abrogare valeat, nimirum ut sit rationabilis, et praescripta.

Quod attinet ad primam conditionem difficultas emergit, quemadmodum rationabilis intelligi possit consuetudo, quae legi adversatur. Cum enim lex omnis, quae vere lex sit, et justa esse, et in bonum commune spectare noscatur, non videtur quomodo rationabile dici queat quod legi refragatur.

Difficultatis nodus solvi solet in hunc modum, scilicet eam conditionem non ita esse intelligendam, quasi ab ipsa ineunte consuetudine intervenire debeat. Nam dum lex viget, actus legi contrarius minime honestus, aut rationi consentaneus esse potest, nec proinde consuetudo, quae ex iteratis hujusmodi actibus introducitur, rationabilis esse valet dum incipit. Satis ergo, si progressu temporis talis fiat rerum commutatio, ut propter inductum morem jam expediens, et utile censeatur pristinam legem abrogari. Et sane res humanae nativa sua conditione multis sunt mutationibus obnoxiae, ut mirum videri non debeat inutile, aut etiam noxium aliquando evadere, quod antea publicis utilitatibus, et commodis erat magnopere opportunum. Tum vero accedente tacito saltem consensu vel multitudinis, vel ejus, aut eorum, qui multitudini praesunt pro diversa regiminis forma, consuetudo contra legem introducta jam rationabilis existimari poterit.

Hinc doctores concludunt peccare illos quidem, qui primi consuetudinem inducunt justae legi repugnantem, non eos, qui consuetudinem introductam, et praescriptam deinceps sequuntur.

Quod attinet ad alteram quaestionem in allato textu memoratam, ut scilicet consuetudo praescripta sit, notandum ea praescriptione non aliud intelligi, quam temporis diuturnitatem tantam, quanta requiritur, ut tacito saltem consensu legislatoris lex per introductam consuetudinem contrariam abrogata censeatur: quod vulgo decennio, vel quadragesimo fieri existimatur.

Haec porro praescriptionis ratio aliquantum differt ab ea praescriptione, qua jura, et dominia transferuntur. Nam in hac bona fides ab initio requiritur, non in illa, qua leges abrogantur. Talis enim consuetudo cum inchoatur nequit habere bonam fidem adjunctam, dum viget lex cui adversatur. Satis est ergo processu temporis bonam fidem induci, adeo ut ex tacito consensu legislatoris prudenter existimetur licere quod per introductam consuetudinem exerceri solet.

Quaeritur hic vero an possit consuetudo abrogare legem, quae omnem contrariam consuetudinem prohibeat, aut etiam reprobet?

Implexa quaestio est, cui distinctis articulis satisfieri solet in hunc modum. 1. Si consuetudo reprobatur propterea quod insit ei quid natura sua vitiosum, bonis moribus, aut utilitati publicae adversum, profecto nusquam talis consuetudo adversus legem valere poterit, ut ex superius dictis satis patet.

2. Si consuetudo reprobatur, vel tantum prohibetur, quatenus legi latae repugnans, existimant nonnulli ejusmodi prohibitionem sufficere, ne consuetudo legem unquam abrogare valeat. Quam in rem profertur nota regula. *Consuetudo contra legem non valet, si lex resistat.* Alii nihilominus autumant praescribi adhuc posse contra ejusmodi legem, remque in hunc modum expediunt.

3. Itaque si lex consuetudini derogans utatur clausula illa generali, *Consuetudine qualibet contraria non obstante*, et nihil aliud sanciat, putant eam tollere dumtaxat consuetudines jam existentes, non item extendere se ad futuras; ideoque nil obstare, quin postea contra talem legem praescribatur.

4. Si lex illa generali clausula prohibeat quamcumque consuetudinem contrariam, et nihil aliud exprimat, aut significet, censent nec ea clausula comprehendi consuetudinem immemorialem. Nam talis consuetudo habet ab ipso jure majorem vim, et auctoritatem, quam aliae consuetudines; quare opus est, ut ei specialiter derogetur.

5. Etiamsi legislator declaret se nolle adversus legem, quam sancit, ullam consuetudinem procedere, aut ullam praescriptionem praevalere posse, adhuc per contrariam consuetudinem antiquari lex ea poterit, si princeps inolescentis consuetudinis conscius nova caussa superveniente illam non prohibeat, cum prohibere posset, adeo ut tacite censeatur legem abrogare.

Revera tota haec quaestio de abrogandis per contrariam consuetudinem legibus humanis ad hoc simplicissimum principium revocatur consuetudinem vim habere legis antiquandae, cum legislator tacito consensu consuetudinem probare, et legi abrogare prudenter censetur; aliter consuetudinem adversus legem praevalere non posse. Quo pacto praeclare constat laudata regula: *Consuetudinem contra legem non valere, si lex resitat.* Quippe lex resistit dum legislator vult eam vigorem suum servare, tumque consuetudo nil potest adversus legem. Quod si legislator consuetudinem inolescentem patitur cum prohibere posset, tum censetur etiam tacite pati legem vim suam amittere, quae proinde non amplius resistit.

Quemadmodum autem consuetudine rationabili, ac legitime praescripta potest humana lex aboleri, sic omnis consuetudo etiam immemorialis subsequente lege tolli poterit.

Non abrogatur tamen consuetudo specialis alicujus loci vel provinciae per legem generalem contrariam, nisi legislator praesumatur eam voluisse abrogare, cap. 1. de Constit. in 6. Hinc consuetudo peculiaris unius provinciae non abrogatur per legem generalem totius ecclesiae, vel regni, nisi in lege speciatim fiat ejus mentio, vel per clausulam generalem dicatur: *Non obstante quaecumqe consuetudine etiam immemoriali.* Quia legislator praesumi potest consuetudinem peculiarem ignorasse, nec illi praejudicium inferre voluisse: et aliunde jure cavetur, ne aliter talis consuetudo abrogetur. Caeterum quia pro locorum diversitate jura quoque varia sunt, ex illo universali, et simplicissimo principio, quod superius expositum est, eruere semper theologus poterit, quid quovis peculiari jure spectato de vi consuetudinis sanciendum sit.

DISPUTATIO XI.

De dispensatione.

CAPUT I.

Quid sit dispensatio.

Dispensatio dicitur relaxatio legis, seu indulgentia, qua conceditur immunitas ab obligatione legis pro aliquo peculiari casu, quo caeteroquin lex obligaret.

Hinc differt 1. ab interpretatione, quae fit per Epicheiam. Nam interpretatione per Epicheiam innotescit, ac declaratur legem aliquo casu non obligare, seu propositum casum lege non comprehendi; velut si cui tempore quadragesimae non alii cibi praeter carnes suppeterent, profecto ex epicheia manifestum foret eo casu non obligare legem esum carnium pro eo tempore vetantem. Contra per dispensationem quis eximitur a lege servanda etiam quo tempore lex caeteroquin obligaret; velut si quis ob valetudinem eximatur a jejunio, dum tamen tanta non est aegrotatio, ut vi ejusdem lege jejunii solutus plane censeri posset.

2. Differt a privilegio, quo facultas conceditur natura sua permanens, et quae etiam perpetua esse potest, adeo ut lex privata dicatur. Praeterquam quod privilegium saepe non contra, sed praeter legem tribuitur.

3. Differt a venia, seu permissione; nam haec locum habet in his, quae non omnino vetantur, sed solum ne fiant sine venia, velut cum monachus praelato permittente aliqua pecunia debito modo utitur, aut extra claustra versatur.

4. Differt a legis abrogatione, et derogatione, quibus legi vel penitus, vel ex parte vigor adimitur. Dispensatio vero non tollit legem, sed tantum facit, ne quempiam aliquo peculiari casu obliget.

CAPUT II.

Utrum aliqua sit inter homines potestas dispensandi a lege.

PROPOSITIO.

Rectissime S. Thomas statuit 1. 2. q. 97. art. 4. penes multitudinis rectores dispensandi potestatem residere, qua tamen prudenter, nec sine caussa uti debent. Et sane ejusdem potestatis est legem imponere, et a servandae legis onere aliquem eximere. Porro in humanis rebus viget potestas legis condendae, ergo et potestas dispensandi a lege.

Dispensatio, ut graviter simul, et subtiliter animadvertit S. Doctor, significat accommodationem quamdam alicujus rei communis ad singulares personas. Quare qui familiam gu-

bernat dicitur fungi dispensatoris officio, quatenus unicuique de familia cum pondere, et mensura distribuit munera familiae, et quae sunt ad victum necessaria. Sic etiam in quavis multitudine, et societate dicitur aliquis dispensare, quatenus statuit, et ordinat quemadmodum commune praeceptum sit a singulis adimplendum. Contingit enim aliquando, ut praeceptum, quod frequentius, et in pluribus prodest, non sit alicui personae, aut in aliquo casu congruens; propterea quia eo peculiari casu vel majus bonum impediretur, vel etiam aliquod malum inveheretur. Periculosum autem foret ejusmodi judicium singulorum arbitrio permittere, nisi forte in subito, et evidenti periculo. Et ideo ille, cujus est regere multitudinem, potestate pollet dispensandi in lege humana, quae suae auctoritati innititur; ut scilicet pro personarum, et casuum conditione, in quibus lex deficit, facultatem, et veniam tribuat legis non servandae. Quod si absque ratione pro sola voluntate facultatem ejusmodi faciat, erit in dispensatione aut infidelis, aut imprudens; infidelis quidem, si boni communis rationem negligit: imprudens, si dispensandi caussas ignorat. Propterea Dominus ait luc. 12. *Quis putas est fidelis dispensator, et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam?*

Idem probatur auctoritate SS. patrum, et pontificum. S. Augustinus etsi dispensationem tamquam vulnus inflictum legi, ac disciplinae agnoscat, nihilominus eam aliquando expedire non dubitavit: *Detrahaendum est ergo aliquid severitati, ut majoribus malis sanandis charitas sincera subveniat.*

S. Cyrillus Alexand. epist. ad Gennad. rel. act. 1. syn. 7. et can. 16. c. 1. q. 7. *Dispensationis modus nulli sapientium displicuit . . . . Dispensationes nonnunquam cogunt parum quidem a debito quosdam foras exire, ut majus aliquid tueri faciant. Sicut enim ii, qui mare navigant, tempestate urgente, navique periclitante anxiati quaedam exonerant, ut caetera salva permaneant, sic nos in negotiis, ubi non licet exquisitissimam illam rationem servare, despicimus quaedam, ne cunctorum patiamur dispendia.*

S. Symmachus papa epist. ad Avitum: *Quamvis a patribus statuta dililigenti observatione, et observanti diligentia sint custodienda, nihilominus propter aliquod bonum de rigore legis aliquid relaxatur, quod ipsa lex cavisset, si praevidisset, et saepe crudele esset insistere legi, cum observantia ejus esse*

praejudiciabilis ecclesiae videtur, quoniam leges ex intentione latae sint, ut proficiant, non ut noceant.

S. Anselmus lib. 3. epist. 45. *Saepe necesse est aliquid de apostolicis, et canonicis statutis pro compensationibus relaxare, maxime in regno, in quo fere omnia sit corrupta etc.*

S. Bernardus lib. 5. de consider. c. 4. *Quid, inquis, prohibes dispensare? Non, sed dissipare. Non sum tam rudis, ut ignorem vos positos dispensatores.*

Idem probatur ex concil. Trid. sess. 25. c. 18. de reform.

Quamobrem aperte in hunc locum cadere videntur verba Fr. Florentis praefat. de dispensat. eccles. quem auctorem in honore haberi testatur Pontas, in indice historico auctorum tom. 1. edit. ven. pag. 64. *Expeditissimum foret innumera dispensationum exempla circa disciplinam de scripturis, de conciliis, et historiae ecclesiasticae scriptoribus depromere circa neophytos, bigamos, aetate minores, natalibus laesos, non tantum in clerum allectos, sed et ad episcopatus summam dignitatem contra praeceptum Apostoli, contra canonum rigorem, vel propter singularem praeficiendorum pietatem .... vel propter postulantium populorum, aut principum desiderium, et studium.*

CAPUT III.

Qui dispensandi facultate polleant.

PROPOSITIO I.

Certum est supremum principem dispensare posse in suis, suorumque praedecessorum legibus. Etenim ejusdem potestatis est subjectis legem imponere, et quosdam subjectos a lege servanda certis de caussis eximere.

Quod attinet ad leges canonicas patet ex superiori capite dispensandi potestatem in ecclesia vigere: quippe potestas haec ad spiritualem fidelium necessitatem, vel utilitatem, atque adeo ad ipsam regiminis rationem pertinet. Porro constans ecclesiae traditio, patrum, ac doctorum consensus, quin et ipsa generalia concilia hanc omni tempore in romano pontifice in-

dulgendi facultatem agnoverunt in his, quae sunt juris canonici, in decretis conciliorum etiam generalium, imo etiam in legibus, quas Apostoli humana auctoritate condiderunt. Pontificiae hujusce potestatis exemplum inter alia, quae proferri possent innumera, suppeditat Afrorum patrum postulatio, qua, ut refert constat pag. 734., interpellatus fuit Anastasius papa, *Ut clerici a partibus donatistarum ad sinum catholicae ecclesiae reversuri, iis in ordinibus relinquantur, quibus apud suos fruuntur, eo quod hac ratione plures ad reunionem valeant allici.* Tametsi vero hujus capiendi consilii opportunitatem perspecta suaderet ecclesiae utilitas, quia tamen transmarini concilii adversabatur auctoritas, *afri episcopi sine apostolicae sedis consensu* sumere sibi id juris ausi non sunt. In quod exemplum spectans etiam Thomassinus p. 2. l. 3. c. 24. animadvertit, quamquam non alia suae libertatis, et antiquae auctoritatis amantior, et retinentior fuerit ecclesia, quam africana, nihilominus *universam hanc ecclesiam ad Anastasium papam confugisse, ut dispensationem eliceret.* Nec minus praeclarum exemplum suppetit ex octava synodo generali: constantinopolitana quarta, quoad nonnullas dispensationes a romano pontifice imploratas, quas posteaquam memoravit Natalis Alexander hist. eccles. saeculi 9. Dissert. 4. §. 22. merito subjicit « magnificum sane pro romani pontificis primatu testi-
« monium; quod synodus oecumenica dispensationes a summo
« pontifice roget, eique, non aliis patriarchis potestatem a
« Christo concreditam agnoscat temperandi severitatem cano-
« num, qui ab ecclesia recepti sunt universa » atque ut os penitus obstruatur obtrectantium, sane concilium basileense non putatur plus aequo romani pontificis auctoritati favisse. Sic autem habet in ep. syn. *Per concilium autem statuta in nullo derogant suae potestati* (summi pontificis) *quin pro tempore, loco, caussisque, et personis utilitate, vel necessitate suadente moderari, dispensareque possit, atque uti summi pontificis Epicheia, quae ab eo auferri nequit.* Unde etiam doctissimus Bossuetus defens. declar. Cler. Gall. p. 3. l. 11. c. 16. *Sedis apostolicae dispensationes . . . . nemo catholicus, nemo veri regiminis sciens, aut rerum ecclesiasticarum gnarus abstulerit.*

PROPOSITIO II.

Nequit inferior communiter in superioris lege dispensare; nam, ut dictum est ejusdem potestatis est legis vinculum relaxare, cujus est legem condere.

Dictum est *communiter*, quia inferior in lege superioris dispensare potest. 1. Cum jus id permittit. 2. Cum legitima consuetudine haec facultas habetur. 3. Multoties in rebus canonicis, ubi dubium occurrit, num res egeat dispensatione. 4. Quando dispensandi necessitas saepe recurrit, velut in festis, et jejuniis quoad veniam singularibus personis impertiendam, secus quoad legem pro universa quapiam civitate relaxandam. Quam facultatem etiam pro indigentibus a pontifice petendam censuit Bracaren. archiepiscopus, ut habetur ex cap. *consilium*, de observatione jejuniorum. 5. Quando emergit gravis, et urgens necessitas, estque periculum in mora ob scandalum, vel grave imminens periculum, his casibus ex communi sententia censetur concessa episcopis dispensandi facultas, quatenus id postulet communis boni ratio, sitque necessarium ad rectum, et ordinarium regimen animarum. Ita fere Antoinius de leg. cap. 6. Quaest. 1. Cum autem operosius foret singulos casus accurate discutere, in quibus inferiori concessa est facultas in superiorum legibus dispensandi, prudenter monet auctor animadversionis ad hunc locum adjectae consulendos doctores, qui de his accuratius, suisque locis distinctius pertractarunt, praesertim vero quod attinet ad extraordinariam potestatem dispensandi in occultis matrimoniorum impedimentis consulendum Benedictum XIV de syn. dioeces. l. 9. c. 2. n. 2. Ac deinceps quod attinet ad tertium caput, *quando dubium est, an res egeat dispensatione*, audiendum etiam Franciscum Hennum scribentem: « Concessionem « dispensandi habent episcopi respectu legum pontificia- « rum.... secundum aliquos, in dubiis, an casus egeat dis- « pensatione; sed crediderim recurrendum esse ad sedem apo- « stolicam; quia in dubiis par tutior est tenenda. »

Caeterum dispensandi potestas duplex est, una ordinaria, quae alicui competit ratione officii; altera delegata, quae competit ex concessione illius, qui ordinariam habet.

Quod spectat ad potestatem delegatam haec tradi solent.

1. Qui potestatem ordinariam habet, eam alteri delegare potest ex praescripta norma utendam. 2. Delegatus, qui potestatem habet mere delegatam, non potest subdelegare.

Excipiuntur. 1. Delegatus papae, vel supremi principis superiorem non agnoscentis, qui nisi prohibeatur subdelegare potest, non tamen subdelegato alterius subdelegandi facultatem facere. 2. Delegatus ad universitatem caussarum in aliquo genere, vel loco. Quare decanus ruralis, aut alius quilibet etiam ad episcopi nutum amovibilis, cui omnino certi generis caussarum, 2. g. matrimonialium: vel omnium prorsus, sed in certo loco cognitio commissa fuerit, potest unam, alteramve caussam, non tamen ipsam caussarum universitatem alteri committere. 3. Delegatus, cui permissum fuerit subdelegare, quia tunc subdelegatus proprie non a delegato, sed ab ordinario potestatem accipit.

Quaeritur autem, utrum legislator secum ipse dispensare queat.

Communis responsio est posse vel indirecte committendo alteri, ut secum dispenset, vel etiam directe, quandoquidem nullo id jure prohibetur, nec legislator deterioris esse conditionis debet, quam subjecti, quibus leges imponit, et quos certis de caussis a legis obligatione dispensare valet.

CAPUT IV.

Utrum valeat, an etiam liceat dispensatio sine caussa.

PROPOSITIO I.

Dispensatio, quae fit a supremo principe in suis legibus etiam sine caussa, valida est. Cum enim legis vigor pendeat a voluntate supremi principis, seu legislatoris, potest ille sua voluntate vigorem legi adimere, atque adeo cum aliquo dispensare, ne in peculiari casu lege teneatur.

PROPOSITIO II.

Dispensatio, quae fit ab eo, qui a supremo legislatore facultatem habet dispensandi, non videtur esse valida, si fiat sine legitima caussa. Etenim qui potestatem concedit dispensandi merito censetur eam potestatem justa tantum de caussa

utendam concedere; adeo ut, nisi caussa subsit legitima, ipsa dispensatio nulla existimari possit.

PROPOSITIO III.

Peccat supremus princeps in ea lege sua sine legitima caussa dispensans: peccat etiam sive qui dispensationem similiter petit, sive qui impetrata dispensatione utitur.

Enim vero leges ob commune bonum statuuntur, pertinetque omnino ad boni regiminis rationem, ut leges colantur, et accurate serventur. Peccat ergo adversus commune bonum princeps, qui nulla justa caussa vim legum relaxat, easque imprudenti facilitate in contemptum adducit.

Peccat etiam qui nulla legitima caussa saltem putata dispensationem petit. Nam hoc ipso tentat bono communi detrimentum inferre, simulque principem ad peccandum inducere. Demum licite non potest impetrata dispensatione uti. Nam etsi utens humanam legem non violat, in qua est cum ipso dispensatum, ipsam tamen violat legem naturalem vetantem, ne sine caussa pars a toto discordet, sicque ordo naturalis turbetur.

Notum est quam vehementer S. Bernardus nimiam dispensandi facilitatem reprehenderit, quam veritus non est crudelis dissipationis nomine notare. Cardinalis Toletus Instr. sacerd. lib. 5. c. 83. ait: *Papae dispensatio sine caussa non habet locum in foro interiori, et coram Deo, sed tantum in foro exteriori.*

Effectus proinde dispensationis sine caussa eo dumtaxat pertinet, ut qui per eam a lege eximitur, non subjaceat poenis, quas lex decernit adversus violatores, tum etiam ut valeant acta, quae vi legis irrita forent: quod quidem ad publicam tranquillitatem necessarium est; non autem facit, ut coram Deo immunis sit a culpa plus, minusve gravi pro gravitate materiae, sive dispensans, sive dispensari petens, aut dispensatione utens.

Quod attinet ad dispensandi caussas haec habet Fagnanus C. *Nimis* de filiis etc. *Unanimis consonantia est canonum, conciliorum, et interpretum, ut necessitatis, vel utilitatis caussa in dispensatione debeat esse magna, seu quod idem est major, maxima, justa, evidens, urgens, et his consimiles, quibus canones promiscue utuntur tamquam synonimis. Alioquin si hujusmodi caussa desit, non est dispensatio, sed dissipatio.*

Atque id quidem theologi his velut regulis explicare solent 1. Dispensandi caussa tanta esse non debet, ut se sola sufficiat ad tollendam legis obligationem in peculiari casu: quia sic non opus esset dispensatione, sed ea interpretatione, quae fit per Epicheiam. Ex. gr. laborat quis adversa valetudine; verum dubium est, num tanti sit infirmitas, ut eum a lege jejunii eximat. Non ergo continuo eximitur vi Epicheiae, sed locus fit dispensationi, vi cujus a jejunii lege tuto eximi poterit. 2. Pervidendum, num caussa dispensationis postulet aliquem a tota lege, an solum a parte legis implenda liberari; numve relaxatio legis alio sit opere compensanda, quod tamen sit minoris oneris, quam ipsa legis observatio, quo casu commutatio fieri potius dicitur, quam proprie dicta dispensatio. 3. Dispensandi caussam eo graviorem esse oportere, quo gravioris momenti est officium, in quo dispensatur. Unde caussa, quae satis est ad indulgendum canonico, ne resideat, non sufficit ad eximendum episcopum. 4. Cum per dispensationem vulnus infligatur legi, oportere vulnus illud alterius boni accessione sarciri. Hoc autem bonum necessitate, vel utilitate publica metiendum esse satis patet. Verum ad communem utilitatem id quoque referunt, quod in bonum, et commodum privatae personae ex honesta caussa conceditur sine cujusquam detrimento, et offensione, quia bonum commune postulat, ut qui communitatem regunt, privatorum bonum sine pubblici boni jactura procurent. Sed cavendum, ne cupiditati tribuatur quod nonnisi honestati est concedendum.

CAPUT V.

De defectibus dispensationem irritantibus.

Nulla est dispensatio sive obreptitia fuerit, sive subreptitia. Obreptitia est qua falsi quid obtruditur; subreptitia, qua veri quid reticetur, quod utrumque ad rei substantiam pertineat. Enim vero dispensatio nonnisi hac saltem tacita conditione tribuitur, si res ita est, ut exponitur, nec quidquam occultetur, quo ipsa concedentis voluntas immutaretur.

Quocirca duplex in dispensationis petitione genus caussae distinguitur; una quae *finalis* nuncupari solet, quae nimirum

ad rei petitae naturam intime pertinet, et cujus intuita dispensatur, adeo ut, si abesset, dispensatio vel non concederetur, vel saltem aliter tribueretur; alterum est genus caussae, quae dicitur impellens, quae valet dumtaxat, ut ejus consideratione pronior legislatoris animus ad indulgentiam flectatur.

Et quidem si obrepens error ad genus tantum caussae impellentis pertineat, non continuo nulla censetur impetrata immunitas, sed eo tantum errore vitiari existimatur, qui ad facti substantiam pertineat, atque ad genus caussae finalis revocatur; adeo ut dilapso errore, et veritate cognita, ac perspecta legislator indulgere plane noluisset.

Pariter si quid veri etiam inculpate reticetur, quo cognito indultum non fuisset, nulla erit dispensatio; quia legislator non intendit dispensare, nisi adsint conditiones, quas jura, consuetudo, stylus requirunt.

Caeterum quae ad istas conditiones, et formulas, totamque styli rationem pertinent, e jure canonico petenda sunt, neque nostri est instituti particulatim percensere quae peculiaria sunt in dispensationibus ad vota, vel ad matrimonii impedimenta, aut ad irregularitates pertinentibus. Nam haec singula sunt e suis propriis locis, ac sedibus depromenda; generalia hic tantum principia exposuisse satis fuerit.

CAPUT VI.

An cessante caussa dispensationis cesset dispensatio.

Nulla est dispensatio, si quo tempore conceditur, ejus impetrandae caussa non amplius perstat. V. gr. petit quis indulgeri sibi ad consanguineam ducendam, ne haec ob paupertatem innupta maneat. Interea autem, et anteaquam dispensatum fuerit, puella ex haereditate dives fit, deinceps concessa dispensatio nulla est; quia concessio hac saltem tacita conditione nititur, si vera sunt exposita: porro quo tempore ob allatam inopiae caussam dispensatum est, nulla erat amplius inopia.

Idem dicendum, si caussa non perstet, antequam ille, cui commissa est facultas dispensandi, eamdem executioni mandaverit. Nam cessante caussa finali mandati, cessat mandatum, cap. 30. de praeb. in 6. si res adhuc integra sit.

Impetrata dispensatio, et ab eo, cui mandatum est, executioni demandata, si cessat ejusdem, antequam impetrans ea usus fuerit, multi censent adhuc valere obtentam dispensationem, adeo ut in exemplo allato si puella post impetratam, et fulminatam ut ajunt dispensationem, sed ante contractum matrimonium dives fiat, nihilominus ille, cum quo dispensatum est, possit illam ducere. Aque hanc in rem proferunt regul. 73. juris in 6. *Factum legitime retractari non debet, licet casus postea eveniat, a quo non potuit inchoari.*

Si dispensatio super impedimento matrimonii, vel irregularitate suum jam effectum habuerit, non cessat dispensatio cessante caussa: idque generatim valet cum agitur de relaxatione vinculi, quod totum uno velut actu indivisibili solvitur.

Quod si agitur de observatione alicujus praecepti, cujus obligatio in dies velut recurrat, sitque adeo dispensatio virtualiter multiplex, tum cessante caussa finali dispensationis, ipsa quoque dispensatio cessare merito censetur. Velut si quis ob aegrotationem, quae perpetua fore videbatur, a lege jejunii dispensationem absque limitatione obtinuerit, ille si postea insperato convalescat, rursum jejunare tenebitur; quia obligatio jejunii utpote successiva 'tot obligationes distinctas complectitur, quot sunt dies, quibus urget praeceptum: istaeque obligationes velut totidem distinctis dispensationibus tolluntur, quae proinde hoc ipso desinunt, quo cessat caussa dispensandi, nec sane putandus est fidelis, ac prudens dispensator velle quempiam onere legis servandae levare, cum nulla manet legitima caussa indulgendi.

Quaeritur autem, utrum dispensatio cesset per mortem dispensantis.

Usus monet non cessare. Nec obstat reg. *Mandatum re integra domini morte finitur*: haec enim valet ex communi sententia de mandato ad literas justitiae exequendas, quod morte mandantis finitur re adhuc integra; non vero de rescriptis, quibus gratia conceditur. Ex quo theologi concludunt facultates indefinite concessas extra contentiosam jurisdictionem, ut sunt literae dimissoriae, facultates audiendi confessiones, absolvendi a censuris, vel a casibus reservatis, eligendi confessorem, vota commutandi in impedimentis matrimonii, item facultatem non residendi studiorum caussa, aut

celebrandi missam in domo privata, vel loco non sacro, aliasque id genus gratiosas concessiones non expirare obitu concedentis.

DISPUTATIO XII.

De interpretatione legum.

Hoc loco de legibus universe agimus, quae ubivis gentium vigere possunt; proindeque nobis propositum est ex probatis scriptoribus communes regulas colligere, quae valent ad ejusmodi legum interpretationem faciendam, quandoque alicubi opus fuerit, aut ad earum saltem certiorem, ac planiorem intelligentiam assequendam. Et quidem cum supremae potestatis sit leges non modo condere, sed etiam interpretari; utrumque porro ad legislatoris sapientiam magnopere pertineat, neque ex hoc capite inutiles censendae sunt regulae, quae de prudenti legum interpretatione a doctoribus vulgo traduntur. Atque illas in canonicis praesertim decretis explanandis magnam saepe utilitatem habere constat. Quin etiam plures ex eisdem regulis ad pactionum vim, et obligationem explanandam magno cum fructu adhiberi possunt.

CAPUT I.

Quid sit interpretatio, et quotuplex.

Interpretatio definitur verbi, vel sententiae obscurae per aliud declaratio. Ea est humanae mentis conditio, ut non semper lex verbis ita perspicuis ferri queat; quae omnem obscuritatem amoveant; nec valeant omnes futuros casus praevidere, ex quibus, cum incidunt, novae difficultates emergunt, quas haud satis apte praecavere non potuit. Hinc interpretandi necessitas quandoque suboritur; 1. Cum propter ambiguitatem verborum non satis apparet quae sit mens, et voluntas legis. 2. Cum ex verbis legis, tametsi perspicuis, aliquid in proposito casu consequitur, quod honestati, vel aequitati repugnat.

Triplex interpretatio distinguitur, prima authentica, quae a legislatore manare dumtaxat potest, habetque vim legis; altera ex usu; tertia ex sapientum sensu, et judicio, quae didascalica dicitur.

Prima interpretationis vim, et nomen peculiari jure vindicat. *Si enim in praesenti leges condere soli imperatori concessum est, et leges interpretari solo dignum imperio esse oportet.... tam conditor, quam interpres legum solus imperator*, L. ult. c. de leg.

Proxime accedit quae fit ex usu, et consuetudine, nam ut habetur l. 37. ff. de leg. *Si de interpretatione legis quaeratur, in primis inspiciendum est, quo jure civitas retro in ejusmodi casibus usa fuit. Optima est enim legum interpres consuetudo.* Et sane si ea vis est consuetudinis, ut ex tacito saltem consensu legislatoris auctoritatem legis nanciscatur, hanc scriptae legis veram mentem, et sententiam esse merito putabimus, quae diuturno usu consentiente principe comprobatur.

Eodem revocari potest quae fit magistratuum judicio. *Quare Severus rescripsit in ambuiguitatibus, quae ex legibus proficiscuntur consuetudinem, aut rerum similiter judicatarum auctoritatem vim legis obtinere*, l. 38. ff. de leg. Idque valere debebit quamdiu principi placuerit. Sed de his obiter, utpote quae ad propositum nostrum minus pertinent.

CAPUT II.

De interpretatione didascalica.

Haec tota prudentum judicio nititur, valetque ad assequendam in dubito certiorem legis intelligentiam, eamdemque ad peculiares casus cautius ex mente legislatoris accommodandam. Etenim in primis opus est legem probe intelligere, ut ea tamquam norma se, suosque actus dirigere quisque valeat. *Porro scire leges non est earum verba tenere, sed vim, ac potestatem*, l. 17. ff. de leg. Accidere autem potest, ut quamvis verba legis unum praeseferre intellectum videantur, tamen mens legislatoris aliud velit. Tum vero: *Non dubium est in legem committere eum, qui verba legis amplexus, contra legis nititur voluntatem*, l. *non dubium* c. de leg.

Eo itaque pertinet omnis ejus interpretationis ratio; 1. Ut verborum sensus, et vera intelligentia expromatur. 2. Ut legis mens, et voluntas, sive ex verbis ipsis eruatur, sive ex caussis, quae legislatorem impulerunt ad legem ferendam, sive demum ex circumstantibus, et consequentibus. Interdum

enim etsi plana est verborum intelligentia, de mente legis adhuc dubitari potest, num lex amplianda sit ad certos casus, quos ipsa verba legis non exprimunt; an contra potius restringenda sit, adeo ut excludat casus, qui comprehendi deberent, si sola verba spectarentur. Ampliatio porro duplex etiam intelligitur, una comprehensiva, quatenus lex revera comprehendit casum, qui non exprimitur; altera extensiva, qua etsi lex eum casum non comprehendat, tamen ad eum extendi, seu porrigi debet.

Sive autem agatur de amplianda, vel contrahenda verborum significatione, sive de sententia legis producenda, vel coarctanda, ejus sive ampliationis, sive restrictionis faciendae judicium haud raro peti debet ex natura legis, seu ex materia legi subjecta, prout favorabilis est, vel odiosa. Nam ex hac diversa legum indole diversa quoque interpretandi ratio enascitur. Quare antequam ad regulas interpretandi accedamus, de hac legum distinctione paullisper est disserendum.

CAPUT III.

De distintione legum, quae versantur in materia favorabili, vel odiosa.

Plerique doctores leges dividunt in favorabiles, et odiosas. Simul tamen laborare aliquantisper videntur, quemadmodum odiosa haec appellatio legi cuipiam tribui queat, siquidem legem omnem, quae digna hoc nomine censentur, et justam esse oportet, et ob commune bonum latam, nec odiosum haberi par est quod et justum sit, et utilitati communi serviat. Sic autem demum rem explicant, ut appareat eos favorabilem dicere legem, quae in materia favorabili versatur, quales illae sunt, quae communem juris aequabilitatem fovent, aut quae sine publico, vel cujuspiam incommodo favores certis personis, vel personarum ordinibus tribuunt, vel in quibus quod statuitur directo, proxime, et per se vergit in commodum civitatis; odiosas vero, quae in materia odiosa versantur; quae nimirum naturalem libertatem etsi publici boni caussa circumscribunt, quae inhabilitates inducunt, acta irritant, quae poenas delictis decernunt, aut a communi juris aequabilitate deflectunt. Atque materia hujusmodi odiosa

idcirco censetur, quia illud, quod proxime, et per se lege statuitur, grave, et onerosum est, tametsi postea onus hoc, vel gravitas majoris boni accessione compensetur. Sane, ut comparatione utamur, humano corpori necessaria sunt et alimenta, et remedia. Sed in alimentis juvamen prima specie se offert; in remediis vero prima se offert species doloris, et molestiae, quam postmodum corporis salus consequitur. Sic in corpore veluti reipublicae quaedam leges ipsum prima fronte civitatis bonum, et commodum praeseferunt, eaeque dicuntur favorabiles; aliae velut in remedium humanae cupiditatis gravia quaedam, et onerosa decernunt; quo fit, ut odiosae appellentur. Aliae sunt utriusque velut speciei participes, dicanturque mixtae. Sed forte satius foret omnem odii denominationem a lege ipsa removere, quae revera etiam dum onus imponit, vel poenas infligit, provide, ac saluberrime communi bono, ac civium tranquillitati prospicit; eamque appellationem in materiam transferre, quae legi subjecta est; adeo ut distinctio fiat non inter leges favorabiles, et leges odiosas, quae proprie nullae sunt; sed inter leges, quae in materia favorabili, et leges, quae in odiosa materia versantur. Verum quod attinet ad rem solido fundamento nititur inducta haec inter favorabile, et odiosum in legibus distinctio, eamque frustra, et perperam Barbeyracius oppugnare studuit.

CAPUT IV.

Regulae quaedam generales praemittuntur.

1. Ubi liquido constat de mente, et sententia legis, omnis interpretandi licentia penitus arcenda est. Eo quippe pertinet omnis interpretandi ratio, ut mens legis ex obscuritate in apertam lucem eruatur. Ubi ergo mens legis perspicua est parendum, non interpretandum. *In manifestis non est opus interpretatione, sed executione*, S. Th. 2. 2. q. 120. art. 1. ad 3.

2. Leges intelligendae sunt secundum propriam verborum significationem, nisi quid sequeretur absurdum, vel injustum, quod quidem in legibus difficilius, in pactis et foederibus facilius evenire potest. Et sane si quid ex verbis proprie acceptis sequitur absurdum, vel injustum manifesto indicio est

legem non id velle, quod verba proprie accepta praeseferunt. In aliam ergo significationem inflectenda erunt, ut mentem legis assequamur.

3. Quoties de propria verborum significatione constat, lex generaliter, vel indefinite loquens omnia significata propria comprehendere censetur. *Nam verba generalia generaliter accipienda sunt*; atque ut vulgo dicitur: *Ubi jus non distinguit, nec nos distinguere debemus.*

CAPUT V.

Regulae pertinentes ad verborum significationem.

1. Vocum proprietas non tam ad grammaticam ethymologiae rationem exigenda, quam ex communi usu petenda. Quippe habent vocabula ex usu vim, potestatemque significandi. Haec porro proprietas duplex est, una vulgaris, quae ex populari consuetudine pendet, altera juridica, propria videlicet vocis significatio, prout in disciplina juris usurpari solet.

2. Vocum proprietas ex vulgari usu non certis semper est limitibus definita, verum saepe ultro, citroque vagatur, modo latior, modo restrictior. Sic vox *homo* masculos quandoque solum complectitur, aliquando etiam foeminas. *Appellatione parentis non tantum pater, sed etiam avus, et proavus etc. Sed et mater, et avia, et proavia; et liberorum appellatione nepotes, et pronepotes continentur etc.*

3. Ubicumque occurrerit vocum ambiguitas intelligentia legis petenda erit; 1. Ex toto sermonis contextu. 2. Ex caussa, seu ratione legis, quae in proemio quandoque narratur. 3. Ex natura rei, de qua agitur.

4. Contextus legis accurate primum despiciendus. Nam vox, quae seorsum accepta indefinitam, et ambiguam significationem praesefert, saepe determinatur ex ipsa sua conjunctione cum aliis vocibus, unde integra sermonis sententia efformatur. Quamobrem reg. 68. ff. de reg. juris merito dicitur: *Incivile esse, nisi tota lege perspecta una aliqua ejus particula proposita judicare, vel respondere.*

5. Quod si contextus non sufficit ad vocem plane determinandam significatio eruenda erit ex caussa, seu ratione, quae legislatorem impulit ad ferendam legem, quae quidem

caussa quandoque in legis procmio exponitur, aliquando ex historiae monumentis depromitur, aut ex aliis circumstantiis concluditur.

6. Ubi neque id valeat ad mentem legis assequendam, illa erit praeferenda significatio, quae rei, de qua tractatur, convenientior esse comperietur. *Nam quoties idem sermo duas sententias exprimit, ea potissimum accipietur, quae rei gerendae est aptior.*, l. 68. ff. de reg. jur. *Et in ambigua voce legis ea potius accipienda est significatio quae vitio caret, praesertim cum voluntas legis ex eo colligi possit.*

7. Est autem convenientius *odia restringi, favores ampliari*, reg. 46. in 6. Quod etiam civili jure cavetur. Quamobrem in favorabilibus vocis significatio producenda est ad ea omnia, quae per eam vocem significari proprietas patitur ex communi, vel juridico usu definita. Velut si lex favorabilis de filiis quidquam statuet, etiam filiae intelligentur, nisi quid obstat; secus in odiosis. Quae quidem regula ex naturali aequitate ducitur. Nam si lex favet filiis, cur non et filiae comprehendi postulabunt, quas propria etiam, licet latior ejus vocabuli significatio comprehendit? iniquum esset eas privare beneficio, quod legislator impartiri voluisse merito censetur, dum generatim, et sine exceptione loquitur. In odiosis contra iniquum esset eas comprehendere. Nam cum legislator eam vocem in maxime propria, et stricta significatione usurpare potuerit; aequitas non patitur, ut censeatur voluisse onus impositum extra illam maxime propriam, et strictam significationem produci.

Atque haec quidem valere poterunt sive ad explorandam voluntatem legis per significationem verborum rite definitam, sive ad verborum significationem ex perspecta legis mente definiendam.

Aliquando vero accidit legem aut ampliandam esse ad casus, quos verba non exprimunt, aut restringendam, adeo ut non censeatur certos casus complecti, quos alioquin verba comprehendunt. Ampliationem porro duplicem jam esse diximus; unam comprehensivam, quando casus, tametsi non expressus, tamen ipsa lege revera comprehenditur; alteram extensivam; quando lex ad casum non comprehensum ob certas caussas producitur. De qua ampliatione, et restrictione jam agendum.

CAPUT VI.

Regulae ad ampliationem, et restrictionem legum generatim pertinentes.

1. Lex producenda est ad casum non expressum, quoties lex absque tali ampliatione inutilis evaderet, atque per casum non expressum latus pateret aditus ad ejus vim, et obligationem plane declinandam: ex. gr. si lex certis personis vetet, ne testamento legare valeant, eadem lex, si non verbis, saltem vi, et sententia codicillos etiam complectetur. Secus facilis aditus pateret ad legem subterfugiendam; quandoquidem qui legare vellet, non testamento, sed codicillo legaret.

1. Lex, quae jus, aut facultatem tribuit, omnia etiam concedere censetur, quae ad id jus, ad eamve facultatem explicandam necessaria sunt. *Cui jurisdictio data est, ea quoque concessa esse videntur, sine quibus jurisdictio explicari non potuit*, l. 2. ff. de jurisd. Qua aetate lex contrahendi matrimonii facultatem facit, simul vim tribuit conventionibus, quae ad matrimonium contrahendum pertinent.

3. In correlatis statutum de uno censetur etiam statutum de altero. Lex concedens sponsae facultatem resiliendi a sponsalibus ob diuturnàm absentiam sponsi, eamdem facultatem censetur concedere sponso ob diuturnam absentiam sponsae.

4. In his, quae secundum juris regulam aequiparantur, quod de uno statutum, de altero pariter statutum intelligetur. Ita excommunicatio lata in percussorem clerici alligat quoque mandantem. Si lex aliquo casu simoniacam electionem ad beneficium esse decernit, eodem casu, iisdemve circumstantiis idem statuendum erit de praesentatione, collatione, etc. Haec enim in unum, eumdemque exitum spectant, eiusdemque principiis subsunt.

5. In his, quae se habent ut totum, et pars, aut velut plus, et minus in eodem genere; nam ut habet reg. 53. in 6. *Cui licet quod est plus, licet utique quod est minus* et l. 110. ff. de reg. jur. *in eo quod plus sit, semper inest et minus.* Quamobrem *Cujus est donandi, eidem vendendi jus est*, l. 163. ff. ibid. A contrario cui non licet quod minus est, haud licebit quod plus est in eodem genere. Sic. l. 7. ff. de

leg. *Potest alicui et unus honor interdici, sic tamen, ut si cui uno honore interdictum sit, non tantum eum honorem patere non possit; verum ne eos quoque, qui eo honore majores sunt: Est enim perquam ridiculum eum, qui minoribus poenae caussa prohibitus sit, ad majores aspirare. Majoribus tamen prohibitus minores petere non prohibetur.* Sed hoc argumentum, quod *a fortiori* dialectici dicunt, quodque vim suam in eodem genere totam obtinet, nullius est roboris statim atque transilitur de genere in genus.

6. Cum legislator casum dumtaxat frequentiorem exprimit, non censetur excludere casus minus frequentes, qui sub eodem plane genere continentur. Sic lex indulgens monialibus, ut e claustris exire liceat caussa pestis, vel incendii, merito extenditur ad casum vastitatis proxime inferendae ab hostibus.

7. Simplex legis extensio ad casus non comprehensos facile admitti non debet, nisi plane constet de voluntate legislatoris. Nam etsi par ratio fuisse videatur statuendi de uno quod statutum est de altero, tamen legislator potuit unum velle, alterum non item. Aliud porro est revocare ad legem, quae revera sub lege comprehenduntur, quatenus sunt ejusdem plane generis, et rationis: aliud propter similitudinem quamdam, et analogiam producere legem ex uno genere in aliud genus. Unde patet multum differre ampliationem comprehensivam ab ea, quae simpliciter extensiva dicitur.

8. Restringenda porro est lex cum ex perspecta ejusdem caussa, aliisve argumentis plane constat legislatorem propositum casum noluisse complecti. Habetur exemplum l. *adigere* §. *quamvis* ff. de jure patron., ubi cum patrono prohibitum esset juramento libertos adigere, ne matrimonium contrahant subjicit jurisconsultus: *Quamvis nulla persona a lege excipiatur* (si verba spectentur) *tamen intelligendum est de his legem sentire, qui liberos tollere possunt.* Itaque si libertum inhabilem juramento quis adegerit, dicendum est non puniri patronum hac lege. Similiter l. *cum pater* §. *dulcissimis* ff. de leg., ubi cum mater filium haeredem instituisset, haec verba adjunxit: *Dulcissimis fratribus meis, avunculis autem tuis, quaecumque mihi supersunt in Pamphylia, Lycia, vel ubicumque de maternis bonis concedi volo, ne quam cum his controversiam habeas.* Explicat jurisconsultus, atque restringit non esse intelligendum de omnibus bonis maternis, quasi ea etiam

dent. Sed juste minoribus etiam delictis graviores poenae sanciuntur, sive quia ea delicta publicae tranquillitati, et bono regimini magis officiunt, sive quia frequentius recurrunt, et increbrescunt, majorque ad ea patranda proclivitas majoribus etiam poenis coerceri postulat.

CAPUT VIII.

Generale praaceptum de regularum usu.

Caeterum nihil est regulas tenere, nisi quis sciat regulis apte, prudenterque uti. Qui usus licet videatur magis ex cujusque judicio pendere, quam arte aliqua, vel disciplina posse praescribi, tamen etiam ad id regendum judicium prodesse artis praecepta valent. Omnis sane regula ex fine proposito ducitur, et ad finem propositum assequendum ducit. Finis interpretationis didascalicae non aliud est, quam ut mens, et voluntas legislatoris probatis argumentis eluceat, planeque constet. Ergo in usu, et applicatione regularum eo spectare interpres perpetuo debet, non ut molliendae, vel eludendae legis viam aliquam reperiat, sed ut exploret, ac perspiciat quid revera legislator voluerit. Ergo dum consulitur cogitet non qua ratione lex ad consulentis voluntatem in proposito casu per ambages, vel ad speciem probabiles argumentationes inflecti, accommodari valeat; sed id unum sibi propositum habeat, unum, inquam, fixum, et ratum ei sit, ut in verbis legis inveniat non quod quisque cupit, sed quod legislator vere sanxit. Quoties porro satis constat de voluntate legis, omnem sibi interpretandi licentiam interdictam putet. Neque ad inflectendam legem alioquin apertam satis caussae sibi esse arbitretur, quod non satis appareat ratio, propter quam lata est; non enim omnium, quae a majoribus constituta sunt semper ratio reddi potest, neque tamen minus obligant: nec etiam quod in speciem lex asperior esse videatur. *Hoc quidem perdurum est* (l. 12. ff. *qui, et a quibus*) *sed ita lex scripsit.* Proinde ubi cognita est voluntas legis, opus est non interpretatione, sed executione, ut jam diximus post D. Thomam. Etenim, ut praeclare ait S. Augustinus de ver. relig. cap. 11. *In temporalibus legibus.... quando sunt institutae, et firmatae, non licebit de his judicare, sed secundum ipsas.*

CAPUT IX.

De restrictione legis, quae fit ex aequo, et bono seu per Epicheiam.

Aequitas juris stricto verborum opponitur in his, in quibus stricta ipsa verborum acceptio a communi bono; quod est finis legis, et ab ipsa legis voluntate, ac sententia deflectit, quod uno exemplo facile patebit. Lege statutum est, ne certis personis certo tempore domo exire liceat. Lex generaliter loquitur, quia generaliter ejusmodi statutum habet utilitatem ad publicum bonum pertinentem, ut scilicet vitentur pericula, et incommoda, quae frequentius alioquin suborirentur. Audit porro eo tempore, ut domus repentino incendio deflagret. Si jus strictum verborum sequi volumus, dicendum erit ne ad flammas quidem vitandas licere commorantibus in domo eadem exire. Sed tum manifestum est literam legis ipsimet legislatoris voluntati, ac bono; quod legi propositum est, adversari. In eo porro consistit aequitas, ut deficienti pro certo casu literae legis succurrat, idque ex rectae rationis lumine, ac judicio, ac perspecta communi utilitate et honestate decernet quod legislator ipse decerneret, si adesset.

Quaestionem pertractat S. Th. 1. 2. q. 96. art. 6. num ei, qui legi subditur liceat aliquando praeter verba legis agere.

Rem autem dilucide more suo explicat fere in hunc modum. Omnis lex ad communem hominum salutem refertur. Contingit autem multoties, ut bono communi expediat aliquid ut plurimum, et velut in communi vitae consuetudine servari, quod in aliquo peculiari casu ob adjunctas circumstantias noxium evadit. Quia ergo legislator non potest omnes singulares casus prospicere, proponit legem secundum ea, quae frequentius, et ut plurimum eveniunt, animum convertens ad communem utilitatem. Quod si emergat casus, quo talis legis observatio communi saluti detrimentum afferat, non est observanda. Sicut in civitate obsessa lex statuens, ut portae civitatis clausae maneant, utilis est, ut in pluribus communi saluti. Si tamen contingat, ut ab hostibus premantur cives, per quos civitas conservatur, damnosissimum esset civitati, nisi

portae illis aperirentur, ideo in tali casu essent portae aperiendae contra verba legis, ut servaretur utilitas communis, quam legislator intendit.

« Sed tamen, quod bene notandum est, hoc est considerandum, quod si observatio legis secundum verba non habeat subitum periculum, cui oporteat statim occurri, non pertinet ad quemlibet, ut interpretetur quid sit utile civitati, et quid inutile: sed hoc solum pertinet ad principes, qui propter hujusmodi casus habent auctoritatem in legibus dispensandi. Si vero sit subitum periculum, non patiens tantam moram, ut ad superiorem recurri possit, ipsa necessitas dispensationem habet annexam, quia necessitas non subditur legi.

Tria porro sibi solvenda S. Doctor proponit, ex quorum solutione haud exiguam lucem ejus doctrina mutuatur. 1. Si quis praeterhabeat verba legis, dicens se mentem sequi legislatoris, is de lege judicat, quod non licet ei, qui subditus est legi. 2. Ad eum solum pertinet leges interpretari, cujus est leges condere; quo subditis praecluditur omnis facultas interpretandi. 3. Sapiens certe novit mentem suam explicare, sed illi, qui leges condunt sapientes reputantur. Non ergo de mente legis, nisi per ejusdem verba dijudicandum est.

Respondet autem S. Doctor ad 1. Eum, qui in casu necessitatis agit praeter verba legis, non judicare de ipsa lege, sed de singulari casu, in quo videt verba legis observanda non esse. Ad 2. Eum, qui sequitur voluntatem Legislatoris non interpretari legem simpliciter, sed in casu, in quo manifestum est per evidentiam documenti Legislatorem aliud intendisse. Si enim dubium sit, debet vel secundum verbum legis agere, vel Superiorem consulere. Ad 3. Nullius hominis sapientiam esse tantam, ut possit omnes singulares casus excogitare, et etiamsi posset legislator casus omnes considerare, non oporteret, ut omnes exprimeret propter confusionem vitandam; sed legem ferre deberet secundum ea, quae in pluribus accidunt.

Hinc sequitur, si manifestum sit particularem casum generali legis sententia non comprehendi, sed aequitatis ratione excipi debere, interpretationem hanc in casu necessitatis secundum prudentiae legem a privato quopiam fieri posse. Erit autem res manifesta 1. Si lex servari non possit, nisi violando aliam graviorem legem. Quare si concurrent duo

praecepta, quae simul servari non possint, posthabendum quod minus est. 2. Si legis observatio a mjore bono altioris virtutis impediat, quo casu certum sit Legislatorem nolle illud majus bonum impedire. Ex. gr. Missa festo die omitti potest, ut proximo aegrotanti, tuaque maxime opera indigenti subvenias. 3. Si lex observari nequit sine periculo, et damno, ad quod subeundum legislator minime vult adstringere. Sic ille, qui esset fame periturus, nisi carnes ederet, non tenetur die jejunii a carnibus abstinere.

Porro epicheia locum quidem habet in legibus obligantibus, non ita in infirmantibus, nisi aliunde constet de voluntate legislatoris. Sic v. g. non valet Testamentum sine testium numero lege ad valorem testamenti praescripto, etiamsi citra culpam testatoris praefinitus ille numerus haberi non potuerit. Nec valet matrimonium quibus locis promulgatum est tridentinum, sine parocho, et testibus celebratum, etiamsi ob grassantem pestem ex. gr. parochus, ac testes adesse non potuerint. Et sane voluntas legislatoris non est, ut serventur verba legis jubentis, aut vetantis, cum id vergeret in detrimentum publicae salutis, quae ipsi legislatori proposita est. Epicheia proinde in casu necessitatis supplet ipsam legislatoris absentiam, ostenditque non esse servanda verba legis, cum servari non possunt, nisi aequitas ipsa laedatur. Verum id locum non habet in lege irritante. Nusquam enim aequitas suadet, ut valere debeat actus, qui caret forma ad ejus substantiam lege praescripta. Imo ad vitandas fraudes, aut fraudis periculum Reipublicae interest, ne acta ejusmodi valeant, nec attendatur ad peculiare icommodum, quod interdum ex accidente intervenire potest.

DISPUTATIO XIII.

De Privilegiis.

CAPUT I.

Quid sit Privilegium, et quotuplex.

Privilegium dicitur quasi privata lex, speciale beneficium, vel favorem concedens, soletque a theologis definiri constitutio legislatoris tribuens specialem favorem, vel per-

petuum, vel ad plures actus. Aut etiam facultas permanens a legislatore concessa aliquid agendi, vel non agendi contra, vel praeter jus commune. Contra *jus* quidem, ut exemptio a solvendis decimis; praeter *jus* vero, ut potestas dispensandi, vel alia similia praestandi, quae licet jure prohibitia non sunt, non tamen sunt omnibus concessa. Differt a dispensatione; sive quia dispensationis proprium est relaxare vinculum legis, privilegium autem dari potest, quod sit tantum praeter legem; sive quia dispensatio vel ad unum singularem actum concedi potest, privilegium autem majorem babet durationem, atque stabilitatem.

1. Dividitur in privilegium caussae, et privilegium personae, sive, ut vulgo dicitur in reale, et personale. Primum est quod conceditur ratione rei, nimirum muneris, status, conditionis, loci, vel dignitatis; puta praedii, monasterii, Ecclesiae, episcopatus etc. Alterum est quod proxime personae conceditur intuitu ipsius personae; istud affixum est personae, et cum ea extinguitur: illud affixum est rei, et statui, cumque eo perseverat, transitque ad haeredes, et successores; perit autem re pereunte, Ita L. *aetatem* 3. ff. de cens.

Privilegium censetur personale cum solum exprimitur nomen personae, v. gr. *Committimus Johanni:* reale, si sola exprimatur dignitas, v. g. *Committimus Episcopo Morinensi.* Si vero nomen simul, et dignitas exprimuntur plures censent esse personale, adeoque cum persona extingui; nisi aliud ex tenore concessionis appareat.

2. Dividitur *in perpetuum, et temporale*: illud est quod citra temporis limitationem conceditur, adhaeretque rei suapte natura perpetuae, tale autem dicitur, non quod amitti non possit, sed quia vi sua durat, donec revocatum fuerit. Temporale vero est quod vel singulari personae conceditur, vel ad certum tempus.

3. In favorabile, quod non est contra jus, et ita uni prodest, ut alteri non noceat, velut facultas absolvendi a reservatis, et in odiosum, quod juri vel communi, vel privatorum derogat.

4. Dividitur in gratiosum, quod gratuito, et ex mera liberalitate principis conceditur, et remunerativum quod in meritorum remunerationem tribuitur; vel ex pacto conceditur cum onere ex parte accipientis.

5. Dividitur in concessum *motu proprio*, in quo exprimitur privilegium ex proprio concedentis motu datum esse, licet aliquando contingat, ut petitum fuerit; et privilegium *ad instantiam partis*, in quo non exprimitur illud motu proprio concessum fuisse. Privilegium ex motu proprio caeteris paribus favorabilius est, tum quia excludit periculum subreptionis, tum quia in eo non nocent reticentiae, quae in alio nocerent.

6. Dividitur in privilegium, quod datur *ad instar*, et privilegium *per communicationem*: primum est quod uni conceditur *ad instar*, idest ad modum, quo alteri concessum est, et quidem aeque directe, ac principaliter. Alterum est quo uni conceditur participatio privilegii, quale concessum est alteri; et quidem saepe in favorem, et gratiam alterius. Atque hoc discrimen probe est attendendum. Nam privilegia, quae sunt alteri concessa ad instar, nec augentur, nec minuuntur, nec desinunt, etiamsi augeatur, minuatur, vel desinat primum privilegium, ad instar, et ad motum cujus istud alterum concessum est. Secus in posteriore casu, unde privilegia, quae quorumdam religiosorum familiaribus communicantur, crescunt, vel decrescunt ad normam eorum, quibus idem religiosi fruuntur.

CAPUT II.

De concessione privilegiorum.

Quaeritur hoc loco 1. Quis concedere privilegia valeat?

Privilegium concedere is solum valet qui potest legem condere, aut qui a legislatore facultatem habet concedendi privilegii. Nam sive per privilegium quis a lege communi eximitur, eamque immunitatem solus legislator dare potest: sive privilegium est dumtaxat praeter legem, tumque etiam legislatoris potestas intervenire debet ad alios adstringendos, ne illum, cui privilegium concessum est in ejus privilegii usu impediant.

2. Quaeritur quibus privilegium concedi possit?

Privilegium conferri potest non iis tantum, qui vere, et absolute subditi sunt, sed etiam iis, qui aliquo pacto inferiores sunt, vel inaequales, quod attinet ad rem, in qua privilegium confertur. Sic princeps potest concedere externo

non subdito jus venandi in suo territorio, aut militem conscribendi, aut vectigalia non solvendi.

3. Utrum privilegium sine caussa valeat, an etiam liceat?

Valet, sed non licet juxta ea, quae de dispensatione dicta sunt. Valere quidem debent ea, quae a pubblica potestate manant, ne pubblicae tranquillitatis ordo turbetur; uti eveniret, si ob sufficientis caussae defectum invalida forent. Sed etiam interest, ut qui publica potestate pollent, sciant sibi non licere illa quomodocumque uti, sed ad commune bonum procurandum. Privilegia concedere quandoque non solum licet, sed etiam expedit. Postulat enim aequi, et boni ratio, ut qui majore studio, et labore communi utilitati serviunt, majoribus etiam beneficiis ornentur; idque ad omnium excitandum studium valet. Verum quae leviter, et nulla justa caussa conceduntur, plurimum iccommodant utilitatibus publicis, nec carent vitio acceptionis personarum, a quo penitus abhorrere debent qui res publicas gerunt.

4. Quaeritur, an consuetudine privilegium induci valeat?

Certum est privatos nulla consuetudine privilegium sibi comparare posse: etenim nil valet privati cuiusque mos, aut consuetudo ad legem infirmandam, vel inducendam. Quod vero attinet ad peculiares societates, vel communitates multi existimant ejusmodi corpora legitima, et probata consuetudine posse quaedam privilegia sibi comparare, modo tamen jus non resistat. Sed haec etiam acquirendi privilegii ratio, si locum habet, adhuc pendet a potestate publica. Consuetudo enim privilegium impertiri, sicut nec jus facere potest, nisi ex consensu legislatoris, ut superius declaratum est.

CAPUT III.

De usu privilegii.

Ad usum privilegii generatim praerequiritur notitia concessionis, et ejusdem acceptatio. Hinc privilegium datum motu proprio effectum non habet, quousque illius concessio innotuerit. Privilegium vero concessum ad preces paetentis valere incipit statim atque concessum est; nam in ipsa petitione tacita petentis acceptatio continetur. Peccaret tamen qui nondum habita concessi privilegii notitia eo uteretur, propterea

quia exponeret se periculo violandae legis. Hinc qui petita, et obtenta dispensatione matrimonium contraheret ante obtentae dispensationis notitiam, valide quidem contraheret, sed illicite.

Quaeritur vero, utrum qui privilegium obtinuit, eodem ubicumque uti valeat, etiam extra fines loci, in quo potestatem exercet qui privilegium concessit.

1. Si privilegium est locale, seu loco affixum, uti eo non licet extra locum, ad quem datum est. Hinc si pontifex in quibusdam locis a mari remotis ovorum usum permiserit ob piscium penuriam, non poterit ovis vesci qui alio commigraverit.

2. Si privilegium est personale adhuc est adhibenda distinctio. Nam vel privilegium conceditur contra jus commune, ut cum cui ob infirmitatem indulgetur, ut diebus jejunii carnes comedat; vel conceditur aliquid, quod si contra specialem legem loci, in quem quis deinceps commigrat.

Primo casu satis receptum est, ut privilegium personale valeat etiam extra dioecesim episcopi, a quo concessum est. Et sane cum hujusmodi privilegium sit contra jus commune, conferri ab episcopo non censetur, nisi auctoritate ab eo manante, cui jus est legis in universa ecclesia relaxandae ut supra declaratum est.

Si vero privilegium sit adversus speciales leges alterius loci longe probabilior, ac tutior videtur eorum sententia, qui negant privilegium in tali loco valere. Etenim advenae subjacent legibus locorum, in quibus versantur, a quibus eximi non possunt vi concessionis obtentae ab inferiori praelato, qui nullam in ejusmodi locis potestatem habet.

Quaeritur insuper, num accepto quis privilegio uti teneatur.

Generatim uti non tenetur. Nam ex reg. 61. *Quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum.* Excipitur. 1. Nisi privilegium detur ad aliquid aliunde praeceptum. Sic qui habet privilegium Oratorii privati, tenetur eo uti, si aliter die festo sacro interesse nequeat. Et sane perspicua ratio videtur: quippe tenetur quisque praecepto satisfacere, nisi justo impedimento prohibeatur. Cum ergo per privilegium oratorii privati tollatur impedimentum, quod aliunde obstaret, sitque adeo in illius potestate praecepto satisfacere, jam praeceptum vim suam execere intelligitur. 2. Si privilegium datum sit personae

conditioni, tenetur quis eo uti, ne ex non usu conditio ipsa detrimentum accipiat. 3. Proinde utendum est privilegio, quoties non utendo quis aut officio alioquin debito satisfacere non posset, aut grave vel ipsius, vel aliorum detrimentum sequeretur.

Quod attinet ad interpretationem privilegii, pauca haec adnotasse satis fuerit. 1. Privilegium, quod nec in juris communis, nec in cujusquam detrimentum cedit, late est interpretandum. 2. Hanc tamen interpretationem non porrigi extra verborum significationem naturalem, et civilem. 3. Privilegium derogans juri communi, vel juri privato tertii esse stricte interpretandum. 4. in Privilegiorum conflictu privilegium specialius generatim praevalet. V. g. Quis privilegium habet exigendi decimas certo in loco. Tu privilegium habes eximens a solvendis decimis. Privilegium tuum utpote specialius praevalere oportebit, nisi alterius privilegio fuerit tuo derogatum. Nam generalia privilegia non officiunt specialibus, nisi eis derogetur. 5. Quod si privilegia sic pugnent, ut in concordiam adduci nequeant, antiquius communiter praevalere oportebit, nisi alia obstent; de quibus particulatim agere non est hujus loci.

CAPUT IV.

Quot modis privilegia desinant.

1. Privitegium *personale extinguitur cum persona*, Reg. 7. jur. in 6. Si vero sit reale, una cum re transit ad haeredem, vel successorem, peritque si res, velut locus, aut dignitas, cui annexum est, prorsus, ac sine spe restitutionis intercidat.

2. Finitur lapsu temporis, pro quo datum est.

3. Cessante tota caussa, ob quam privilegium concessum est. Sic privilegium absentibus studiorum caussa concessum ad percipiendos beneficii fructus desinit, si revera studiis non vacant.

4. Si cedere incipiat in grave detrimentum aliorum vel communitatis, vel ejus, cui concessum est, tumque vel fiat iniquum, adeo ut cesset per se se, vel tale certe, quod a legislatore merito revocari queat. Sic ex c. *cum ad hoc* de Cler. non resid. Si ecclesia patiatur defectum ministrorum,

privilegium gaudentes super non residentia compelli possunt ad redeundum fructuum subtractione.

5. Amittitur privilegium per revocationem ejus, qui concessit. Sed hic distinguendum inter privilegium mere gratuitam, et privilegium onerosum, atque remunerativum.

Privilegium mere gratuitum concedens vel exemptionem a lege, vel facultatem aliquid agendi praeter legem, potest a concedente, aut ejus successore valide revocari etiam absque caussa. Potest enim legislator exemptum a lege iterum legi subjicere. Non tamen omni culpa vacare putandus esset qui nulla caussa privilegium ejusmodi revocaret. Quippe in eo se proderet inconstantia quaedam, et levitas contra naturam beneficii principis, quod decet esse mansurum.

Privilegium etiam gratuitum, quo dominum translatum est in eum, qui privilegium acceptavit, non potest sine caussa revocari. Quod probatur eadem ratione, qua fit donationem rite factam, et acceptatam non posse ad nutum donantis revocari; secus posset quis sine caussa privari rebus suis. Id vero valet, nisi privilegium precario, et ad beneplacitum concedentis datum fuerit. Tum enim concedens revocando privilegio jure suo utitur.

Privilegium remunerativum, et a fortiori privilegium onerosum, et per contractum non potest absque justa caussa revocari. Caussa autem justa erit, si publici boni ratio privilegii revocationem requirere omnino videatur. Et quidem cum agitur de privilegio oneroso, et per contractum, praeter dictam caussam requiritur etiam compensatio, seu restitutio pretii accepti, vel quid aequivalens operi exhibito; secu justitia non servaretur. Cum vero agitur de privilegio remunerativo, idem dicendum, si remuneratio fuit ex justitia. Si vero dumtaxat fuit ex gratitudine, quidam dicunt praeter causam publicam, non requiri compensationem. Tamen alii putant eam deberi, si non vi meritorum, saltem vi contractus. Caeterum, ut privilegium censeatur concessum in praemium, et remunerationem meritorum, requirit specialem illorum mentionem, adeo ut expresse dicatur privilegium concedi ob talia, vel talia merita; secus generalis meritorum mentio censetur fieri honoris caussa potius, quam ex accurata rei veritate.

6. Privilegia quoque amitti possunt per renunciationem. Etenim *liberum est unicuique juri suo renunciare.* Cap. 6. de privileg. Renunciationem tamen oportet esse spontaneam, et liberam, non metu, non dolo extortam. Nec privatus renunciare potest privilegio, quod in favorem collegii, vel communitatis tributum est; nec proinde clericus renunciare valet privilegio Fori, et Canonis: quippe privilegium illud non singulari veluti personae concessum est, sed Clericali ordini.

7. Privilegia interdum etiam emittuntur solo non usu. Qua de re haec regula tradi solet. Privilegium, quo tribuitur facultas agendi, vel non agendi, quae non cedit in damnum, vel gravamen alterius, qualis est facultas oratorii privati, non amittitur ipso non usu. Privilegium vero, quod onus infert alicui, non usu amitti potest, quia in privilegio ejusmodi inest vera servitus: Servitutes autem communiter praescribuntur decennio inter praesentes, vicennio inter absentes, aliove longiori tempore legibus praescripto pro diversa rerum, personarumve conditione, praesertim ubi adest tacita renunciatio, quae colligitur ex non usu. Oportet tamen illum non usum esse voluntarium adeo ut qui non usus est privilegio notitiam habuerit privilegii, et facultatem eo utendi.

8. Ammittitur pari jure per actum contrarium. Qui enim sciens, et volens actum exercet privilegio prorsus repugnantem, púta solvendo decimas, a quibus immunis erat, privilegio renunciare censetur. Notant porro tantum ad id requiri temporis, quantum ad praesciptionem requiritur. Secus de privilegii, quae nemini nocent; quare cui indultum est privilegium non jejunandi tempore quadragesimae; is non ammittit privilegium, etiamsi semel, vel pluries jejunet. Quippe hoc facere potest non animo renunciandi privilegio, et subjicendi se iterum legi communi, sed virtutis studio.

9. Ammittuntur privilegia propter abusum. Tripliciter autem quis privilegio abuti censetur, vel illud extra concessos limites producendo, vel inde occasionem delinquendi sumendo, vel directe agendo contra finem, ob quem privilegium concessum est. *Porro privilegium meretur amittere, qui permissa sibi abutitur libertate*, Simplic. Epist. ad Episcop. Ravenn. Plerumque autem non ammittitur, nisi

post sententiam saltem declaratoriam criminis, nisi vel in privilegio, vel in jure habeantur verba, quae privationem ipso facto inducant.

10. Privilegium perit morte concedentis, vel delegati, si gratia non sit facta, sed tantum facienda; ut colligi potest superius dictis de Dispensatione.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

THEOLOGIAE MORALIS

LIBER III.

TRACTATUS

DE

JUSTITIA ET JURE.

PRAEFATIO

Cum omnia quae morali theologia continentur magni prorsus momenti esse, ipsa rei ac nominis amplitudo satis declarat, tum quae de justitia, de contractibus, atque legibus in ea disciplina pertractantur, eximiam videntur dignitatem habere cum singulari quodam utilitatis fructu conjunctam. Nam et in justitia splendorem virtutis elucere quam maxime spectatissimi philosophi agnoverunt: fide autem et aequitate in contrahendis rebus ac permutandis conciliari homines inter se, mutuisque officiis civitates ipsas augeri, florentioresque ac beatiores effici: tum legibus observandis totius generis hominum communitatem contineri atque conservari, et ratio ipsa, et ex omni antiquitatis memoria deprompta exempla demonstrant.

Quocirca jurisconsulti, quorum disciplina versatur in legibus interpretandis, in justitiae praeceptis explicandis, in describendis actionum cujuslibet generis formulis, quae adstrictam teneant aequabilitatem communis juris, certisque velut cancellis circumscribant, philosophiam non simulatam, qualem philosophi multi olim vultu et habitu mentiebantur, in quibus pallium non philosophia cerni poterat, sed veram, ac sinceram suoque dignam nomine sequi se merito profitentur; cujus professionis dignitati tantum tribuunt, ut qui justitiam colunt, aequum ab iniquo separantes, licitum ab illicito discernentes dicere non dubitent se velut sacerdotes justitiae augusta sane ac magnifica praedicationes appellari posse, quasi sacris ejus ac templo ministrantes. Quae si pulcre conveniunt ei disciplinae, quae constabiliendo jure non aliis initiis ducitur quam humanis, quae unam vitae communis tranquillitatem praecipue spectat, dum homines poenarum hujus vitae metu et ejusdem modi praemiorum exhortatione bonos efficere studet, multisque adeo in rebus contenta est explicare magis quid impune, quam quid honeste geri queat; quae tandem esse debet studii hujus nostri praestantia, quod iisdem in rebus sic versatur, ut humanae justitiae formam ad san-

ctitatis, voluntatisque divinae regulam divinitus patefactam exigere sibi propositum habet, humanas leges divina auctoritate sanciat, hominesque ipsos mutuis officiis colendis ex pacatissimo praesentis vitae statu et ordinata concordia ad supremam perpetuae vitae felicitatem instituat? Itaque quidquid laudis confertur in juris disciplinam, quam libenter, et vere profitemur, nec satis pro dignitate ornari dicendo posse, nec studium ejus satis commendari, ad hujus nostrae laudes amplificandas valebit, quam tanto majorem ac sanctiorem videri necesse est, quanto divina praestant humanis.

Tametsi vero quae hactenus commemoravimus theologicarum de jure ac justitia institutionum non dignitatem modo, verum etiam utilitatem plane suadeant; haec insuper quanta sit ex eo facile perspicitur, quod nulla fore sit pars alia, quae tot, tam varias, tamque implicatas quaestiones pariat, de quibus aut frequentius aut molestius theologi consulantur, tamque adeo promptam et expeditam respondendi facultatem desiderent. Etenim nulla pars vitae justitia vacare potest, cujus vis ad omnem statum et singulas fere actiones sive privatas sive publicas pertinet: quibus in rebus diligenter considerandum, ne quid contra jus et aequum; recte autem considerare et universe statuere quisquam haud satis possit, qui theologiae moralis praecepta probe animo comprehensa non teneat. Multis enim qui haec ignorant, etsi aliarum rerum periti habeantur, accidere non raro solet, ut perperam quaerentibus respondeant, sive quod quae respublica fieri justa de caussa patitur, eadem quoque indiscriminatim justa esse arbitrentur, atque ut impune sic honeste admitti posse concedunt; sive quod in pactis, in conventis, in legibus et interdictis aucupia verborum et literarum tendiculas studiosius interdum consectantes ab aequitate discedunt, voluntatem, consilium, sententiam legis negligunt; sive quod quibus exceptionibus reo tueri se licet in foro easdem nullo discrimine ad tranquillandam conscientiam valere perperam aliquando judicant. Multiplex tandem illa varietas rerum ad communem vitam pertinentium quae hic pertractantur ab omni exquisitiore subtilitate remota, dum et cognoscendi cupiditatem acuit, et discendi difficultatem minuit, et satietatem removet multa sane hoc totum studium jucunditate conspergere posse intelligitur. Qua de caussa illos imprimis bene animatos esse cupimus, quos piget paullo altius repetere initia do-

ctrinarum, quorum animi paullo intentiore consideratione cito defatigantur et concidunt. Sed tametsi nullae futurae sunt hoc tractatu disputationes de abstrusioribus theologiae initiis, quae ut viro qui se theologum profiteatur, sunt scitu pernecessariae, sic acrem postulant ingenii vim et judicii, mentemque philosophicis doctrinis haud mediocriter excultam, velim tamen omnes sibi persuadeant, vel in his ipsis quae planiorem habent intelligentiam vix ei progressus aliquos esse sperandos, qui facilitati percipiendi diligentem operam et industriam non adjungat. Atque haec quidem breviter duxi praemonenda, non quo plerosque vestrum excitarem, quorum ego alacritatem in honestissimis laboribus perfungendis superioribus annis multis argumentis perspectam habui, sed ut mea vox, quae vobis ex hoc loco ad hoc studium si minus adjumento saltem incitamento esse debet, officio functa suo videretur. Nunc ad rem ipsam explicandam progrediamur.

[illegible]

THEOLOGIAE MORALIS

LIBER III.

TRACTATUS

DE JUSTITIA, ET JURE

PARS PRIMA

DE VIRTUTE JUSTITIAE GENERATIM

CAPUT I.

De justitiae, ac juris notione.

Habet justitiae vocabulum multiplicem significationem. 1. Enim sumitur pro ipsa sanctitate, quae in homine ex gratia divinisque donis existit. Sic ad Rom. 3. *Justitia Dei per fidem Jesu Christi in omnes, et super omnes, qui credunt in eum.* Hinc porro concilium tridentinum sess. 6. cap. 7. docet justitiam in nobis recipi cum sanctificamur, qua justitia donati a Deo renovamur spiritu mentis nostrae, et non modo reputamur, sed vere justi nominamur et sumus. 2. Justitia dicitur ipsa lex Dei, quo nomine saepe celebratur in psalmis, maxime vero toto psal. 118. Ipsa proinde legis divinae observatio, ipsaque opera quibus lex impletur justitiae nomine donantur, velut Matthei 5. *Nisi abundaverit justitia vestra plusquam scribarum, et pharisaeorum, non intrabitis in regnum coelorum.* Et cap. 7. *Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus.* Quo loco eleemosynam praecipue designari accipimus a D. Chrysostomo homil. 19. in Matthaeum. 4. Justitiae nomine illa significatur excellens animi perfectio, quae omnem virtutem complectitur; quo pacto D. Hiero. epist. ad Demetriad. *Omnis virtutum species uno justitiae nomine continetur.*

Denique justitia sumitur pro peculiari virtute de qua hic agere instituimus, definiturque a jurisperitis: *Perpetua et constans voluntas jus suum cuique tribuendi.* 1. Dicitur voluntas, non quatenus voluntatis nomine intelligitur habitus, quo inclinatur animus ad eos actus volendos, quibus jus suum cuique tribuitur. 2. Dicitur perpetua et constans; quibus vocibus indicantur conditiones ad virtutis rationem necessariae; quippe justitiam ille habere intelligitur, qui firmo constantique animo in id fertur, ut velit cuique jus suum quoad omnia, et perpetuo reddere: itaque cum justitia dicitur esse voluntas perpetua, talis dicitur non ratione actus, sed ratione objecti, prout est justitiae propositum jus suum cuique reddere in omne tempus: constans autem dicitur ad ipsam significandam firmitatem propositi. Unde patet nil ex hac parte in definitione aut redundare aut deficere. 3. Dicitur jus suum cuique tribuens, quo affertur quod est proprium justitiae, et quo differt a reliquis virtutibus.

Ut autem distinctius innotescat jus obiectum justitiae, multiplex etiam hujus vocabuli afferenda significatio est. 1. Enim jus dicitur lex seu regula ad quam suos actus homines exigere debent. Hoc pacto jus aliud est divinum, aliud humanum; aliud naturale, aliud positivum; aliud ecclesiasticum, aliud civile. Ex hac notione per analogiam fluit ea significatio, qua conplexio ipsa et disciplina legum juris nomine donatur; in quem modum jus definitur a Celso ars aequi et boni, et adolescentes juri studere dicuntur. 2. Jus dicitur ipsa sententia judicis, quod judex ad normam legis pronunciare atque adeo jus dicere judicando censeatur; unde et ipsum juris nomen tributum est loco in quo judex pro tribunali sedet; ut apud Tullium lib. 1. de orat. *Volitare in foro, haerere in jure, ac praetorum tribunalibus.* 3. Jus accipitur pro facultate legitima, idest manante a jure sumpto pro lege quae cuique competit ad aliquid obtinendum, fungendum, vel habendum: Unde etiam jus aliud in re, aliud ad rem constituitur. 4. Jus accipitur pro eo quod justum, aequum, et rectum esse intelligitur: quo pacto proprie jus dicitur esse obiectum justitiae.

Porro ut perspicue percipiatur in quo sita sit ratio justi et aequi, satis fuerit haec duo animadvertisse. 1. Justum et aequum appellari quod propriae mensurae collatum et applicatum ipsi aequari eidemque congruere comperitur. 2. Jus ad

aliquid habendum et fungendum, prout est facultas cuiquam lege asserta hoc ipso inducere in aliis obligationem ei facultati respondentem: jus enim tali modo acceptum et obligatio sunt correlata, atque adeo positio talis juris in quopiam infert vi correlatorum in aliis obligationem ei facultati respondentem. Hoc posito proclive est intelligere tum fieri aequum et justum, cum obligatio alieno juri respondens, sive quod alteri debetur pro jure suo eidem praestatur ac tribuitur ad aequalitatem: adeo ut quod ipsi tribuitur et praestatur collatum cum ipsius jure tanquam mensura, ipsi aequari et congruere intelligatur. Quo constituto illud etiam facile perspicitur quemadmodum in ipsa lege naturali ceu primario fundamento regula justi et aequi et vis ipsa justitiae innitatur.

Tres itaque conditiones justitia requirit. 1. Ut sit ad alterum. 2. Ut in debito explendo versetur. 3. Ut illud expleat ad aequalitatem. Aequalitas autem cum veluti media posita esse intelligatur inter nimium et parum, propterea justitia etiam in medio consistere dicitur.

Differt vero 1. Justitia a reliquis virtutibus moralibus, quod istae utpote quae versantur in moderandis animi affectionibus, velut cupiditate, voluptate, ira, timore, audacia, maerore talem mediocritatem constituant in actionibus, quae mediocritas petenda est ex habitudine seu comparatione cum statu et conditione ipsiusmet agentis; adeo ut id quod est mediocre, seu moderatum uni personae, illud idem sit nimium aut parum, si ad alias personas referatur, velut certa quantitas cibi moderationem habere comperietur pro una persona, quae nimia esset aut deficiens pro aliis. Contra vero medium quod justitia intendit sit in re ipsa positum, quatenus praestandum sit ad aequalitatem quod alteri debetur, illaque proinde aequalitas non ex statu debentis petenda sit, sed ex jure illius cui debetur, sic ille qui mutuo accepit quinquaginta aureos, reddere tantum debet, sive sit nobilis, sive plebeius, sive valens, sive infirmus; quia aequalitas justitiae est aequalitae in ipsa re consistens, non sumenda ex statu, conditione et habitu personae debentis.

2. Per easdem conditiones facile intelligitur, quemadmodum multae virtutes aliquo pacto ad justitiam pertineant, licet a perfecta ratione justitiae aliqua ex parte deficiant. Quod perspicue docet S. Th. 2. 2. qu. 80. art. 1. « Quia, inquit, « justitia ad alterum est, omnes virtutes, quae ad alterum

« sunt, possunt ratione convenientiae justitiae annecti. Ratio « vero justitiae consistit in hoc, quod alteri reddantur, quod « ei debetur secundum aequalitatem. Dupliciter ergo aliqua « virtus ad alterum existens a ratione justitiae deficit: uno « quidem modo, inquantum deficit a ratione aequalis: alio « modo inquantum deficit a ratione debiti. Sunt enim quae- « dam virtutes, quae debitum quidem alteri reddunt, sed « non possunt reddere aequale. Et primo quidem quidquid « ab homine Deo redditur debitum est, non tamen potest « esse aequale, ut scilicet tantum homo ei reddat, quantum « debet, secundum illud Psal. *Quid retribuam Domino pro « omnibus quae retribuit mihi?* Et secundum hoc adjungitur « justitiae religio, quae, ut dicit Tullius, superioris cujusdam « naturae, quam divinam vocant, vel cultum, vel curam cae- « remoniamque affert. Secundo parentibus non potest secun- « dum aequalitatem recompensari quod eis debetur, ut pa- « tet per philosophorum in 8. Ethic. Et sic adjungitur justi- « tiae pietas, per quam, ut Tullius dicit, sanguine junctis, « patriaeque benevolis officium, et diligens cultus tribuitur. « Tertio non potest secundum aequale praemium recompen- « sari ad homine virtus, ut patet per philosophum in 4. Ethic. « et sic adjungitur justitiae observantia, per quam, ut Tul- « lius dicit, homines aliqua dignitate antecedentes quodam « cultu et honore dignamur. » Ad observantiam porro ex D. Thom. ad 3. revocatur obedientia: nam praecellentibus perso- nis debetur et reverentia honoris et obedientia.

« A ratione vero debiti justitiae (pergit S. Doctor) de- « fectus potest attendi, secundum quod est duplex debitum, sci- « licet morale, et legale. Unde et philosophus in 8. Ethic. « secundum hoc duplex justum assignat. Debitum quidem le- « gale est, ad quod reddendum aliquis lege adstringitur: et « tale debitum proprie attendit justitia, quae est principalis « virtus. Debitum autem morale est quod aliquis debet ex « honestate virtutis. Et quia debitum necessitatem importet, « ideo tale debitum habet duplicem gradum. Quoddam enim « est sic necessarium, ut sine eo honestas morum conservari « non possit: et hoc habet plus de ratione debiti. Et potest « hoc debitum attendi ex parte ipsius debentis: et sic ad hoc « debitum pertinet quod homo talem se exhibeat alteri in ver- « bis et in factis, qualis est. Et ideo adjungitur justitiae ve- « ritas, per quam, ut Tullius dicit, immutata sunt ea quae

« suae sunt, aut fuerunt, aut futura sunt. » (Hinc ex S. Doctore ad 3. fides per quam fiunt dicta, includitur in veritate, quantum ad observantiam promissorum). « Potest etiam « attendi ex parte ejus, cui debetur, prout scilicet aliquis « recompensat alicuisecundum ea quae fecit: quandoque qui« dem in bonis; et sic adjungitur justitiae gratia, in qua, « ut Tullius dicit, amicitiarum et officiorum alterius memo« ria, et alterius remunerandi voluntas continetur: quando« que autem in malis; et sic adjungitur justitiae vindicatio, « per quam, ut Tullius dicit, vis aut injuria et omnino quid« quid obscurum est, defendendo aut ulciscendo propulsatur. « Aliud vero debitum est necessarium sicut conferens ad ma« iorem honestatem, sine quo tamen honestas conservari po« test. Quod quidem debitum attendit liberalitas sive amici« tia, aut alia hujusmodi, quae Tullius praetermittit in praedicta enumeratione quia parum habent de ratione debiti ». Atque haec D. Thomae sufficiant, ut ex justitiae cum differentia tum similitudine cum aliis virtutibus, ejus notio melius percipiatur.

3. Propter easdem conditiones efficitur, ut inter patrem et filium, dominum ac servum, virum et uxorem, justum simpliciter non intercedat ex D. Th., sed solum secundum quid in his rebus, in quibus filius aliquid patris esse intelligitur, aut servus spectatur ut instrumentum domini, aut uxor velut unum corpus cum marito; tamen aliis in rebus, in quibus pater et filius, dominus et servus, vir et uxor habent se ut personae diversae, justum simpliciter inter eos locum habet. Sic pater ac herus non sunt domini famae filii et servi; et quidem inter patrem et filium justus contractus esse potest, quod attinet ad bona filii castrensia etc.

4. Denique ex propositis conditionibus velut sponte sua oritur justitiae divisio. Hoc nimirum est justitiae ut officia hominis erga alios moderetur. Duplex autem in homine officii ratio distingui potest in his rebus, aliud quippe est genus officii quod privato debetur, in quo genere justitia particularis enitet, aliud genus offici quo quis erga totam societatem et bonum ejusdem commune obstringitur; in quo elucet justitia generalis, sic dicta eo quod bonum ipsum commune spectet; quae dicitur etiam legalis, tum quia eumdem scopum habet atque leges ipsae, tum quia per eam homo consentit legi, cuius est ordinare virtutum omnium actus in bonum commune.

Justitia autem particularis vel in bonorum commutatione inter privatos versatur, diciturque justitia commutans, vel in distributione bonorum communium inter ipsos privatos, diciturque distribuens. Ex quo triplex efficitur justitiae ratio, nimirum legalis, distributiva, et commutativa, quibus deinceps agendum.

CAPUT II.

De justitia generali seu legali.

Virtus, quae generalis justitia nominatur, non ita dicitur, quasi reliquae virtutes sint ejus partes, eique velut communi generi subiiciantur; sicut generalis notio animantis omnibus animantium speciebus accommodatur, sed generalis dicitur, propterea quia spectat in bonum commune totius societatis, velut in objectum, atque in id bonum refert aliarum officia. Sic temperantiae est libidinem coercere, liberalitatis indigentiam hominis alicuius pecunia collata sublevare, verum in his officiis temperantia et liberalitas non spectant in bonum commune; sed in suo peculiari objecto et fine sistunt. Hos ergo actus temperantiae ac liberalitatis justitia generalis communis boni caussa imperat, in eumque finem praestantissimum, atque illis virtutibus extrinsecum dirigit. Quare merito a Tullio dicitur domina et regina virtutum omnium, ejusque vim mirificam Aristoteles extollit, dum eam perfectam virtutem appellat, quae una in se virtutes omnes continet, ut neque Hesperus ita, neque Lucifer sit admirabilis. Propterea etiam dicitur legalis, ut superius dictum est, quod in praecipiendis virtutum omnium officiis communis boni caussa cum legibus consentiat, Hinc facile solvi quaestio potest, quae de hac justitia instituitur, utrum habeat propriam virtutis et justitiae rattonem ab aliis distinctam.

PROPOSITIO.

Justitia generalis propriam obtinet virtutis ac justitiae rationem ab aliis distinctam.

Pr. Justitia generalis habet proprium quoddam obiectum, nimirum communis boni et utilitatis procurationem et cu-

stodiam: habet in illo munere specialem difficultatem superandam, qualem in boni publici procuratione inesse constat: habet suum actum, nimirum electionem eam voluntatis, quae reliquarum virtutum actus in bonum commune referre intendit. Atqui ubi se se offert peculiaris boni objiecti ratio, peculiaris item in ejus boni consecutione difficultas superanda, ibi specialis virtus requiritur. Ergo etc.

Quod autem propriam etiam habeat justitiae rationem probatur, quia, ut recte inquit Sylvius, *inter communitatem et particulares ejus cives invenitur verum debitum, suppositorum* (nam ea sunt diversa quorum unum refertur ad aliud, sicut refertur privatus ad communitatem): *ac etiam quaedam aequalitas, dum alter alteri praestat quod secundum leges debet. Ergo nihil hic deest ad veram et propriam rationem justitiae. Quamvis aliquod deesse videatur ad ejus perfectam rationem, hoc ipso quod omnes, qui sub communitate continentur, comparantur ad communitatem, sicut pars ad totum: pars autem id quod est, totius est; atque ita non est ibi tam perfecte comparatio ad alterum, sicut est inter duos concives, quorum alter ab altero non pendet, sed ambo respiciunt eumdem, qui possit eis facere jus. Caeterum etsi legalis justitia non habeat perfectissimam rationem justitiae, nihilominus est perfectior virtus, quam justitia particularis: et est etiam perfectior justitia, quam illa, quae invenitur inter virum et uxorem, patrem et filium, dominum et servum. Nam bonum commune quod illà respicit pro objecto longe praestantius est bono privato, quod aliae virtutes considerant.*

Obj. 1 Unaquaeque virtus inclinat ex natura sua in bonum commune, velut fortitudo inclinat hominem ad fortiter pugnandum non solum pro defensione sua, verum etiam pro salute patriae. Non ergo specialis est virtus constituenda, cujus proprium sit communi bono prospicere.

Resp. Reliquas virtutes non proxime et vi sua spectare in bonum commune, sed in id bonum quod est ipsis propositum ut peculiare objectum et finem intrinsecum; referri vero ad praestantiorem boni communis finem prout imperio subsunt superioris virtutis, scilicet justitiae legalis, quae hunc finem spectat ut proprium sibi et intimum. Sic fortitudo per se ipsam simpliciter considerata ut fortitudo non respicit salutem patriae: ad hanc tamen refertur vi justitiae legalis.

Obj. 2. Si propter rationem boni communis esset peculiaris quaedam justitia ratio constituenda, scilicet legalis; alia quoque statuenda esset ad procurandum bonum commune familiae. Atqui non vera et proprie dicta species justitiae propterea statuitur. Ergo etc.

Resp. Ad bonum commune familiae pertinere, satisque esse virtutes illas quas superius memoravimus, qua justitiae adnectuntur, licet non strictam justi rationem contineant, videlicet pietas inter patrem et filium, justitia oeconnomica quaedam inter virum et uxorem, et alia inter dominum et servum.

Obj. 3. Ad consulendum bono communi sufficit obedientia, quae facit ut leges diligentissime observentur; quod unum satis est, ut bonum commune salvum consistat et efflorescat. Perperam ergo boni communis caussa inducitur justitia legalis, ut specialis virtus.

Resp. Ad bonum commune requiri non solum ut privati sancte pareant legibus, verum etiam ut Respublica vel qui praeest Reipublicae optimas leges constituat, atque ad publicam felicitatem accommodatissimas. Quare, ut ait S. Thomas, in principe velut publicae felicitatis architecto elucet maxime justitia legalis, in privatis vero ut administris, in utrisque tamen ejusdem est rationis; quia sive in principe, sive in subditis spectat in bonum commune, atque adeo in idem objectum. Ceterum in subditis differt etiam ab obedientia, eo quod obedientia in aliquo fungendo munere non aliud intuetur quam rationem praecepti; justitia vero legalis intuetur in eodem munere praestando communis boni procurationem et custodiam.

Hinc patet non sine scelere graviter violari posse justitiam legalem; siquidem praeceptum naturale est ne violetur bonum commune. Quod autem violatio justitiae legalis per se non inferat obligationem restituendi, nil officit hactenus dictis, ut ex inferius dicendis patebit. Ceterum ut quis regulariter loquendo satisfaciat obligationi justitiae legalis, satis est ut legibus pareat, etiamsi non cogitet de ipsa boni communis ratione; siquidem cum id praestat quod justitia legalis intendit et praecipit, siquidem bonum commune legibus observandis maxime promovetur. Et sane qui de uno tantum praecepto cogitat, cum obligationi satisfacit quae duplici praecepto una eademque imponitur, utrique sane praecepto satisfacit.

CAPUT III.

De Justitia particulari, ejusque partitione in distributricem, et commutatricem.

Praeter legalem justitiam, (inquit S. Th. 2. 2. qu. 58. ar. 7.) *oportet esse aliquam particularem justitiam, quae ordinet hominem circa ea, quae sunt ad alteram singularem personam.* Propterеaque dicitur illa particularis, qui directe spectat in bonum non commune totius civitatis, sed privatum singulorum.

Porro in hac procuratione et custodia boni pertinentis ad privatos in societate degentes duplex ordo attendi potest, unus quo privatus confertur cum privato velut pars cum parte; alter quo ipsa communitas vel qui praeest communitati refertur ad singulos, quasi totum ad partem. Ex hoc duplici ordine duplex enascitur species justitiae, videlicet justitia quae dicitur commutatrix, *quae videlicet consistit in his, quae mutuo sunt inter duas personas ad invicem:* et justitia distributrix, cujus est communia (sive commoda sive onera) distribuere secundum proportionem. Ita D. Th. qu. 61. art. 1. Atque ex hac notione justitiae cum distribuentis, tum commutantis facile ducuntur velut consectaria, earumdem proprietates ac differentiae.

1. Intelligitur non eodem modo accipi medium in utraque justitia: nam cum justitia distributrix id habeat proprium, ut quae sunt communia inter plures dividat pro singulorum merito ac dignitate ad obtinendum; hinc fit, quemadmodum docet S. Th. 2. 2. qu. 61. art. 2., ut in justitia distributiva non accipiatur medium secundum aequalitatem rei ad rem, sed secundum aequalem proportionem rerum ad personas. Velut si sex nummi distribuendi sunt inter duos, quorum unus merito ac dignitate duplo praestet alteri, velut si ille sex vicibus pro patria pugnavit, iste tribus tantum vicibus; per justitiam distribuentem, sic erunt nummi dividendi, ut quatour tribuantur ei qui sex vicibus pugnavit; duo vero ei qui ter decertavit: tumque habebitur aequalitas proportionis, quia ut quatuor se habent ad sex, ita duo ad tria: unde distributio fit pro ratione meriti. Quod idem valet, ubi ad meritum ac dignitatem confert status, conditio, ac praestantia

personae. Ex quo intelligitur, quemadmodum in justitia distributrice locum sibi vindicet proportio geometrica, non arithmetica; quia videlicet in ea servatur aequalitas rationis, non aequalitas excessus, ut patet in exemplo allato, ubi si conferas sex pugnas cum quatuor nummis, et tres pugnas cum duobus nummis, apparebit in prima comparatione numerum pugnarum duabus unitatibus excedere numerum nummorum; in altera vero comparatione numerum pugnarum una tantum unitate excedere numerum nummorum. Unde non servatur utrobique aequalitas excessus, sed servatur aequalitas rationis seu proportionis.

In commutationibus vero (ut perspicue ibidem explicat D. Th.) *redditur aliquid alicui singulari personae propter rem ejus, quae accepta est; ut maxime patet in emptione et venditione, in quibus primo invenitur ratio commutationis. Et ideo oportet adaequare rem rei, ut quanto iste plus habet, quam suum sit, de eo quod est alterius, tantumdem restituat ei, cujus est. Et sic fit aequalitas secundum arithmeticam medietatem, quae attenditur secundum parem quantitatis excessum. Sicut quinque est medium inter sex et quatuor: in unitate enim excedit, et exceditur. Si ergo a principio uterqur habeat quinque, et unus eorum accepit unum de eo quod est alterius, unus, scilicet accipiens, habebit sex, et alteri relinquentur quatuor. Erit ergo justitia, si uterque reducatur ad medium, ut accipiatur unum ab eo qui habet sex, et detur ei qui habet quatuor. Sic enim uterque habebit quinque, quod est medium.*

Ad majorem vero perspicuitatem est insuper animadvertendum in justitia distributrice conditionem ac dignitatem personarum attendi per se se, vi sua, et in omni actu ejusdem justitiae; secus non servaretur aequalitas proportionis in distributione, postulans, ut tanto plus bonorum communium distribuatur uni quam alteri, quanto dignitas ad obtinendum major est unius quam alterius: in justitia vero commutatrice talem dignitatem non attendi nisi ex accidente; prout nimirum per eam res variatur, acquiritque diversum gradum aestimationis, idque ut egregie observat S. Th. ibid. a 3. locum habet in actionibus et passionibus, nimirum in injuriis, ubi ex dignitate personae quae laeditur, injuria ipsa fit atrocior; unde major compensatio debetur ab eo qui percusserit magistratum, quam si similiter percusserit plebeium; quia

licet sit aequalis percussio, non tamen aequalis est injuria compensanda. In ipsa vero permutatione rerum justitia commutatrix semper attendit aequalitatem rei ad rem, velut pretii ad mercem, solutionis ad debitum etc., non enim qui equum emit a viro primario majus pretium solvere debet, quam si emeret a plebeio, sed utrique tantum solvere debet, quanti equus aestimatur, servata aequalitate inter pretium, et rem, nullaque habita ratione dignitatis personarum.

2. Commutationes quibus fit, ut quod est unius transeat in alterum, aliae sunt voluntariae, aliae involuntariae. Voluntariae dicuntur quae fiunt mutuo consensu velut in emtione et venditione, in mutuo, aliisque similibus contractibus. Involuntariae vero sunt, quibus aliena res aut persona invito Domino usurpatur aut violatur, velut in futuro, rapina etc. Utrumque genus commutationis merito S. Thomas eidem justitiae subjicit: quippe commutatrix justitia primas commutationes dirigit, ut in iis aequalitas servetur: inaequalitatem vero ex aliis ortam emendat, atque ad aequalitatem adducit. Quae principia quisquis bene perspexerit facile argumenta solvet quibus Grotius, et secundum eum Barbeyracius, Heineccius, aliique ex illo genere hominum non pauci antiquissimam, summaque consensione in scholis probatam justitiae divisionem in distributricem et cummutatricem convellere conati sunt.

3. Per eadem principia intelligi quoque potest restituendi obligationem ex xola violatione justitiae commutatricis exoriri, non autem ex violatione justitiae distributricis, aliarumque virtutum, quae quoquo modo adnectuntur justitiae; nisi prout istis violandis laeditur, ut quandoque fit, ipsa etiam commutatrix justitia. Etenim jus alienum quod laeditur per injustam distributionem est meritum ipsum et dignitas ad talem partem consequendam ex bonis communibus, non est autem jus strictum et perfectum in ea bona tanquam propria et sua. Patet enim eum qui dumtaxat meritum habet ad aliquid habendum, nondum tamen habere jus in ipsam rem tanquam suam, antequam ei tributa et applicata fuerit; aliudque jus esse quod quis habet quae sua jam effecta sit, aliud in rem quam solum meretur fieri suam, sed nondum sua sit effecta. Igitur ille cujus per injustam distributionem jus violatum est, non ideo privatus est aliqua re,

quae sua esset; cum itaque obligatio restituendi eo spectet, ut alteri reddatur quod suum est, patet ex sola violatione justitiae distributricis nullam exoriri obligationem restituendi. At vero per violationem justitiae commutatricis aufertur ab alio quod suum est. Igitur ut aequalitas restituatur quae per injustam ablationem violata est, tantum reddere oportet quantum est ablatum. Ergo vi justitiae commutatricis cujus est eam aequalitatem conservare, nascitur ipsa obligatio restituendi.

Atque ut ipsa melius percipiatur intima ratio cur obligatio restituendi tum solum locum habeat, alteri aufertur quod suum est, non vero cum ei negatur, quod ipsi debetur ex charitate, vel obedientia, vel alio jure, audienda, quae in hanc rem sapienter subtiliterque disserit Cardinalis de Lugo disput. 1. de Just. sect. 3. §. 52. Scilicet justitia commutatrix tamquam in objectum proprium directe spectat in bonum acqualitatis, ut scilicet quisque habeat quod suum est, nec re sua privatus maneat. Hoc autem bonum a justitia intentum eodem modo obligat post furtum v. g. quo commutatrix justitia violatur atque antea. 1. Enim obligat justitia commutatrix ne furtum committas, ne videlicet auferas alteri rem suam, atque ita inaequalitatem inducas. 2. Post furtum patratum similiter obligat justitia commutatrix, ne inaequalitas inducta perseveret, alterque maneat re sua privatus: perseveraret autem inaequalitas, maneretque alter privatus re sua, nisi ei restitueretur. Igitur haec justitia vi sui obiecti, quod est conservatio aequalitatis, ad restituendum obbligat. quia post violatam justitiam v. g. post patratum furtum manet adhuc motivum quod obligabat ad non furandum, ne scilicet daretur inaequalitas. Aliae vero virtutes ideo non obligant ad restitutionem, quia transacta occasione, qua sunt violatae, non amplius manet motivum vi cujus obligabant. Teneris v. g. ex charitate succurrere proximo gravem necessitatem patienti. Si non succurras, gravissime peccas. Non tamen postea teneris ad restitutionem. Namque vel necessitas perseverat, vel non. Si perseverat, teneris adhuc succurrere, non per modum restitutionis, sed sicut si nunc primum necessitas inciperet. Si autem cessavit necessitas, non amplius teneris, quia non amplius manet motivum, vi cujus ex charitate tenebaris ad subveniendum. Siquidem cessante necessitate gravi, non amplius charitas obligat ad succurrendum

tali homini, potius quam aliis communem necessitatem patientibus. Atque idem facile transferri potest ad obedientiam.

At forte dixeris, ubi violata est justitia distributrix, perseverare adhuc inaequalitatem inductam, ex quo proinde sequeretur distributricem justitiam non minus quam commutatricem obligare ad restituendum. Verum dispar est ratio. Nam licet maneat injusta inaequalitas participationis de bonis communibus, haec non amplius ad aequalitatem adduci potest. Quare non amplius manet motivum vi cujus justitia distributrix obligat, nec adeo nascitur obligatio restituendi. Etenim injustus distributor non potest compensare damnum ex injusta distributione cuiquam illatum, nisi vel resarciendo de bonis propriis, vel auferendo de bonis distributis ab eo qui plus accepit, et ei conferendo, qui minus habuit, licet plus mereretur. Jam vero resarciendo de bonis propriis non ponitur id quod justitia distributrix intendit; non enim intendit justitia distributrix ut aliquid alicui tribuatur de bonis propriis; hoc enim pertinet ad justitiam commutantem; sed intendit, ut ex aequalitate proportionis fiat bonorum communium distributio, porro etiamsi qui injuste distribuit, postea de bonis propriis tribuat, adhuc tamen manet ipsa bona communia inaequaliter fuisse distributa; atque adeo per compensationem de bonis propriis non tollitur nec emendatur inaequalis et injusta bonorum communium distributio quae facta est. Igitur cum per restitutionem de bonis propriis non possit restitui aequalitas, quam directe respicit justitia distributrix, ideo haec justitia vim non habet obligandi ad talem restitutionem. Si vero injustus distributor vellet auferre ab eo qui plus accepit, ut ei tribueret, qui minus habuit, licet plus mereretur, eo ipso violaretur justitia commutatrix; nam per distributionem qui accepit revera factus est Dominus rei acceptae, nisi esset error in substantia; igitur ab eo non amplius auferri potest quod ei tributum est. Nec proinde justitia distributrix ad tale genus restitutionis obligare valet. Stat itaque nullam ex violatione justitiae distributricis restituendi obligationem enasci, nisi, quod aliquando contingit, simul violetur justitia commutatrix, ut ex inferius dicendis patebit.

CAPUT IV.

De acceptione personarum, vitio scilicet justitiae distributrici opposito.

Non aliud vitium memorat D. Th. 2. 2. qu. 63. justitiae distributrici adversum praeter acceptionem personarum; quae ex ejus doctrina definiri potest respectus ad personas, quo in his quae sunt ex justitiae distributrice impartienda, non habetur ratio meriti ac dignitatis personarum ad rem propositam obtinendam, sed respicitur ad ipsam personam, seu potius ad qualitates alias et conditiones nil ad eam rem pertinentes. Brevius etiam dici posset injustitia, quia communia distribuuntur non ratione meriti ac dignitatis, sed ex favore vel odio in personas. De hac porro quaeritur utrum sit peccatum genere suo lethale, utrum locum habeat in bonorum ac munerum spiritualium distributione, utrum et quemadmodum ad restitutionem obliget.

PROPOSITIO I.

Acceptio personarum vitium est genere suo lethale, naturali ac positivo Divino juri maxime adversum.

Prob. Nam 1. Respectus iste personarum justitiae distributrici prorsus repugnat. Nam justitiae distributricis aequalitas in eo sita est, ut quae sunt communitas sic distribuantur inter privatos, ut servetur proportio inter bona distributa, et eorum meritum ac dignitatem, quibus tribuntur; adeo ut ratio distributionis congruat cum ratione meriti. Atqui hanc aequalitatem tollit acceptio personarum. Siquidem facit acceptio personarum, ut quae faciunt ad meritum ac dignitatem talis rei obtinendae. Acceptio igitur personarum justitiae distributrici repugnat, estque adeo vera et proprie dicta injustitia. Injustitiam autem legi naturali adversari, et peccatum esse genere suo mortale, utpote quo violatur bonum proximi, atque adeo charitas labefactatur, rem esse prorsus manifestam docet S. Th. qu. 59. art. 4. 2. Injustus iste personarum respectus pervertit ordinem societatis humanae; quippe per eum efficitur ut publicis muneribus illi praeficiantur,

per quos minus apte communibus utilitatibus consulitur, ipsaque interdum salus Reipublicae in discrimen adducitur. Maxime vero hoc dominante vitio avocantur homines ab optimis studiis et institutis, quibus vident per gratiam prorsum alienam aditum ad publica commoda praecludi. Quo patet id genus injustitiae eo esse nocentius, quo ampliori bono adversatur. 3. Sacrae Literae talem injustitiam frequentissime condemnat. Levit. 19. *Non consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis.* Deuteron. 1 *Nulla erit distantia personarum: ita parvum audietis ut magnum: nec accipietis cujusquam personam.* Jacob. 2. *Nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri ect.* Igitur et naturali et positivo jure manifeste damnatur acceptio personarum.

Hoc autem peccatum licet genere suo lethale, interdum tamen ex parvitate materiae veniale fieri potest, si nimirum aut parvi admodum est momenti res quae distribuitur, aut exigua prorsus meritorum differentia. Velut etiam justitiae commutatricis violatio, licet peccatum sit genere suo mortale, tamen furtum ex. gr. interdum ex levitate materiae nonnisi veniale est.

Obj. Nullum vitium cadit in Deum: atqui acceptio personarum cadit in Deum, quandoquidem pro solo suae voluntatis proposito, et hominibus in eadem prorsus conditione positis uni tribuit gratiam et gloriam, alteri non tribuit. Ergo etc.

Resp. Acceptionem personarum nullum locum habere in his quae gratuita prorsus liberalitate donantur, sed solum in his quae ex justitia distributrice debentur. Porro gratia non debetur, sed est omnino gratuita, alioquin non amplius est gratia. Quod ergo Deus uni tribuat poenitentiam, perseverantiam, alteri non tribuat, illud quidem facit ex benignitate sua et misericordia, istud vero occultissimo quodam suae sapentiae ac justitiae consilio, S. Th. in c. 2 ad Rom. Caeterum acceptionem personarum longe a Deo abesse testatur D. Petrus act. 10. *In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente, qui timet eum, et operatur justitiam, acceptus est illi.* Quo significat Deum futurum acceptorem personarum, si qui timet ipsum, et operatur justitiam, non ei esset acceptus, ob eam solam caussam quod non esset ex gente Judaica. Etiam Apostolus Paullus ad Rom. 2. omnem a Deo removet acceptionem personarum, *Qui reddet unicuique secundum opera ejus.*

PROPOSITIO II.

Vitiosa personarum acceptio in spiritualium bonorum dispensatione peccatum est, et quidem tanto gravius, quanto spiritualia praestant temporalibus.

Spiritualium porro nomine significantur, potestas Ecclesiastica cum ordinis, tum jurisdictionis, sive interni fori, sive externi, item beneficia, officia, et Dignitates Ecclesiasticae, Sacramenta, praedicatio verbi Dei etc.

Propositio probatur et explicatur a D. Thoma 2. 2. q. 63. art. 2. Acceptio personarum hoc nomine peccatum est, quod justitiae adversatur. Quanto porro quisque in graviore caussa justitiam laedit, tanto gravius peccat. Atqui spiritualia sunt potiora temporalibus. Igitur gravius peccat qui ex injusto personarum respectu spiritualia, quam qui temporalia dispensat.

Verum illud probe est animadvertendum, cum vitiosa ex eo afficiatur personarum acceptio, quod aliquid personae tribuetur praeter proportionem dignitati ipsius, duplici ex capite talem esse dignitatem attendendam. Uno modo simpliciter et per se, et hoc pacto dignior est, qui spiritualium gratiae donorum est abundantior; altero modo ex comparatione ad bonum commune. Atque hoc pacto contingit quandoque, ut qui minore est sanctitate vel scientiae instructus, plus tamen queat proficere ad bonum commune propter potentiam, vel industriam secularem, vel aliam ejusmodi dotem. Cumque spiritualium dispensatio potissimum ad utilitatem communem referatur; hinc fit ut qui ad hanc utilitatem procurandam magis idonei sunt atque ex eo capite digniores, merito et sine acceptione personarum aliis praeferantur, licet isti spiritualibus interioris gratiae donis magis abundent.

Obj. Viris divitibus atque nobilibus facilius conceduntur dispensationes, ut valeant in gradu prohibito contrahere. Atqui tamen praeferre divitem inopi videtur ad acceptionem personarum pertinere etc.

Resp. Cum D. Thoma matrimonii contrahendi dispensationem praecipue spectare ad pacem et amicitiam inter familias conciliandam; quod quidem ubi agitur de optimatibus ad publicam utilitatem prodesse plurimum potest. Quare dispensandi

ratio non ex divitis ipsis vel amplitudine sumitur, sed ex caussa cum utilitate publica coniuncta. Potestque adeo absque vitio acceptionis personarum facilius illis tribui dispensatio.

PROPOSITIO III.

Acceptio personaruu, qua quis libere promovet ad beneficium, cui animarum cura, vel spiritualis gubernatio adnexa est, minus dignum praetermisso digniore, peccatum ex genere suo lethale est.

Pr. Conc. Trid. Ses. 24. Cap. 1. alloquens omnes et singulos qui quacunque ratione jus habent vel operam suam praestant ad promotionem praeficendorum cathedralibus et superioribus ecclesiis, eos *hortatur et monet, ut in primis meminerint, nihil se ad Dei gloriam et populorum salutem utilius posse facere, quam si bonos Pastores et Ecclesiae gubernandae idoneos promoveri studeant: eosque alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, nisi quos digniores et Ecclesiae magis utiles ipsi judicaverint, non quidem praecibus vel humano affectu, aut ambientium suggestionibus, sed eorum ex ingentibus meritis praefici diligenter curaverint.* Et Cap. 18. quod attinet ad parochialem Ecclesia jubet, ut posteaquam peracto examine renunciati fuerint quotcunque idonei judicati fuerint aetate, moribus, prudentia, et aliis rebus ad vacantem Ecclesiam gubernandam opportunis; *Ex his episcopus eum eligat, quem ceteris magis idoneum judicaverit; atque illi et non alteri collatio ecclesiae ab eo fiat, ad quem spectabit eam conferre.*

2. Can. *Licet* Caus. 8. q. 1. ex Hieronymo seu potius ex origene, memorato vetere instituto de ordinando sacerdote in praesentia populi, haec affertur caussa: *Ut sciant omnes et certi sint, quia qui praestiantior est ex omni populo, qui doctior, qui sanctior, qui in omni virtute eminentior, ille eligitur ad sacerdotium.* 3. Innocentius III. Cap. *Ut nostrum* de ecclesiast. benef. reprehendit in Mediolanensi Archipiscopo carnalitatem animi, inquiens, *quia non ex affectu carnali, sed discreto judicio debuisti Ecclesiasticum officium et beneficium in persona magis idonea dispensare.* 4. D. Aug. Epist. 167. alias 29. ad Hieron. Cap. V. n. 18. *Nec sane, quantum arbitror, putandum est leve esse peccatum in personarum acce-*

ptione habere fidem Domini nostri Jesu Christi, si illam distantiam sedendi ac standi ad honores ecclesiasticos referamus. Quis enim ferat eligi divitem ad sedem honoris ecclesiae, contemto paupere instructiore atque sanctiore? 5. Ab Innocentio XI. damata est haec propositio n. 57. *Cum dixit Concilium Tridentinum eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui, nisi quos digniores et Ecclesiae magis utiles ipsi judicaverint, ad Ecclesias promovent, Concilium vel primo videtur per hoc, digniores, non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo pro positivo; vel secundo, locutione minus propria ponit digniores, ut excludat indignos, non vero dignos; vel tandem loquitur tertio, quando fit concursus.*

Patet autem quod generatim constitum est superiore propositione, valere perinde quocumque modo quisque promoveat minus dignum, sive per electionem, sive per praesentationem, sive per collationem, institutionem aut confirmationem. Quippe hos omnes promotionis modos comprehendit concilium Tridentinum capite laudato, ubi omnes et singulos qui ad promotionem praeficiendorum operam suam praestant admonet eos peccare mortaliter, nisi digniores praefici diligenter curavernit.

Idem quoque valere putandum est de his qui beneficia resignant. Etenim hi quoque suam praebent operam, ut alter ad beneficium promoveatur, qui proinde si resignant minus digno praetermisso digniore, mortaliter peccare censendi sunt; ut contra nonnullas minus recte sentientes longe probabilius sentiunt Sotus et Navarrus, quorum sententiam Sylvius amplectitur, oppositasque ratiunculas diluit. Tum haec etiam addit: » Et his similibusve caussis etiam improbandas arbi-
» tramur permutationes seu renunciationes illas, quibus ali-
» qui senes alioquin exemplares et eruditi magna et pinguia
» beneficia resignant in favorem nepotum et amicorum exi-
» guae eruditionis ac virtutis, hoc spectantes, tum ut eis
» ante mortem provideant, tum ne istiusmodi benficia extra
» suam familiam aut amicos conferantur. »

Dictum est autem in propositione tales peccare mortaliter dum libere promovent, quia nimirum interdum contingit, ut qui promovetur ex certo genere personarum assumi debeat, idque propter aliquam justam caussam: tum porro qui promovet tenetur quidem in eo genere personarum digniorem

promovere, sed non alios, quos extra eum ordinem adhuc digniores esse judicat. Ratio est quia cum justa de caussa electio ad certum ordinem personarum jure coerceatur, non ei liberum est praeter jus extra eum ordinem quemquam eligere, licet dignior judicetur, quam ii sunt, qui eo ordine continentur. Equidem si ex iis aliquis saltem est dignus.

Itaque 1. Id locum habet ubi jure legitimo sive statuto sive consuetudine receptum est, ut promovendus assumatur de gremio ecclesiae. Quippe tale jus ob eam caussam inductum est, quod ii et melius percallere censeantur, quae pertinent ad ejus ecclesiae utilitatem, et propensiorem in eam affectum gerere: quae duo magnopere faciunt ad optimae administrationis rationem.

2. Ubi beneficium ex voluntate fundatoris, sive ex sua institutione per ecclesiam legitime confirmata et approbata conferendum est iis, qui sunt ex certa familia. Quippe tales institutiones ratas habet ecclesia, hac de caussa ut facilius fideles inducantur ad fundanda beneficia, quae facultatem praebeant per plures administros melius et facilius consulendi utilitatibus ecclesiae, quibusque homines ex ea familia juventur atque accendantur ad studia ecclesiastica alacrius persequenda. Tum ergo elector inter consanguineos dignissimum eligere debet, et si unus tantum sit superstes in quem electio cadere possit, eligendus est, modo ne sit indignus.

3. Si non est liberum collatori vel institutori conferre alteri, vel alium instituere, quam qui sibi praesentatur a patrono, modo sit dignus qui praesentatur, secus vix consistere posset jus ipsum patroni, si liberum esset collatori dignum praesentatum rejicere, quia ipse alium digniorem judicat. Caeterum nisi patronus praesentet eum quem ipse digniorem agnoscit, quando hoc ei liberum est, ipsum esse in culpa satis patet ex dictis.

Quamvis autem quisque operam praestat ad promotionem praeficiendorum ecclesiis, teneatur ei operam praestare quem digniorem judicat, tamen ut electio sit valida, nec in foro externo oppugnari possit, sufficit si dignus eligatur. Ita D. Th. hac quaest. 63. art. 2. ad 3. *Dicendum quod quantum ad hoc, quod electio impugnari non possit in foro judiciali, sufficit eligere bonum; nec oportet eligere meliorem: quia sic omnis electio posset habere calumniam. Sed quantum ad conscientiam eligentis necesse est eligere meliorem, vel simpliciter, vel in com-*

parationem ad bonum commune. Quia si potest haberi aliquis magis idoneus erga aliquam dignitatem, et alius praeferatur, oportet quod hoc sit propter aliquam caussam. Quae quidem si pertineat ad negotium, quantum ad hoc erit ille qui eligitur magis idoneus: si vero non pertineat ad negotium id quod consideratur in caussa, erit manifeste acceptio personae. Et quodlib. 8. art. 6. ad ult. docet decretalem, quae habet sufficere eligere dignum, non loqui quantum ad forum conscientiae, sed quantum ad forum contentiosum, in quo non reprobatur electio ex hoc, quod potest aliquis alius magis idoneus inveniri, dummodo ille qui eligitur idoneus sit. Manifestum est porro eadem ratione accipiendum esse quod habet concilium trid. ses. 7. cap. 3. decernens inferiora beneficia ecclesiastica, praesertim curam animarum habentia personis dignis et habilibus conferenda esse. Quippe ex eo quod concilium non memoret digniores, perperam quisque inferret ex concilio nullam esse conscientiae obligationem dignioris eligendi, additur siquidem eodem capite: *Aliter autem facta collatio, sive provisio omnino irritetur.* Ex quo satis innuitur ratam quidem haberi a concilio collationem factam digno, non autem concludi potest non eum peccare qui digno beneficium confert, eo libere praetermisso, quem digniorem judicat.

Neque vero quod hic dicimus de rata electione illius qui tantummodo sit dignus praetermisso digniore, repugnat constitutioni S. Pii V. quae incipit. *In conferendis beneficiis* data an. 1567 qua nimirum haec statuit: *Ut autem non solum dignis, sed magis idoneis repertis juxta ejusdem concilii* (videlicet Tridentini) *decretum parochiales ecclesiae conferantur, volumus et eadem auctoritate decernimus, quod si episcopus minus habilem posthabitis magis idoneis elegerit, possint ii qui rejecti fuerint a mala electione hujusmodi ad metropolitanum, vel si ipse eligens metropolitanus aut exemtus fuerit, ad viciniorem ordinarium etc. appellare, ac praeelectum ad novum examen coram ipso appellationis iudice et ejus examinatoribus provocare. Et constituto prioris eligentis irrationabili judicio, eoque revocato, parochialis magis idoneo per eumdem judicem appellationis auctoritate nostra, quatenus collatio ad episcopum, a quo appellatum fuit, spectaret, conferatur: alias eidem magis idoneo per judicem appellationis approbato conferenda remittatur ad eum, ad quem collatio, provisio, vel institutio spectabit.* Etenim primo D. Th. hoc solum docet non posse talem electio-

nem in foro judiciali impugnari, idque indistincte. Pontifex vero constituit eam impugnari posse non quidem indistincte, et per litem, sed dumtaxat a digniore rejecto, idque non per litem, sed per appellationem ad novum examen. Secundo interea pontifex non decernit electionem esse ipso facto irritam, nec eam permittit impugnari, quasi sit jure ipso nulla, sed tanquam quae possit irritari, si rejectus dignior deprehendatur. Unde in eadem bulla subjungit: *Haec tamen appellatio interposita non impediat aut suspendat quominus electio per ordinarium primo loco facta interim debitae demandetur executioni; et provisus ab eadem ecclesia caussa appellationis hujusmodi pendente non amoveatur.*

Sequitur jam ut pauca disseramus de obligatione restituendi ex violata justitia in conferendis beneficiis. Certe haec duo constant. 1. Eum peccare contra justitiam commutatricem, qui non praestat in alterius utilitatem quod ex officio neglecto vel violato detrimentum aliquod alteri illatum fuerit. Jamvero cum beneficia sint praecipue instituta ob utilitatem ecclesiae, qui sunt eorumdem dispensatores tenentur ex officio ea sic dispensare providendo vel eligendo, quemadmodum ecclesiae utilitati maxime est opportunum; ut ex D. Th. hoc art. et qu. 185. art. 3. manifeste colligitur. Qui autem minus dignum assumit praetermisso diginore: perspicuum est eum turpiter officio suo deesse, nec quantum debet ecclesiae utilitati consulere; ut proinde reus fiat violatae justitiae. Contingit vero aliquando eum qui minus dignus quam alter comperitur, nihilominus sit iis omnibus doctibus instructus quibus rite munera omnia ad beneficium spectantia obire valeat, et hoc tantum distet a digniore, quo hic pro majori praestantia posset illa eadem munera meliore tantum modo praestare. In hoc casu qui praetermittit digniorem, licet gravissime peccet atque officio suo desit, non tamen videtur detrimentum reparandum ecclesiae inferre; quia ille quem promovet dignus est, potestque omnibus muneribus quae utilitas ecclesiae poscit satisfacere. Sed si qui promovetur non valet sufficienter illa munera praestare, nec ecclesiae inservire; tum ecclesia damnum patitur, idemque ex commutatrice justitia prorsus reparandum. Tenebitur ergo qui promovit ad restitutionem.

Dubitatur autem utrum ecclesiae facienda sit restitutio, an digniori. At ex superius dictis facile apparet ecclesiae tan-

tum, non digniori esse faciendam. Nam qui injuste quemquam promovit reus est violatae justitiae commutatricis erga ecclesiam; erga digniorem vero reus justitiae distributricis violatae. Ergo ecclesiae restituere tenetur non digniori. 2. Beneficia debentur dignioribus non tanquam res ipsorum, nec ad ea jus habent tanquam ad rem suam, vel remunerationem proprie dictam. Nam ut ait S. Th. art. 3. laudato: *Non divina ministeria hominibus committuntur propter eorum remunerationem, quam expectare debent in futuro*: debentur ergo illis non propter ipsos sed propter utilitatem ecclesiae. 3. Oeconomicus dispensator, cui ex officio incumbit idoneos operarios justa mercede conducere, peccat quidem si rejectis magis idoneis minus aptos conducit, verum nullam illis restitutionem facere tenetur, sed suo dumtaxat domino, si forte contingit, ut res ejus aliquid propterea detrimenti ceperit. Ergo etiam dispensator beneficiorum restitutione tenetur erga ecclesiam, cujus utilitatem omni ope curare ex officio debet, non erga ipsos digniores. 4. Denique ut ait S. Th. eodem loco: *Ex parte ejus qui assumitur, non requiritur quod reputet se aliis meliorem, hoc enim esset superbum et praesumtuosum, sed sufficit, quod nihil in se inveniat, per quod illicitum ei reddatur assumere praelationis officium.* Nemo ergo valet verum jus sibi arrogare ad praelationis officium: secus vel ipsa superbia et praesumtione jam indignus efficeretur.

Ut autem tali restitutioni ecclesiae faciendae satisfacit, qui promovit curare debet, ut indignus beneficio se abdicet, eique vel per aliud beneficium, cui non sit adnexa cura animarum, vel alio modo providere. 2. Si haec abdicatio nequit obtineri, praeficiendi sunt viri pietate et doctrina praestantes ad populum docendum atque instituendum, vel etiam idoneus sacerdos eligendus, qui medeatur malis per indignum pastorem illatis, toto tempore quo ille administrationi praeerit. Quam in rem sumtus praestare debent qui restitutionis onere tenentur.

Qui porro vi aut dolo quemquam injuste impediunt a consecutione alicujus beneficii, tenentur quidem erga eum restitutionis onere, ut docet S. Th. qu. 62. art. 2. ad 4. Verum cum hoc genus injustitiae non ad personarum acceptionem pertineat, de hac restitutione copiosius hoc loco disserere supersedemus.

Demum quod attinet ad beneficia vel officia ecclesiastica,

quae nullam habent animarum curam adnexam, nec spiritalem gubernationem, multi gravesque theologi censent non esse mortale peccatum ad ea praetermisso digniore dignum promovere: non tamen id omni culpa vacare, quandoquidem in eo se prodit personarum acceptio distributrici justitiae repugnans; lethalem autem esse culpam negant, quia nulla per eam gravis injuria infertur nec ecclesiae, cui per dignum satis opportune pro talibus beneficiis consulitur, nec ipsi digniori, cui talia beneficia non sunt stricto jure debita.

CAPUT V,

De justitia vindicante.

Ad justitiam refertur vindicatio, cujus est in puniendo atque ulciscendo servare modum. Haec spectari potest vel in privatis, vel in magistratum. In privatis tum demum licita est vindicatio, si absque ullo in personam odio, eo tantum spectet ut injuria propulsetur, damnum illatum resarciatur, et injustus aggressor poenis datis ab injuria inferenda deterreatur. Atque hoc pacto eam esse virtutem justitiae adjunctam docet S. Th. 2. 2. qu. 80. art. unico ad 1. *Vindicta quam quis facit motu proprio, non tamen contra legem, vel quam quis a judice requirit, pertinet ad virtutem justitiae adjunctam.*

Prout vero vindicatio potestate publica exercetur, dubitatur ad quam justitiae speciem sit illa referenda, ad legalemne scilicet, an ad commutatricem, vel distributricem. Nil porro nobis vetare videtur, quominus pro diversa ratione qua spectari potest vindicatio, in ea se prodat non legalis tantum munus justitiae, verum etiam et commutatricis, et distributricis. Nam prout magistratus ulciscendis malefactis injuriam arcet a republica, ejusque paci ac tranquillitati consulit, munus exercet legalis justitiae: prout vero id praestat ex officio, et velut ex contractu cum republica inito, dum haec ipsi magistratui personam imposuit, proutque per poenam malefactoris compensantur, quoad fieri potest, injuria alteri illata, certe Magistratus ex justitia commutatrice agere intelligitur, ut etiam docet S. Th. laudato loco: *Vindicta, quae fit auctoritate publicae potestatis, pertinet ad justiam commutativam.* Denique prout ex aequalitate quadam proportionis poenae

sic inflingitur, ut atrociori malefacto gravior etiam poena respondeat, in eo sane videtur species elucere justitiae distributricis, et etiam Sotus existimavit. Tandem in ipso malefactore, cum mutata iniqua voluntate. aequo et libenti animo poenam perfert a Magistratu sibi inflictam, haec voluntaria poenae susceptio est actus justitiae commutatricis, quatenus per ipsam poenam quam pendit compensat injuriam a se illatam.

Huc revocari potest celebris quaestio, utrum in poenis et compensationibus justum idem sit, atque reciproca illa perpessio, quae talionis nomine donatur; adeo ut qui ovem abstulit, hoc solo justum facit, quod ovem restituat, et si quis cui oculum eruerit, justum fiat, si ei oculus vicissim eruatur. Quae talionis lex memorari videatur Matth. 5. *Audistis, quia dictum est: oculum pro oculo, dentem pro dente.*

PROPOSITIO.

In actionibus injuriosis et commutationibus involuntariis justum non potest generatim constitui in ipsa passione reciproca secundum suam speciem considerata.

Pr. In actionibus injuriosis gravitas injuriae non ex ipsa tantum actione secundum sui speciem spectata sumitur, puta ex colapho inflicto, verum etiam ex dignitate personae, quae per injuriosam actionem violatur. Ergo ut in satisfactione et poena quae debetur pro injuria, non solum est attendenda species actionis injuriose tantum, ut aequalitas servetur inter injuriam et reciprocam perpessionem, sed etiam attendendum quin congruat dignitati personae. Sic si plebeius colaphum impingit Optimati, non servabitur justa proportio injuriam inter et satisfactionem et poenam, si vicissim ei plebeio colaphus dicatur. Similiter in commutationibus involontariis si quis quidquam furto abstulit juste damnari potes non solum ad restituendum ablatum, verum etiam ad aliam poenam pro injuria Deo ac Reipubl. illata. Sic Exodi 22.: *Si quis furatus fuerit bovem, aut ovem, et occiderit vel vendiderit: quinque boves pro uno bove restituet, et quatuor oves pro una ove.*

Obj. Lex ipsa talionis a Deo sacita legitur Exod. 21. et Levit. 24. *Qui percusserit et occiderit hominem, morte moria-*

tur. *Qui percusserit animal reddet vicarium, idest animam pro anima. Qui irrogaverit maculam cuilibet civium suorum: sicut fecit, sic fiet ei: fracturam pro fractura, oculum pro oculo, dentem pro dente restituet etc.* Ergo non alia justi regula, quam ut idem lege talionis rependatur.

R. Non fuisse a Deo universe sancitam legem talionis, sed solum ubi res ageretur inter personas ex aequo privatas, nec pro omnibus criminibus, sed pro plagis illatis, pro mutilatione, pro poena infligenda, ei qui per falsum testimonium falso crimine alterum onerasset. Hinc ipso cap. 21. Exodi qui eruebat oculum servi sui aut ancillae, non jubetur dare oculum pro oculo, sed eos liberos dimittere. Qui vero Patri suo aut Matri maledixisset morti addicebatur, non autem ad aequale maledictum perferendum Levit. 20. Et quidem pulcre animadvertit Aug. lib. 19. contra Faustum cap. 25. eam legem fuisse illi populo attemperatam, qui nullum in ulciscenda injuria ponebat modum: *Praeceptum istud non fomes, sed times furoris est, ad reprimendas flammas odiorum saevientiumque immoderatos animos refraenandos.* Cautum ergo erat ea lege ne illis delictis plus poenarum Judaei reposcerent, quam talio concederet. Hanc porro poenam judex infligebat, non privatus.

PARS II.

De aequalitate rei per commutatricem justitiam conservandam.

Ex jure proprie dicto, quod quis habet ad aliquid, petenda est ac velut metienda aequalitas rei, cujus conservationem propositam habet justitia commutatrix, ut nimirum tantum alteri tribuatur quantum jus ipsius reposcit. Cavet proinde illa justitia ne in contrahendis negotiis aequalitas ea violetur; et siquidem violata fuerit, jubet ut restituatur. Quare ad justitiae commutatricis vim explicandam haec tria potissimum pertinent, ut primum disputetur de jure quod est ejusdem veluti fundamentum, mox de contractibus, postremo de restitutione.

DISPUTATIO I.

De praecipuis speciebus juris ad rerum commutationes pertinentis.

Jus illud quod quisque habet quoad res suas merito statuitur velut fundamentum justitiae; siquidem ex eo tanquam mensura pendet justum illud, quod est ejus virtutis objectum, quodque in rerum commutationibus servandum praecipit. Jus illud porro duplex distinguitur, unum in re, aliud in rem. Prius est quo quis habet rem sibi devinctam et obligatam, potesque adeo illam sibi vindicare. Unde intelligitur jus in re tribuere actionem in rem ipsam. Tale est jus hominis quod rem emtam et traditam a venditore, quam nimirum, si postea ipsi auferatur, potest sibi vindicare, habetque actionem ad rem ipsam repetendam. Jus vero in rem est quo res ita pertinet ad aliquem ut nondum eidem devincta sit: tale est jus hominis quoad rem emtam, se nondum a venditore traditam; quam si a venditore in alterius manus transeat, non potest emtor ab habente repetere; sed habet jus in venditorem ad eum obligandum, ut rem illam sibi praestet. Ex quo intelligitur jus in rem tribuere solum actionem in personam, non ad rem ipsam. Habet porro jus in re varias species, scilicet simplicem usum, habitationem, usumfructum, possessionem, dominium, variasque dominii species.

Jus porro omne titulo aliquo nititur, qui titulus proinde non est cum ipso jure confundendus, quod a Gersone perperam factum arguit Dominicus Soto l. 4. q. 1. a. 1. *Enimvero titulus est basis juris, sau radix ex qua pullulat*; sive est caussa vi cujus aliquid juris quisquam habere intelligitur: sic titulus possidendi agrum, utendi domo etc. Est donatio, haereditas, praescriptio, emptio etc. Titulus porro alius est verus, prodiens nimirum ex vera et legitima donatione, emptione etc., alius praesumptus et coloratus, qui licet reapse non adsit, omnibus tamen inspectis putatur adesse, atque adeo veri tituli speciem ac veluti colorem praefert. Velut si bona fide rem emis ab eo quem credis dominum esse, qui tamen non est, perseverante bona fide rem possides titulo praesumpto emptionis.

Nunc de memoratis juris specibus disserendum; et qui-

dem plurium theologorum morem secuti minus praecipuas initio breviter exponere aggrediemur, de dominio post aliquanto copiosius dicturi.

CAPUT I.

De usu, usufructu, et habitatione.

Merito a jurisconsultis ususfructus, usus, et habitatio ad servitutum genus revocantur. Definitur enim servitus; jus quo res aliena personae vel rei nostrae utilitatem praestat. Hinc dividitur in personalem, qua res personae; et realem qua res rei servit velut praedium praedio. Ad servitutem personalem refertur ususfructus, usus, et habitatio. De servitute reali alibi recurret sermo.

Usus definitur jus alienis rebus utendi, salva earum substantia. 1. Dicitur *jus*, quo excluditur simplex usus facti, quo quis aliena re utitur sine ullo jure ad ea utendum: velut si quis alieno equo utatur ad iter conficiendum, nullum autem jus habeat, quo illo uti possit. 2. Dicitur *jus utendi*, quo usus distinguitur a jure quod habet creditor in pignore, et depositarius in depositum: non enim creditori et depositario concessum est uti pignore vel deposito. 3. *Jus utendi alienis rebus* quo distinguitur a jure usus quem quisque habet in rem suam. 4. Additur *salva earum substantia*; ex quo intelligitur id juris proprie in iis rebus locum habere, quae ipso usu non consumuntur, veluti est praedium, non autem in pecunia, esculentis et poculentis; quibus rebus cum substantia usu absumatur, non potest verum jus iisdem utendi ab earum proprietate dirimi, ut postea dicetur.

Ususfructus definitur jus alienis rebus utendi, fruendi salva earum substantia. Ex quo intelligitur usumfructum cum mero usu in reliquis convenire, in hoc uno differre quod praeter usum etiam fruitionem superaddat. Uti autem et frui sic differunt, ut usus necessitate circumscribatur: fruitio ad aliam quamcumque utilitatem pertineat. Itaque jus utendi non aliam praebet facultatem, nisi rem fructuariam adhibendi ad eam necessitatem vel utilitatem, ad quam ipsa est primo comparata. Jus fruendi praebet facultatem etiam fructus ex ea re prodeuntes donandi, vendendi, et quomodocumque alienandi. Sic ille qui habet merum usum horti v. g. potest in eo deam-

bulare, poma, olera et reliquas fruges ad suum suorumque victum accipere; non eos fructus arbitratu suo absumere, et quomodocumque alienare, sicut qui usumfructum horti habet.

In rebus porro quae usu absumuntur, etsi ususfructus, non secus atque usus constitui proprie non possit, constituitur tamen quasi usufructus lib. 2. Inst. tit. 4. sicut si maritus uxori testamento legavit usumfructum omnium suorum bonorum, vel rerum usu absumtibilium, hae facta aestimatione uxori tradi debent: sic tamen ut post mortem uxoris finito scilicet ususfructus tempore, earum aestimatio haeredibus mariti reddi etiam debeat.

Ex allata porro ususfructus definitione facile haec intelliguntur. 1. Posse usufructuarium fructus quoslibet percipere cum naturales, tum civiles ex re fructifera, non ea quae fundo seu rei adjacent, sed fructus rationem nullam ac speciem habent. Unde usufructuarius thesaurum non capit. Deinde posse usufructuarium rem fructiferam alteri locare, non autem jus ipsum ususfructus in alterum transferre.

2. Quia utendum, fruendum est salva rei substantia sequitur usufructuarium teneri rem sibi concessam diligenter colere, nec deteriorem reddere. Quare fructuarius non debet arbores frugiferas exscindere, nec villam diruere, nec quicquam facere in perniciem proprietarii. Debet quoque impendia, quae ad annuam fructuum perceptionem pertinent, sicuti et collectas, tributa, et onera quae pro re fructifera debentur, persolvere: nam qui utitur, fruitur alienis rebuis, ut commodum percipit, ita aequum est ut eumdem incommoda consequantur. Non tamen tenetur ad expensas majores quibus res fructifera melior efficiatur; nam quos sumtus exigunt fructus eos praestare debet usufructuarius; qui fiunt ratione ipsius rei in proprietarium recidere debent. Ea propter usufructuarius mox initio satisdare, seu cavere debet per pignora, aut fidejussores usurum se ac fruiturum, sicut diligens paterfamilias in re propria faceret, et finito usufructu restituturum quod extabit.

Ususfructus constituitur vel sola lege, qualis est ususfructus patris in bonis adventitiis filii: vel hominum facto idque 1. Per testamentum. 2. Per contractum. 3. Per judicem, dum in judiciis divisoriis alteri proprietas, alteri ususfructus adjudicatur. 4. Per usucapionem. Finitur vero 1. Si vel usufructuarius usumfructum domino, vel dominus rei proprietatem

usufructuario cedat. 2. Si res tota pereat, velut si domus tota incendio absumatur. 3. Si tempus est finitum. 4. Morte usufructuarii naturali aut civili. Est enim ususfructus jus personale. Verum plenior de his rebus disputatio ex jurisconsultorum fontibus est repetenda.

Habitatio si cui permissa est, sed ad nutum ipsius concedentis; merus usus aedium est; sin testamento legata, vel alia ratione secundum leges concessa, fit ususfructus; ut proinde habitatori jus competat aedes locandi, pretiumque locationis percipiendi; quo jure caret simplex usuarius, qui domum inhabitare cum familia sua tantummodo potest.

CAPUT II.

De Possessione.

Possessio generatim dicitur quaelibet rei cujuslibet detentio. Dicta est ex Paulo jurisconsulto a pedis positione; quod rerum immobilium possessio, velut agri, capiatur ingressu, atque adeo pede ponendo in ipsum agrum. Ad quam ethymologiam Tullius respicere videtur Philip. 3. *Hodierno die primum, patres conscripti, longo intervallo in possessionem libertatis pedem ponimus.* Alii ducunt ex sedium positione, eo quod qui regionem aliquam possidet in ea sedem posuisse dicatur. Heineccius ducit a verbis possum et sedere. Quae diligentius persequi non vacat.

Prout vero possessio ad speciem jus revocatur, definitur: *Corporalis rei detentio corporis, animi jurisque adminiculo.* Dicitur 1. *Corporalis rei*, quia rerum incorporearum velut jurium non proprie possessio sed quasi possessio constituitur. Sed cum haec quasi possessio eamdem vim habeat, atque possessio, malunt aliqui demere hanc particulam *corporalis*, ut definitio jura etiam ipsa complectatur. Dicitur 2. *corporis adminiculo*, quo innuitur ad possessionem oportere, ut res sit penes possidentem, ac velut sub ejus manu constituta. Dicitur 3. *Animi adminiculo*, quo innuitur oportere ut qui possidet rem detineat animo eam habendi in suam. 4. Additur *ipsius juris adminiculo*, quo excluditur simplex possessio facti ex qua nullum jus exurgat.

Hinc 1. Intelligitur discrimen inter possessionem naturalem et civilem. Possessio naturalis hoc solo intelligitur quod

simpliciter quis rem aliquam penes se habeat ac detineat. Possessio civilis prout a naturali sejuncta est, qua quis rem; quam nec per se nec per alium corporaliter detinet, animo tamen detinet ut suam et juris adminiculo. Est autem naturalis possessio imperfecta minusque proprie dicta, quam civilis. Quae autem ex utraque coalescit, ea demum perfecta possessio est. Quod porro attinet ad peculiares ritus, qui pro diversa rerum possidendarum conditione ex legum praescripto servari debent, res est minus ad nostrum institutum pertinens.

2. Possessio alia bonae fidei, alia malae fidei esse dicitur. Illa dicitur esse bonae fidei, qua quis rem suam possidet, aut saltem quam titulo apparente inductus omnino putat esse suam. Malae fidei possessio qua quis rem detinet quam scit non esse suam: atque haec vitiosa malaeque fidei possessio minime comprehenditur definitione possessionis superius allata, quia revera talis possessio injusti facti rationem, non juris speciem ullam habet.

3. Multa recensentur effecta possessionis bonae fidei 1. Praebet jus retinendae rei possessae, tametsi forte aliena res sit, quam quis bona fide possidet. 2. Post certum tempus transfert etiam in possidentem proprietatem rei possessae. 3. Si bonae fidei possessor rem aut fructus ejus absumat vel alienet, postea vero appareat rei dominium ad alium pertinuisse, nil restituere debet, nisi quatenus locupletior sit factus. 4. Qui bona fide possidet, interea jus habet administrationis. Quare si quis est in possessione juris patronatus vel ferendi suffragii, et aliquis ab eo electus aut praesentatus fuerit, valida est praesentatio aut electio, etsi postea appareat eum revera jus illud non habuisse. 5. Si ei qui bona fide possidet, aliquod postea dubium exoriatur, re diligenter inspecta, dubioque perseverante rem ipsam retinere potest, quousque certe constet eam ad alterum pertinere. 6. In eo dubio si quis rem repetit a possidente, tenetur qui petit probare illam ad se pertinere. 7. Si petitor non affert certam probationem, sed caussa dubia maneat, in pari ejusmodi caussa pro rei possessore est pronunciandum ex communiore sententia: quippe in pari caussa melior est conditio possidentis. 8. Excipiendus tamen possessor beneficii, qui tenetur legitimum titulum suae possessionis exhibere, idque ob hanc peculiarem caussam, quod intrusus censetur qui sine legitimo titulo beneficii pos-

sessionem ceperit. Quibus ex rebus patet possessionem, licet non idem sit atque dominium, veram tamen rationem juris obtinere; quippe quae legitimam facultatem praebet rem possessam retinendi, eam administrandi, ex eademque fructus percipiendi etc.

Amittitur autem possessio 1. Alienatione rei. 2. Ejusdem derelictione. 1. Si res in possessionem alterius venerit. Quo casu primus possessor ad possessionem suam in judicio recuperandam probare tenetur alterum vel vi, vel clam seu furtive, vel precario sive sui concessione possessionem nactum esse. Caeterum quod attinet ad memoratas jurium species, ut usum, usumfructum etc., et generatim in his omnibus, quae positivo jure determinantur, ubi singulares casus occurrunt, theologus attendere debet, non solum quid communi jure praescriptum sit, sed etiam quid ferant locorum constitutiones aut legitima consuetudo. Quod hic universe animadvertendum duximus, quippe in his rebus ad instituti nostri rationem pertinere arbitramur generales notiones subjicere, non autem in singulis enucleatius persequendis immorari, quae jurisperitorum operam desiderant.

CAPUT III.

De Dominio.

Dominii definitio, ejusdemque praecipuae divisiones afferuntur.

Dominium generatim definiri potest facultas disponendi de re sibi subjecta ad omnem usum lege non prohibitum.

Duplex distinguitur unum jurisdictionis, nimirum legitima regendorum hominum potestas, de qua hoc loco non agimus: alterum proprietatis, estque jus disponendi in proprium commodum de re tanquam sua ad omnem usum lege non prohibitum. Quocirca minus accurate docere censendi sunt, qui hac dominii definitione generatim proposita, ipsum deinceps partiuntur in dominium jurisdictionis et proprietatis, cum ea definitio jurisdictioni satis apte accomodari nequeat, sed solum proprietati. Ex ea porro definitione facile est intelligere quemadmodum dominium ab aliis juribus differat usus nimi-

rum, ususfructus etc. Nam dominium est jus disponendi de re tanquam sua in omnem usum: patet autem ex dictis non posse usuarium, nec etiam usufructuarium de re fructifera tanquam sua in omnem usum, velut donando, vendendo etc. disponere. 2. Patet non tolli dominium ex eo quod ea facultas disponendi quoad certo usus lege limitetur; atque adeo pupillos, etsi lege prohibeantur de rebus satis disponere, non propterea earum dominio privari. Nam ad notionem dominii hoc ipsum pertinet, ut sit facultas disponendi in eos usus, qui lege non prohibentur. Et sane si a notione dominii legis consideratio removeretur, ea facultas disponendi non amplius ex lege, nec adeo legitima esse censeri posset; non ergo esset verum jus, sed potius mera facultas physica rebus subjectis abutendi, ut satis intelligi potest ex superius dictis.

Dominium proprietati dividitur in dominium plenum seu perfectum, et non plenum seu imperfectum. Prius est quod superiori definitioni plene respondet, nimirum legitima facultas disponendi de re ac de emolumentis quae ex ea percipiuntur. Alterum est facultas disponendi vel de re tantum, idque dicitur dominium directum, quale cernitur in feudo, Emphyteusi, bonisque adventitiis liberorum: vel facultas disponendi de fructibus tantum, idque vocatur dominium utile. Quo pacto ad hanc imminutam dominii speciem nil vetat usumfructum revocari.

De dominio tria sunt potissimum inquirenda. 1. Quod sit subjectum ac fundamentum dominii, nimirum quis dominii compos esse queat, et unde primitus in quoquam id juris exoriatur. 2. Quarum rerum haberi dominium possit. 3. Quibus modis acquiratur.

CAPUT IV.

De subjecto et fundamento dominii.

Deum habere supremum rerum omnium dominium, idemque perfectissimum, cum innumerabilibus sacrarum literarum oraculis constat, tum certissimis rationibus concluditur. Nam 1. Quod attinet ad genus illud dominii quod quisque habet in re sua, quodque dicitur dominium proprietatis, id in Deo absolutum in res omnes esse ex eo convincitur, quod res om-

nes quas mundi universitas complectitur. Dei voluntate per creationem et conservationem continuate accipiunt, quidquid sunt. Cum ergo ipsum quod sunt, sive ipsum earum esse totum a voluntate Dei pendeat, profecto sunt ejus efficaci voluntati ex omni parte obnoxiae atque subjectae, atque adeo ejus dominio perfectissime subsunt. 2. Quod attinet ad alterum genus dominii quod gubernatione et imperio continetur, ipsum quoque absolutissimum in Deo esse convincitur, quod gubernatio et imperium actus sit rationis ad finem dirigentis. Jam vero Dei sapientia ipsa est ratio summa seu lex aeterna consentaneum in rebus ordinem constituens, singulasque pro sua conditione in finem dirigens. Cum ergo gubernationis et imperii ratio a sapientiae ac legis aeternae notione divelli nequeat, sequitur ut Deo genus hoc dominii necessaria perinde atque absolutissima ratione conveniat; atque a Deo velut primo auctore in naturas rationis participes diffundatur. Quae quidem principia e D. Th. petita cum non satis intellexerint plerique inter recentiores heterodoxos publici juris consultos Puffendorfius, Barbeyracius, Burlamaquius, minus accurate de prima et necessaria imperii origine disseruerunt, ut in nostris philosophiae moralis institutionibus copiosius declaravimus.

Nunc, ut ad hominis dominatum veniamus, ad totius quaestionis explicationem haec sunt nobis praecipue constituenda. 1. Solam naturam rationis participem posse compotem esse juris ac dominii. 2. Vel ipsa naturali ratione ac lege intelligi humanae naturae dominatum in res inferiores divina concessione tributum esse. 3. Quo jure invecta sit inter homines rerum possidendarum divisio.

PROPOSITIO I.

Sola natura rationis particeps potest esse compos juris ac dominii.

Pr. Nam jus omne ac propterea etiam dominium legitima quaedam facultas est rationi ac legi consentanea. Atque adeo jure agere intelligitur quisque, cum agit ex rationis consilio et legis approbatione. Hoc quippe differt facultas moralis a facultate physica. Atqui agere ex rationis consilio et approbatione, tum etiam aliquid in aliud ex arbitrio rationis

ordinare, quod speciatim locum habet in dominio sive jure de re aliqua disponendi; id vero non potest convenire, ut patet, nisi naturae quae sit rationis particeps. Ergo sola ejusmodi natura compos esse potest dominii.

Hinc 1. Theologi docent coelestes mentes dominii esse capaces. Verum de his agere hoc loco supersedemus, cum sacris literis edoceamur Angelos rerum inferiorum non dominos sed administratorios spiritus esse constitutos.

Hinc 2. Brutae animantes natura sunt juris ac dominii prorsus expertes. Facultatibus quibus physicis instructae sunt quibus in capessendo pastu et conficiendo utuntur; sed in eo aguntur ipsa rerum objectarum specie et impressione; non autem ex consilio et arbitrio quicquam disponunt. Soli autem ratione utentes jure ac lege vivunt, ut pulchre ait Tullius lib. 2. de nat. Deorum; atque adeo participes juris esse possunt. Nulla proinde brutis animantibus injuria fieri potest, quandoquidem omnis injuria jure aliquo violando infertur.

Nec vero dictis adversatur quod infantes, amentes et furiosi dominii compotes agnoscantur, tametsi consilio et ratione minime utantur. Nam in illis non est sublata facultas ipsa rationis, sed usus dumtaxat impeditus. Potest ergo in iis etiam consistere facultas legitima seu verum jus et dominium, licet quamdiu ratione uti nequeunt, ipsius dominii usus et actus sit quoque impeditus.

PROPOSITIO II.

Divina concessione cum sacris literis, tum naturali ratione ac lege patefacta constat humano generi tributum esse dominium in res inferiores, quas homo capessere atque ad suos usus disponere valet.

Pr. 1. Genes. cap. 1. *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram, et praesit piscibus maris et volatilibus coeli, et bestiis, universaeque terrae, omnique reptili quod movetur in terra.* Et psal. 8. *Omnia subjecisti sub pedibus ejus oves et boves universas etc.*

Hinc merito theologi dominii fundamentum in ipsa rationali natura constituunt, prout haec refert imaginem et similitudinem Dei per rationem et arbitrium, vi cujus res inferiores disponere valet. Quo excluditur damnatus error Vi-

cleffi et Johannis Hus, qui dominatus titulum in gratia et charitate reponebant. Cum autem allatis testimoniis constet homini a Deo tributam esse facultatem de rebus disponendi, patet homines licite posse possidere ac dominium habere.

Pr. 2. Ratione. Nam, ut ait D. Th. 2. 2. qu. 56. art. 1. Potest homo per rationem et voluntatem uti exterioribus rebus ad suam utilitatem, quasi propter se factis: semper enim imperfectiora sunt propter perfectiora. Quamobrem cum omnia quae terra parit ac profundit, fructus, fruges, stirpes ac plantae, pecudes ipsae ac ferae animantes ita sint ad humanae vitae necessitatem, usum et commodum comparata, ut ea non fortuito nata recta ratio demonstret, ut ipsi etiam philosophi agnoverunt, sed a beneficentissimo Deo humano generi consulto donata esse, in eoque ipso divina providentia mirum in modum eluceat; cum ex alia parte Deus consilio et arbitrio, aliisque facultatibus hominem instruxerit, quibus ea omnia disponere et ad suos usus accommodare posset, sequitur ut ex naturae instituto, atque adeo ex lege naturali possit homo rebus ejusmodi exterioribus uti ad victum, vestitum, totiusque vitae cultum et commodum, habeatque adeo illarum verum ac legitimum dominium.

Sed cum ipsa terra omnibus hominibus ex aequo pateat, omnesque homines utpote natura aequales naturali lege jus aequale habeant ad ea sumenda, quae facere possunt ad vitae conservationem et usum, hinc spectato solo jure naturae homines ut singuli non aliud ante divisionem inductam dominium privatum habere potuerunt, quam in ea quae actu capessere et in suos usus conficere possent: ipsos vero agros utpote a natura nulli speciatim traditos, sed omnibus expositos non potuisse privatos fieri nisi novo jure accedente, e quo sit ipsa dominiorum ac possessionum divisio repetenda: de quo sit.

PROPOSITIO III.

Dominiorum ac possessionum distinctio jure gentium legitime inducta est.

Pr. Nam spectata hominum cupiditate, quae originis peccatum consequitur, haec possessionum distinctio tribus rationibus humani generis bono accommodatissima esse demonstra-

tur, quas recenset D. Th. 2. 2. qu. 66. ar. 2. 1. Quidem quia magis sollicitus est unusquisque ad procurandum aliquid quod sibi soli competit, quam id quod est commmune omnium vel multorum: quia unusquisque laborem fugiens alteri relinquit id quod pertinet ad commune, sicut accidit in multitudine ministrorum. 2. Alio modo quia ordinatius res humanae tractantur, si singulis immineat propria cura alicujus rei procurandae: esset autem confusio, si quilibet indistincte quaelibet procuraret. 3. Quia per hoc magis pacificus status hominum conservatur, dum unusquisque re sua contentus est. Unde videmus quod inter eos qui communiter et ex indiviso aliquid possident, frequentius jurgia oriuntur. Hactenus D. Th. Jam vero cum recta ratio suadeat ea esse amplectenda, quae ad hominum utilitatem, totiusque societatis ordinem et pacem melius conciliandam plurimum valent, patet potuisse gentes sive respublicas sive imperia ex recta ratione dominiorum distinctionem expressa vel tacita conventione inducere. Tale jus autem, quod publica utilitate suadente gentium facto seu voluntate constitutum est, dicitur jus gentium. Igitur legitime prorsus gentium jure inducta est possessionum divisio.

Consectarium primum inde eruitur, nimirum ex tali jure, prout deinceps in unaquaque republica publicis est legibus determinatum, vim habere titulos, quibus privati et acquirere dominia possunt, et ea in alios transferre. Unde Aug. relatus in canone distinct. 8. cap. *Quo jure: Unde quisquam possidet quod possidet? nonne jure humano? nam jure Divino*, Domini est terra et plenitudo ejus, *pauperes et divites Deus de uno limo fecit; pauperes et divites una terra supportat. Jure tamen humano dicitur: haec villa mea est, haec domus mea; hic servus meus est. Jura autem humana, jura imperatorum sunt. Quare? quia ipsa jura humana per imperatores et reges seculi Deus distribuit generi humano.* Et inferius. *Tolle jura imperatorum, et quis audet dicere? Mea est illa villa etc.*

Consectarium est alterum, dominia privatorum in republica obnoxia esse potestati ac legibus reipublicae, vel supreme imperantum in republica. Nam per summos imperantes, publicasque leges bona quae a Deo communiter sunt humano generi in prima ejus conditione attributa, in privatos deinceps jure gentium reipublicae legibus determinato distributa sic fuerunt, ut quae primum communis fuerant, privata effecta sint.

Consectarium tertium est, dominium privatorum in res suas, quod absolutum est prout refertur ad alios privatos, in hisque jus omne excludit in easdem res, tale non esse prout refertur ad ipsam rempublicam, cujus dominium est altioris ordinis, multo minus vero si referatur ad Deum, a quo tamquam absolutissimo domino et singuli privati, et respublicae, imperia et regna omnino dependent.

Obj. 1. Videri rerum divisionem naturali jure, non gentium constitutam. Nam illud est juris naturae, quod recta ratio dictat necessarium esse ad pacem et tranquillitatem humani generis. Atqui talis est rerum divisio. Ergo etc. Deinde si quis alteri quod suum est surripit, peccat adversus jus naturae. Ergo iste jure naturae quod suum est possidet.

R. Rerum divisionem ad pacem et tranquillitatem humani generis esse quidem valde opportunam et conducibilem, non suapte natura prorsus necessariam. Ergo non ad jus naturae, sed ad factum aliquod humanum naturali tamen aequitate suadente, atque adeo ad jus positivum gentium referri debet. Ad alterum quod dicitur jure naturae unumquemque rem suam possidere duplicem habet sensum: vel significat ipso jure naturae attributum esse cuiquam dominium alicujus rei, et hoc sensu falsum est: vel significat jus naturae vetare, ne cui auferatur id quod legitimo jure tametsi possidet, atque hoc sensu verum est unumquemque jure naturae rem suam possidere, idque satis est, ut peccare intelligatur contra jus naturae, qui alteri aufert quod suum est.

Obj. 2. Videri injuste invectam rerum divisionem. Nam 1. talis divisio repugnat juri naturali, vi cujus omnia sunt communia. 2. Ex Clemente relato in can. cap. *Dilectissimis* 12. q. 1. dicitur haec divisio per iniquitatem facta. 3. Basilius Hom. 6. divites reprehendit, quod communia sibi propria facerent occupando, et Ambrosius Serm. 81. vult ut nemo proprium dicat.

R. Ad 1. Jure naturali omnia dici communia, non quia, ut ait S. Th. 2. 2. qu. 66. art. 2. ad 2. ad 1. jus naturale dictet omnia esse possidenda communiter, et nihil esse quasi proprium possidendum: sed quia secundum jus naturale non est distinctio possessionum, sed magis secundum humanum condictum; quod pertinet ad jus positivum. Unde proprietas non est contra jus naturale, quia eam jus naturale non ve-

tat fieri; sed jure gentium addita est juri naturali, quia eam per se solum jus naturale non constituit. Ad 2. Dicitur divisio facta per iniquitatem, quia iniquitas, quae originis peccatum consecuta est, in caussa fuit cur ea utilis et consentanea bono humani generis comperiretur, atque adeo induceretur. Ad 3. Basilius arguit avaritiam divitum, qui res ita suas sibi proprias faciunt, ut nullam earum partem quamtumvis redundantem indigentium necessitati concedant. Quare proprium damnat, non quod jus proprietatis includit, sed quod benignitatem et liberalitatem in communicando excludit. Eademque est Ambrosii mens et sententia. Quod porro etiam Lucae 14. dicitur: *Omnis qui non renunciat omnibus quae possidet, non potest meus esse discipulus*, sic intelligendum est neminem esse posse verum Christi discipulum, nisi praeparato animo renunciet omnia quae possidet; quatenus paratus sit, cum opus fuerit, omnia sua dimittere, potius, quam Christi legem violare.

CAPUT V.

Quinam ratione status participes sint, expertesve Dominii.

Rerum inferiorum dominium homini communiter a Deo tributum vidimus: jure autem gentium discreta inter privatos dominia, hincque fieri ut ipsa privatorum dominia gentium sive rerumpublicarum ac regnorum legibus et institutis obnoxia sint. Propter hanc rationem intelligitur quemadmodum eveniat, ut quamquam omnes homines spectata naturae conditione participes dominii esse queant, aliqui tamen ratione status dominii sint expertes.

Status dicitur qualitas, ratione cujus homines diversis juribus utuntur. De statu hominum inscriptus est tit. V. lib. I. Diges. Hoc vero et duobus sequentibus variae divisiones personarum afferunt. Pauca delibasse juverit, quae conferant ad jurium intelligentiam, prout haec theologo in his rebus versanti ad rectam dijudicationem necessaria est. Status autem diversitas, prout eo loco consideratur, alia ex natura sumitur, alia ex humano facto, vel instituto.

1. Itaque naturalis est diversitas status, quae ex diversitate sexus oritur. Cum autem animi prudentia et robore viri ut plurimum praecellant: ideo ratione dignitatis mares me-

lioris esse conditionis censentur, feminae autem sunt melioris conditionis in his rebus, in quibus jura sexus fragilitati indulgent. Hinc jure comuni statutum mares solos capaces esse, l. 2. ff. de diversis reg. juris, munerum publicorum, officiorumque civilium, patriaeque potestatis: feminis aliquando nocere haud debere ignorantiam juris, l. *Regula* 9. ff. de jur. et sac. ignor: easdem ob quaedam delicta paullo mitius esse puniendas, l. *sacrilegii* 6. ff. de lege Julia: non teneri illas si pro aliis intercesserint.

2. Homines ratione aetatis alii majores dicuntur, alii minores. Isti porro sunt vel puberes vel impuberes. Pubertas in masculis anno 14., de feminis anno 12. finitur.

Impuberes autem vel sunt infantes, vel infantiae aut pubertati proximi. Infantes sunt minores 7. annis, quo tempore nil agere vel intelligere posse dicuntur. Reliquum tempus ad pubertatem in duas partes dividitur, in quarum prima infantiae proximi, in altera proximi pubertati ac doli capaces censentur. Verum generatim ejus partitionis tempus definiri haud potest, cum alii sint judicio promptiores, alii tardiores.

Porro impubes, qui desiit esse sud patria potestate, vel per mortem patris, vel per emancipationem, dicitur pupillus: si careat utroque parente, dicitur orphanus. Pubes autem usque ad annum 25 completum jure communi dicitur minor. Sed quoad negotia civilia et gravia delicta minor aetas regiis constitutionibus anno 20 completo finitur.

Majores alii sunt juvenes, alii senes. Senectutis autem initium ac terminum quibusdam in casibus leges definire ex eo, quod plerumque accidit, debuerunt, ut quae munerum vacatio aetati esset concedenda, vel quanto tempore esset adservanda haereditas absentis, de cujus morte non constat, statueretur.

3. Ratione ipsiusmet mentis ac morum inducitur status diversitas, quali alii sunt suae mentis compotes, alii mente capti, ut furiosi. Ad hos revocantur qui iis moribus sunt praediti, ut furiosis assimilentur. Tales sunt prodigi. Furiosus si quae gessit, nullius sunt momenti, etsi nulla declaratio judicis accesserit. A prodigo gesta sunt rata, antequam interdictio facta est.

4. Dividitur status ratione familiae, libertatis, ac civitatis. Ratione familiae ex conjugio, quod ad jus naturae per-

tinet, licet humano facto ineatur, (hic enim Sacramenti rationem praetermittimus) exoritur distinctio viri et uxoris, patris familias et filii familias; tum status consanguinitatis, et affinitatis.

5. Ratione libertatis alius est status liberorum, alius servorum, qui sunt in alterius potestate constituti.

6. Ratione civitatis aut sunt magistratus aut subditi, aut nobiles, aut plebei. Ex civili quoque conditione originem capit opulentiae status ac miseriae.

7. Quod attinet ad famam alii bonae existimationis jure gaudent, alii sunt infames. Atque hanc quidem distinctionem statuum distincta jura, tum peculiari quaedam commoda vel incommoda consequuntur, quae jurisconsulti pro suo instituto uberius explicant. Pro hac itaque diversitate statuum facile intelligitur quemadmodum consultum fuerit, ut quidam homines dominii jure orbarentur.

1. Qui poena capitali sunt damnati, sive quae vitam naturalem, sive quae caput civile tollat, privantur omni jure dominii in bona sua. Quae bona antiquo jure fisco addicebantur, postea constitutum est, ut bona damnatorum, exceptis quibusdam delictis, non fisco sed descendentibus, et ascendentibus, et ex latere usque ad tertium gradum ex quorumdam sententia applicentur: uxores dotem accipiant, etsi quid est donatum ante nuptias: si vero sine dote sint, accipiant de mariti bonis partem legibus definitam, sive filios habeant, sive non. Si neminem horum habet delinquens, fiscus admittatur.

2. Servis, qui sunt in alterius dominio positi, omne dominium in bona fortunae legibus est ademtum: » Vobis, ait imperator, dominos alloquens, acquiritur, quod servi vestri ex traditione nanciscuntur, sive quid stipulentur, sive ex donatione, vel ex legato, vel ex qualibet alia caussa acquirant.... ipse enim servus, qui in potestate alterius est, nihil suum habere potest » lib. 2. Instit. tit. 9. §. 2.

3. De uxoribus constitutum est, si quod una cum marito locrantur, dominium acquiri marito : bonorum dotalium dominium easdem sic retinere, ut tamen universae dotis ususfructus ad maritum pertineat: in his vero rebus quae habent extra dotem, quae propterea graeco vocabulo parapherna vocantur, nullam, uxore prohibente, virum communionem habere.

4. Filii familias quamdiu sunt sub patria potestate, et pro iis rebus, in quibus sunt huic potestati subditi jure dominii carent. Porro quod attinet ad filios familias quadruplex genus bonorum distinguitur. 1. Recensentur bona profectitia, quae nimirum vel e re patris proficiscuntur, vel ejus occasione et intuito filio obveniunt. Atque hoc totum pleno jure patris est. 2. Bona adventitia, quae ex alia caussa velut liberalitate matris, vel donatione non praecipue in gratiam patris filio facta, vel successione filio adveniunt. Atque horum usufructus patris est, manente tamen dominio penes filium. 3. Bona castrensia, nimirum quae filius familias occasione militiae togatae acquirit, militare stipendium, praeda ex hoste legitime capta. Atque horum dominium sive directum sive ususfructus totum filii est. Idem 4. dicendum de bonis quasi castrensibus, quae filius familias occasione militae togatae, acquirit qualia sunt quae acquiruntur ex advocatione, ex liberalium artium exercitio itemque donata a principe, etiam patris intuitu. Excluduntur denique a dominio patris proventus ecclesiastici qui jure civili recensentur inter bona quasi castrensia. ex Auth. *Presbyteros.* Utrum autem vel ipsi clerici proventuum ecclesiasticorum dominium habeant, postea investigabimus.

5. Religiosi professi, qui voto paupertatis omnem bonorum proprietatem abdicarunt, nullum retinent in bona fortunae dominium. Usum tamen aliquem habere possunt ex praelati facultate. Atque in hoc usu moderando aliqua penes diversos ordines diversitas esse potest pro diversitate regulae et instituti.

CAPUT VI.

Quarum rerum haberi dominium queat.

Tria sunt quae videntur proprias quasdam ac peculiares difficultates habere distincte ac singillatim explicandas. Scilicet quaeritur 1. Utrum sit homo vitae suae ac membrorum dominus. 2. Utrum famae. 3. Utrum unus homo proprietatis dominio possidere alium hominem possit.

PROPOSITIO I.

Homo in vitam suam et membra non habet dominium, sed solum jus utendi ex rationis ex legum praescripto.

Pr. Nam illud non est in hominis dominio quod non est in ejus potestate positum. Atqui vita non est in hominis potestate posita. 1. Enim, ut ait D. Th. 2. 2. qu. 64. a. 5. vita est quoddam donum divinitus attributum, ex Dei potestati subjectum, qui occidit et vivere facit. Et ideo qui seipsum vita privat, in Deum peccat; sicut qui alienum servum interficit peccat in Dominum cujus est servus. 2. Quia, ut idem ait, quaelibet pars id quod est totius est, quilibet autem homo pars est comunitatis, ex ita id quod est, est communitatis. Unde si seipsum interficit injuriam facit communitati. Homo enim est naturaliter natus ad societatem, quo fit, ut quemadmodum recte post Platonem ait Tullius. 1. de off. c. 7. Non nobis solum nati simus, sed ortus nostri partem sibi parentes, amici, cives patria vindicet. Quod porro dictum est hominem non habere vitae suae dominium, nec adeo posse corpori suo exitiales manus afferre, id valore quoque facile intelligitur de partibus quibus ipsa corporis integritas constat, ut proinde non possit homo pro libito se suis membris orbare, quin peccet non solum contra charitatem, qua tenetur se se diligere, sed etiam *quin fiat injuria communitati, cujus est ipse homo et omnes partes ejus*, ut habetur ex D. Th. 2. 2. qu. 65. a. 1.

Quod autem vitae ipsius et corporis usus hominis juri subjaceat, probatur ex eo quod homo consilio ex arbitrio sit a Deo praeditus, vi cujus se suasque actiones moderari et in consentaneum finem dirigere valet. Quocirca si quis hominem liberum eo usu per violentiam prohiberet, ei veram injuriam faceret.

Obj. 1. Respublica dominium habet in vitam subditorum. Nam judex juste damnat capite maleficos. Igitur etiam quilibet in propriam vitam dominio pellere potest·

R. Potestatem, quam habet respublica in vitam civium, non pertinere ad dominium proprietatis, quasi posset respublica de vita civium pro libito disponere; sed ad dominium

supremae jurisdictionis, unde manat judiciaria et vindicatrix potestas, quam nomine reipublicae, atque adeo publica auctoritate judex exercet. Vi hujus potestatis potest, imo debet judex delinquentes poenis coercere, et etiam pro criminis gravitate supplicio capitis afficere, idque ad justitiae conservationem, ad bonorum defensionem ad terrorem improborum, ad totius reipub. salutem et tranquillitatem. Porro id juris nemini competit in seipsum; quandoquidem nemo sui ipsius judex esse potest.

Obj. 2. Potest quisque vitam discrimini objicere pro amico brachium tradere amputandum pro conservatione totius corporis. Ergo quisque est vitae ac membrorum dominus.

R. Vitae usuram a Deo fuisse homini concessam, ut eam in colendis virtutem officiis insumeret. Non ergo ratione dominii, sed ratione legitimi usus, qui cuique competit in vita sua disponenda, efficitur ut possit, imo etiam quandoque quis debeat pro virtute tuenda discrimini se capitis objicere. Pariter unaquaeque pars corporis ad totius salutem ex ipso naturae instituto refertur, si ergo corruptae alicujus partis vitium perniciem toti corpori sit allaturum, nec aliter subveniri queat, potest quisque pro juri suo ad vitam conservandam, non autem ratione dominii partem depravatam resecare.

Obj. 3. Si quis cui brachium abscidit per injuriam, tenetur ei de restitutione. Ergo ille habet dominium.

R. Teneri hunc quidem ad restitutionem, non ratione dominii ablati, sed quia jus violavit, quod unusquisque habet ad totius corporis conservationem et custodiam, tum etiam ad utendum brachio. Deinde ob damna quae ex mutilatione oriuntur.

Obj. 4. Ex Apost. 1. ad Corinth. Vir habet potestatem corporis suae uxoris, ex similiter uxor potestatem corporis viri. Ergo quisque dominium habet sui corporis secus id in alterius potestatem tradere haud posset.

R. Ejusmodi potestatem longe abesse a ratione dominii, atque consistere in jure quod habent conjuges in se invicem, in his quae pertinent ad conjugium.

Fama bona, quippe de hac quaestio secundo loco proposita instituitur, definiri posse videtur communis hominum commendationis et comprobationis testificatio, quae alicui tribuitur ob spectatam ejus virtutem, probitatem, aut aliud quodvis laudabili meritum. Ex quo patet bonam famam esse rerum

bene gestarum veluti naturalem quemdam fructum: quippe naturalis ratio demonstrat ea quae sunt bene facta digna esse quae comprobentur, atque adeo mereri bonam existimationem seu famam. Hinc quisque sancte ac probe vivit, jus habet ad bonam famam, nec sine injuria potest illius bona existimatio violari. Disputatur autem ab optimae notae theologis utrum quisque famae suae dominium, sive jus de illa prout sibi libuerit disponendi habeat, aliis quidem affirmantibus, aliis negantibus. Ut quaestio solvatur, advertendum famam duplici ratione spectari posse, vel ut refertur simpliciter in illum cui ea debetur, et in ejus profectum cedit, vel ut refertur ad utilitatem quam alii ex eadem capiunt. Porro unjuscujusque bonam famam in aliorum utilitatem cedere multa demonstrant. 1. Quod ex bona singulorum existimatione praeclara totius societatis existimatio constet atque efflorescat. 2. Quia eo magis viget commendatio virtutis inter homines, quo plures bona illius existimatione fruuntur: unde vel ipsi improbi publico velut exemplo deterriti coguntur suam improbitatem compescere. Quamobrem Aug. de Bono Viduit. cap. 22 relatus in Can. *Non sunt audiendi* C. XI. q. 3. docet non impudenter solum, verum etiam crudeliter facere, qui existimationem hominum contemnunt. Siquidem occidunt animas aliorum, sive blasphemantium viam Dei, quibus admodum placet advertere crimine non vacare vitam eorum, qui sancti esse debent, sive aliorum, qui cum excusatione imitari sibi posse videntur malum illud quod in aliis putant. Unde concludit Aug. *Nobis necessaria est vita nostra, aliis fama nostra.* Hinc autem aliqua patere via videtur ad utriusque sententiae conciliationem. Sit itaque.

PROPOSITIO II.

Fama spectata simpliciter ratione illius cui debetur, videtur sub ejus dominium cadere, secus prout refertur ad aliorum utilitatem.

Probari solet prima pars his potissimum rationibus. 1. Labore suo ac virtute homo famam colligit. Et quamquam meritam existimationem ab aliis invitis extorquere non possit, tamen bene agendo praestat, ut haec sibi jure debeatur, nec nisi per injuriam denegetur. 2. Detractam famam potest quis-

que in judicio velut rem suam repetere. 3. Potest ejus restitutionem condonare, ut habetur ex D. T. 2. 2. q. 73. a. 4. 1. *In arbitrio uniuscujusque esse pati detrimentum suae famae, nisi id vergat in alterius nocumentum.* Ex his porro ultimis verbis liquido constat altera pars propositionis. Nam cura ex superius dictis pateat uniuscujusque bonam famam aliquid conferre in bonum totius societatis, videtur ipsa societas jus sibi vindicare in bonam famam privatorum, qua ipsi proinde tamquam re prorsus sua abuti nequeant, eo vel maxime quod inde plerumque imminent damna superius ex Aug. memorata.

Caeterum consentiunt omnes. 1. Peccatum esse seipsum infamare, et quidem lethale peccatum si per hanc infamiam in grave periculum sese quis conjiciat. 2. Idem sentiendum, si ex tali infamia scandalum, vel grave proximi detrimentum consequatur. 3. De occulto crimine se palam accusare, si debito fine ex circumstantiis fiat virtutis opus esse humilitatis poenitentiae, justitiae; velut etiam insignem actum esse christianae modestiae ac patientiae, contumeliam vel infamiam injuste illatam suscipere ac perferre. Notum est auter illa virtutum exempla, quae a viris sanctis edita saepe legimus, ad gloriae Dei praedicationem, ex profectum animarum plurimam vim habuisse. 4. Teneri tamen unumquemque illatam infamiam propulsare, si ex ea in communitatem vel proximos aliquid detrimenti immineat. Unde D. Gregorius cap. 9. in Ezechielem: *Hi, quorum vita in exemplo imitationis est posita, debent, si possunt detrahentium sibi verba compescere.* Aut etiam si lex charitatis postulare videatur, ut detrahentem commonendo ab errore revoces.

Tertium est propositum de dominio proprietatis utrum et quemadmodum homini in hominem convenire possit.

PROPOSITIO III.

Non repugnat Divinae legi, ut unus homo alterius hominis dominium habeat, quoad ea in quibus unus homo alteri servire et operam suam praestare potest.

Prob. Levit. 25 *Servus et ancilla sint vobis de nationibus quae in circuitu vestro sunt, et de advenis qui peregrinantur apud vos, vel qui ex his nati fuerint in terra vestra, hos*

habebitis famulos: et haereditario jure transmittetis ad posteros, ac possidebitis in aeternum. Exod. 21. *Si emeris servum hebraeum, sex annis serviet tibi.* Deinde Apost. ad Eph. 6. praecipit, quemadmodum servi obedire dominis se gerere ergo servos, quod etiam pluribus aliis locis docet, sed nusquam ipsam servitutem improbat, aut servos dimittendos praecipit.

Neque obstat quod in institutionibus legitur servitutem esse constitutionem juris gentium, qua quis dominio alieno contra naturam subjicitur. Quia servitus non ita dicitur esse contra naturam, quasi sit jure naturae prohibita, sed 2. Quia, ut ait S. Th. distinctio possessionum et servitutis non est inducta à natura. 2. Quia est contra primam veluti naturae intentionem, eo spectantis ut omnes sint boni et liberi. At vero pravitate per peccatum inducta jam multi suppetunt tituli, unde servitus jure gentium merito constitui potuerit.

Sunt autem quatuor modi sue tituli, quibus homo legitime fieri servus potest iis in locis, ubi ei constitutioni juris gentium non est ex lenitate christiana per alias leges abrogatum. Primo enim servi fiunt qui bello justo capiuntur. Nam quos victor posset juste occidere, iis nullam facit injuriam illos servando atque addicendo ad operas sibi praestandas, unde servi dicti sunt quasi servati, mancipia vero quasi manu capta. Atque hoc etiam belli justi titulo in servitutem redigi possunt infantes capti; quia licet occidi non possint, tamen qui ad alios pertinent juste multari queunt in bonis externis ac fortunae propter delicta eorum ad quos pertinent. Unde potest victor punire rempublicam hostilem victam, reddendo eam servam, atque adeo infantes qui ad eam pertinent servituti subjiciendo. Verum aequiori jure inter christianos jamdudum obtinuit, ut qui bello capiuntur non mancipia fiant, sed a victore custodiantur, quousque vel commutatione vel praetio suis restituantur. Qui proinde posteaquam capti sunt, maxime si fidem dederint, licite aufugere non possunt.

Alter est titulus justae condemnationis. Namque haud magis repugnat, ut quis in poenam libertate, quam ut vita privetur.

Tertius titulus est cautionis et venditionis. Non enim juri naturali repugnat, ut quis alteri operas suas per totam vitam obliget; quo jam servitus constituitur. Ut autem ratus sit contractus hujusmodi jure romano multae conditiones requi-

runtur, ubi vero jus Caesareum non viget, valebit contractus modo ne contra jus naturale aut civitatis ineatur. Similiter jure romano definiuntur conditiones, quibus patri conceditur ut filium vendat. Jure naturae id solum cautum videtur, ne pater vendat nisi urgente necessitate; et quidem vendendo non aliud jus transferre queat, quam quod ipse habet in filium. Unde ut ex tali venditione dominium emptori acquiratur, accedat oportet lex quaedam reipublicae, aut consuetudo, quae vim legis habeat.

Quartus titulus est nativitatis, quo servi sunt qui ex ancillis nascuntur. Legitimus fieri titulus hic intelligitur potestate reipublicae, quae justis de caussis dare potest facultatem alicui obligandi se et suos posteros ac successores ad aliquid faciendum, ut ait cardinalis de Lugo. Emptionis autem et nativitatis titulum per se justitiae non repugnare, liquido constat ex testimoniis Levitici et Exodi superius allatis.

Caeterum illud probe retinendum nunquam homini in hominem tale dominium competere posse, quale est hominis in pecudem. Non enim potest unquam homo de vita, aut membris, aut fama sui servi pro libito disponere, sed tantum de illius operis, et quidem de talibus operis, quales per unum hominem alteri homini praestari par est. Quia tamen de operis sui servi potest quisque in suum commodum, suamque justam utilitatem disponere, neque est in servi potestate se tali obligationi subtrahere, propterea merito dicitur servus esse in alterius dominio; sed sane quoad operas, non quod jura, quae naturae humanae cohaerent. Quare dominus facit injuriam servo si eum crudelius verberet, si nimio labore premat, si conveniente victu ac vestitu defraudet, si famam ejus prodat. Recteque Cicero I. de Off. cap. 13. Meminerimus autem et adversus infimos justitiam esse servandam. Est autem infima conditio et fortuna servorum, quibus, non male praecipiunt, qui ita jubent uti ut mercenariis; operam exigendam, justa praebenda.

Hinc quibus locis permittitur servorum emptio et posessio multas tamen adhibendas cautiones praecipiunt gravissimi doctores. 1. Ne quis ematur, nisi qui justo titulo fuerit servituti subjectus. Et si prudens de hac re dubium oriatur, quod facta diligenti inquisitione removeri nequeat, servus emptus manumittatur. 2. Quod attinet ad operas quibus addicuntur, eos juste tantum posse illis operis mancipari unde grave

imminet periculum vitae, qui capitalis criminis caussa servituti addicti fuerunt: a reliquis nonnisi ordinarias operas exigendas, et siquidem ad illas extraordinarias coguntur, solum compensatione utendum, quatenus post aliquod tempus libertate donentur.

Demum res corporales reliquas, quae ab homine capi, custodiri, atque in suos usus converti possunt, suapte natura in hominis quoque dominium cedere posse, extra omnem controversiam est. Verum non abs re fuerit hoc loco distinctionem rerum ex jurisconsultorum principiis breviter exposuisse. Itaque aliae sunt res divino cultui vel proxime vel remote consecratae et addictae, quae sacrae, sanctae, ac religiosae dicuntur: aliae sunt humani juris, quae iterum vel communes sunt, vel publicae, vel universitatis, vel singulorum.

Communes sunt quae quoad proprietatem nullius, quoad usum omnium hominum sunt. Ejusmodi sunt aer, mare, aqua profluens. Quae ideo nimirum in nullius proprietatem venire possunt, quia a nemine sic capi possunt, ut in ejus potestate et custodia detineantur.

Publicae sunt quae ratione proprietatis populi sunt, quoad usum singulorum ex populo, ut flumina, portus, ripae. Ex quo patet res publicas minus late patere quam communes. Nam publicae quoad proprietatem sunt alicujus populi; communes vero quae pertinent ad ipsam totam humani generis communitatem.

In unoquoque autem populo seu republica sunt minores quaedam communitates vel collegia quae universitatum nomine donantur. Unde res universitatis dicuntur, quae quoad proprietatem sunt universitatis, quoad usum, singulorum ex universitate. Nec vero hujusmodi res confundendae sunt cum bonis, quae universitas ita acquirit, ut eorum usus non pateat singulis. Talia quippe bona non res universitatis sed patrimonium universitatis vocantur.

Singulorum denique res dicuntur, quae sunt in privatorum patrimonio. Atque ista quidem bona obnoxia esse intelliguntur dominio ut jam acquisito, nunc de illis agendum quae sunt obnoxia dominio ut acquirendo; ut scilicet intelligatur, quemadmodum eorum legitime dominium acquiri valeat.

CAPUT VII.

De modis acquirendi dominii.

Acquirendi dominii modos generatim complectitur Tullius 1. de off. cap. 7. *Sunt*, inquit, *privata nulla natura*, *sed aut veteri occupatione*, *ut qui quondam in vacua venerunt*, *aut victoria*, *ut qui bello potiti sunt*, *aut lege*, *pactione*, *conditione*, *sorte*. Accuratius forte docent, qui hos modos dividunt in originarios, quibus ab initio proprietas in rem nullius introducitur, et derivativos, quibus dominium jam constitutum ab uno in alium transit. Originarii sunt occupatio, et accessio. Occupatio definitur: apprehensio rerum corporalium nullius, cum animo sibi habendi. Nullius vero hic esse censentur, quae vel a natura non sunt in dominio, vel pro derelictis habita in dominio esse desierunt; id est eo animo abjecta a domino, ut ea in numero rerum suarum amplius esse nolit. Ex quo sequitur. 1. Ut earum rerum, quae nullius sunt, nec ulla sunt reipublicae lege destinata, dominium permittente republica, lege naturali cedat primo occupanti. 2. Ut occupatio fiat animo et actu corporali simul 3. Ut quae custodia coerceri nequeunt, nec occupari possint. Species occupationis sunt (ut bellicam occupationem omittamus, de qua singulorum populorum leges statuunt) venatio ad quam aucupium et piscatio referuntur, et inventio, quae est rerum, quae aut dominum non habent, aut quarum dominus ignoratur.

Accessio est jus acquirendi quod per incrementum rei propriae adjungitur. Alia est naturalis quae naturae beneficio fit, velut alluvio, alia industrialis quae industria, alia mixta quae partim natura, partim arte constat. De quibus consulendi jurisconsulti.

Modus derivativus est traditio, qua qui jus et animum aliendi habet, rem corporalem legitime in accipientem transfert.

§. I.

De dominio in animantia.

Triplex hic a theologis et jurisconsultis distinguuntur ani-

malium genus. Primo sunt bestiae natura et habitu ferae, quae libere vagantur, nec sine vi occupantur, ut apri, cervi, leones. Secundo sunt bestiae natura ferae sed industria mansuefactae, seu cicures effectae, velut columbae, accipitres. Tertio sunt natura ipsa cicures, et mansuetae, ut gallinae, anseres.

Primo itaque bestiae natura cicures, etsi abierint aut evolaverint, semper tamen ad proprium dominum pertinent, qui proinde servat jus eas recuperandi, et cui restitui debent a quoquam inventae fuerint. Ita Justinianus lib. 2. Institut. tit. 1. §. 6. *Si anseres tui, aut gallinae tuae, aliquo modo turbati, turbataeque evolaverint, licet conspectum tuum effugerint, quocunque tamen in loco sint, tui, tuaeve esse intelliguntur: et qui lucrandi animo ea animalia detinet, furtum committere intelligitur,*

Secundo *ferae, bestiae, et volucres, et pisces simul atque ab aliquo captae fuerint, jure gentium statim illius esse incipiunt: quod enim ante nullius est, naturali ratione occupanti conceditur.* Ita Justin. laud. tit. §. 2. Tamdiu autem manent sub occupantis dominio, quamdiu sub ejus custodia manere intelliguntur. Ita idem Justinianus: *Quidquid eorum ceperis, eo usque tuum esse intelligitur, donec tua custodia coercetur. Cum vero tuam evaserit custodiam, et in libertatem naturalem sese receperit, tuum esse desinit, et rursus occupantis fit. Naturalem autem libertatem recipere intelligitur, cum vel tuos oculos effugerit, vel ita sit in conspectu tuo, ut difficilis sit ejus persecutio.*

Tertio bestiae cicures effectae tamdiu ad dominum pertinent, quamdiu sub ejus custodia permanere, nec ad pristinam feritatem ac libertatem rediisse censentur. *In iis autem animalibus*, ait Justinianus, *quae ex consuetudine abire et redire solent, talis regula comprobata est: ut eo usque tua esse intelligantur, donec animum revertendi habeant: nam si revertendi animum habere desierint, etiam tua esse desinunt et fiunt occupantium. Revertendi autem animum videntur desinere habere, cum revertendi consuetudinem deseruerint.* De hac autem consuetudine, attentis circumstantiis ex morali et communi hominum expertorum sensu erit judicandum.

Hinc porro velut consectaria fluunt responsiones ad casus qui proponi solent. Nam quod attinet ad animantes cicuratas.

Quaeritur 1. Utrum columbaria sint licita.

R. Licita esse ex communi et certa sententia. 1. Quia omnium fere gentium usu sine querela permittuntur. 2. Quia licet satus ac messis tempore columbae grana ex alienis agris auferant, tamen parum admodum nocere comperiuntur, eo quod nec spicas erectas decerpant, nec semina terra obruta effodiant, eaque tantum sumant, quae in propatulo jacent, erantque peritura. 3. Quia segetibus etiam prosunt dum mala semina et noxias herbas auferunt.

Quaeritur 2. Utrum alienas columbas in suum columbarium pellicere liceat.

R. Data opera id non licere; et qui fraudem in eo commiserit, teneri ad restituendum. Caeterum, si fraus omnis abest, et ideo alienae columbae in tuum columbarium advolent, quod ibi largius pascantur, nulli facis injuriam.

Quaeritur 3. Utrum alienas columbas in proprio agro capere liceat.

R. Non licere quamdiu ad sui domini columbarium redeundi consuetudinem retinent, et qui ceperit, teneri ad restitutionem. Qui autem columbas ceperit in locis ab omni columbario valde dissitis, ut prudenter vel silvestres esse vel in pristinam libertatem rediisse judicentur, eas tamquam suas retinere poterit. Verum in his rebus non solum spectandum quid jus commune, sed etiam quid cujusque loci statuta et consuetudines ferant.

Deinde quod attinet ad feras animantes, silvestres, ac libere vagantes multa proponuntur, quae ex iisdem principiis dijudicantur.

Quaeritur itaque 1. Utrum venatio, et piscatio sint licitae.

R. Generatim venationem et piscationem licitas esse. Licet quippe capere quod jure conceditur occupanti. Neque in eo capiendo quod est nullius, ulli fit injuria. 2. Interdum venationem atque piscationem legibus prohiberi ratione temporum, vel instrumentorum, vel loci, vel personae; tumque venationem prout legi adversatur illicitam fieri. Etenim certum est principem posse jus venationis ad animi et curarum levationem in opportunis regionibus ac saltubus sibi reservare: certum est etiam quibusdam in feudis jus venationis ad dominum pertinere. Juste praeterea boni publici causa sancitum est, ne quibuscumque aut quocunque tempore, aut qui-

buscumque instrumentis venatio vel piscatio permitteretur; secus brevi deficerent ferae in campis et saltibus, pisces in alveis. Talibus ergo legibus omnino est obtemperandum.

Et quidem cum nonnulli docuissent venari in loco publico venationi principum juste assignato esse peccatum veniale, nisi tamen grave damnum inferatur, capiendo feras multas aut pretiosas, vel reddendo eas fugaces, ut difficilis postea capturae existant; aperte hanc sententiam quoad illam primam partem de peccato dumtaxat genere suo veniali rejiciendam putavit Layman lib. 3. de Just. tract. 1. cap. 5. n. 14. Si enim, ait; jus in loco publico venandi soli principi competit, sequitur venationem alterius esse injustam, sive peccatum contra justitiam ex genere suo mortale: ipsaque injuria haec seu violatio juris principis competentis magni aestimari solet.

Quaeritur 2. Utrum qui feram venando cepit in loco reservato, restituere illam teneatur, cui jus venationis competit.

R. Si locus reservatus est circumseptus, ut non inde feris pateat libera vagandi et evadendi potestas, eum teneri ad restitutionem; nam ferae conclusae in ejus sunt dominio qui eas custodia sua tenet. Si autem locus est apertus, ut eo ferae custodiri non posse censeantur, non tenebitur ad ferae captae restitutionem, ante sententiam judicis; quia licet illicite capta fuerit ratione loci, tamen erat extra dominium. Excipe si copiosiore venatu ipsum venationis fructum praeripuisset ei, qui jus habet venandi, quo casu damnum compensare debebit; aut si lex eum qui venatur in loco reservato inhabilem redderet ad ferae captae dominium acquirendum, ut habet Layman loco citato.

Quaeritur 3. Utrum quis in proprio agro possit a venando alios prohibere, quibus leges non adimunt venationem.

R. Si ager est patens non posse dominum agri venatores prohibere, dummodo nullum agro damnum afferant. Secus si ager est clausus, sicut potest quisque alium prohibere ne domum suam ingrediatur. Quisquis autem alienam domum vel agrum clausum invito domino ingreditur, ei sane facit injuriam. Nihilominus venator qui feras volucres in agro clauso ceperit non eas restituere tenebitur, quia cum libere avolare queant, ad agri dominum non pertinent.

Quaeritur 4. Cum fera est ab uno vulnerata et ab alio capta, uter ejus dominus existat.

R. Si fera tale vulnus accepit, ut venatorem eam persequentem effugere non possit, ad ipsum pertinere. Nam venator tali vulnere libertatem ferae adimisse censetur, eamque adeo suam effecisse. Secus est capientis, quia, ut ait Justinianus, multa accidere solent, ut eam percutiens non capiat.

Quaeritur 5. Cum fera quam venator persequitur mox eam capturus, in alterius laqueum incidit, uter sit ejus Dominus.

R. Naturali jure solum spectato ejus esse qui laqueum posuit. Nam in laqueo fera suam libertatem primum amisit.

Nec vero hoc loco praetermittendum ratione personae venationem personis ecclesiasticis interdictam esse, maxime quae fit cum armis, tumultu, canum clamore, ut aperte colligitur ex cap. *Quorumdam* distinct. 34. Et cap. *Episcopum* de clerico venatore, et ex Tridentino ses. 24. cap. 12. Et sane manifestum est tale venationis genus statum clericalem dedecere admodum, clericos a gravioribus studiis, sibique consentaneis plurimum abstrahere, atque fidelibus scandalum praebere. Censent autem gravissimi doctores reum fieri culpae lethalis clericum, qui venationi tumultuosae frequentius indulgeat, non si semel tantum aut iterum, quod colligere sibi videntur ex can. *Episcopum*, ubi suspensionis poena ei constituitur, qui saepius in hac voluptate detentus fuerit. Si tamen vel semel ei indulgendo grave scandalum praebere non esset a lethali culpa excusandus. Venationem vero quae sine ullo tumultu moderate ac modeste fiat a clerico exercitationis ac relaxationis caussa culpae omnis expertem esse multi docent; quod etiam colligunt ex Trid. quod cum monet clericos abstinere ab illicitis venationibus, eo ipso innuit aliquas esse etiam clericis licitas venationes. Porro de hac opinione, quae solam clamorosam venationem clericis vetitam affirmat, proferendum judicium sapientissimi pontificis Benedicti XIV cujus haec sunt verba de synodo dioecesana lib. XI. cap. 10. art. 8. « Licet haec opinio communior sit, magisque inter doctores « recepta, opposita tamen certe videtur juri conformior: si« quidem allegati canones a venatione clericos arcent, quae, « non armis, sed solis avibus venatoriis, puta falcone, aut

« accipitre, ac propterea sine ullo tumultu et strepitu exer« cetur. » Ita inter cetera concilium Epaonense in Sabaudia celebratum an. 517. can. 4.

§. II.

De dominio in res inventas.

Quae inveniuntur duplicis sunt generis, ut superius dictum est. Alia sunt derelicta, quae nimirum pro longinquitate temporis quo possideri desierunt, jam domino carent, vel ab ipso domino abjiciuntur, aut pro abjectis habentur. Alia sunt quae dominum habent, a quo sunt amissae, sed ipse dominus ignoratur.

Bona derelicta jure communi fiunt ipsius invenientis, invenire autem dicitur qui rem apprehendit et occupat. Quippe occupatio fit actu corporali. Unde si duobus in littore deambulantibus gemma derelicta occurrat, ejus fit non qui tantum videt, sed qui apprehendit.

Ut autem prudenter dijudicari possit, quae bona pro derelictis habenda sint; regula haec generalis adhibenda videtur, illa tantum censenda esse derelicta, quae judicio moraliter certo existimare possumus dominos vel voluntatem vel potestatem omnem recuperandi deposuisse.

Hinc generatim merces, quae suis dominis in naufragio exciderunt, atque vel fluctibus ad littus propelluntur, aut ex ipso mari eruuntur, non sunt habendae pro derelictis, quousque prudenti judicio constet eas a dominis pro derelictis haberi, velut si longius discesserunt, atque post diuturnum tempus nulla sit probabilitas eos reversuros aliquando ad merces suas exquirendas, nec earum exquirendarum curam ulli committant. Aliter quae sunt repertae, sunt suis dominis omnino restituendae, idque etiamsi ipsas domini nunquam recuperaturi fuissent, nisi alter eas singulari quadam industria et etiam cum vitae discrimine vindicasset. Eademque est ratio de iis quae incendio eripiuntur. Est autem ratio manifesta. Nam dominus non amittit rei suae dominium, nisi consentiat et eam pro derelicta habeat. Compensationem tamen pro labore, vel sumtibus, vel periculo jure potest exigere, qui domini negotium ita utiliter gessit. De bonis porro naufragio ereptis et habitis pro derelictis praeter ea quae jure

communi constituta sunt, peculiari ratione quibusdam in locis leges disponunt.

Postestas vero recuperandi dominii tum amissa censetur, cum pro diuturnitate temporis quo res possideri desiit, aut penitus inter homines deleta est memoria domini ad quem pertinebat, aut non possent ejus successores, licet existant, rem pro sua agnoscere ac repetere.

Nunc quod attinet ad bona, quae quisque amiserit, atque ab alio reperiuntur, dicunturque bona incerta, extra omnem controversiam positum est 1. Inventorem teneri omnem diligentiam adhibere ad explorandum, quis rem inventam amiserit, interrogando, rem inventam scripto et etiam per praeconem aut alios denunciando. 2. Si dominus appareat, ei rem inventam continuo restituendum. Deuteron. 22. *Non videbis bovem fratris tui aut ovem errantem et praeteribis, sed reduces fratri tuo, etiamsi non est propinquus frater tuus, nec nosti eum etc.* Aug. Serm. 19. in verba apostoli cap. 8. *Quod invenisti et non reddidisti, rapuisti* L. 43. §. 4. de furtis; *Qui alienum quid jacens lucri faciendi causa sustulit, furti obstringitur, sive scit cujus sit, sive ignorat.* 3. Qui restituit nil exigere posse a domino, praestat enim quod debet; solumque poterit accipere quod ei dominus gratuita liberalitate largiri volet. 4. Etiamsi proinde dominus per praeconem certam summam promiserit se traditurum invenienti, non posse qui jam invenerat eam juste summam exigere. Fieri quippe solent ejusmodi promissiones, ut injusti detentores facilius proposito pretio moveantur ad restitutionem faciendam. Injustum est autem ut pretium quis participet ad id praestandum quod ex justitia praestare tenetur. 5. Si vero propter pretium promissum inventori ac restitutori, aliquis conferret laborem suum atque industriam ad rem inveniendam: nam haec pretia etiam proponi solent, ut homines invitentur ad talem curam adhibendam; profecto poterit qui invenit pro suo labore et industria pretium participare: poterit similiter exigere inventor sumtus omnes quos fecerit ad rem domino suo conservandam et reddendam, velut si pascere debuit pecudem, si quid solvere pro transferenda re inventa et sic de caeteris.

Si autem post diligentem inquisitionem dominus non appareat, sententia est D. Th. bona illa inventa in pauperes esse distribuenda, quod etiam de aliis piis usibus est intel-

ligendum. Etenim qui amisit praesumitur velle ut plurimum bona quae amisit ad tales usus destinentur. Unde hoc modo ea bona insumens quis, prout dominus velle praesumitur, restituit quoad potest. Quod si vere sit pauper qui invenit, poterit ea sibi applicare, monendus tamen ne sine prudentis viri ac superioris consilio id faciat, ne sibi forte illudat.

Nec vero reticenda sententia Soti, Bannez, Salonii, Azorii existimantium bonorum quidem incertorum restitutionem jure naturali faciendam esse, sed cui facienda sit, cum dominus ignoratur, non esse per jus naturae determinatum; ideoque id sequendum quod jus positivum praescripserit; si vero nil etiam positivo jure praescriptum sit ea bona manere debere sub dispositionem reip. Et sane, ut ait Sylvius, civium bona ordinantur ad bonum totius reip. Deinde cum inducta fuit jure gentium bonorum distinctio, respublica videtur sibi reservasse dispositionem eorum quae incerta dominii vagarentur, demum prudenter etiam existimari potest dominus velle ea bona quae ad se redire non possunt, subesse dispositioni reip.. ut in ejus utilitatem cedant.

Jure autem positivo cap. *Cum tu* de Usur et cap. *Cum sit* de judaeis constitutum est, si bona injuste acquisita suis dominis restitui nequeant, pauperibus esse restitutionem faciendam. Unde illis locis de bonis inventis proprie mentio non fit. Hinc facile intelligitur ubi leges de bonis incertis quidquam constituunt, legi esse obtemperandum, ubi nil sit constitutum, servandam D. Th. sententiam, ut pietati, aequitati, ac justitiae admodum consentaneam.

Posteaquam diligenti circumspectione adhibita res inventa aut in pauperes distributa, aut in alios usus legitime alienata fuit vel absumta, si praeter spem et probabilitatem dominus deprehenditur, nihil erit ei restituendum, nisi quatenus inventor locupletior sit factus. Similiter nec pauperes, si in rei inventae facta est distributio, restituere quicquam tenebuntur; nisi res ipsa adhuc extet, aut inde locupletiores sint facti, et dominus repetat. Quod si res etiam extaret, sed legitimae praescriptionis tempus esset elapsum, quandoquidem illam bona fide pauper possedit, nec eam restituere teneretur.

Demum paucis agendum de bonis vacantibus. Talia porro dicuntur, quorum dominus sine testamento decessit nullo, vel

incognito relicto haerede, qui secundum leges ab intestato succedat. Ea porro bona fisco devolvuntur ex L. *Vacantia* Cod. de bonis vacantibus. Excipitur a theologis, si peregrinus in Xenodochio decedat, cujus bona mobilia in caussas pias ab ordinario distribuenda docent ex Autentica *omnes peregrini*: nisi tamen aliter jura locorum decreverint.

§. III.

De Thesauro.

Thesaurus proprio nomine definitur vetus depositio pecuniae, cujus non extat memoria, ut jam dominum non habeat. Additur vero L. unica Cod. de Thesauris hoc nomine non solum intelligi pecuniam sed quaevis alia mobilia. Hinc differt thesaurus a pecuniis, gemmis, aliisve rebus pretiosis, quae in locis quibusdam abditis recluduntur, ut vi hostium vel insidiis latronum subducantur, sed quorum non adeo vetus est depositio, ut dominus aut ejus haeredes agnosci nequeant. Talia enim quae improprie thesauri appellantur, ad bona incerta sunt referenda, et quoad ea valent regulae superius expositae. Differt etiam thesaurus a lapidicinis et venis metallicis quae in fundo ipso nascuntur: de quarum acquirendo dominio diversa sunt diversarum gentium lege ac jura. Caeterum thesaurus non in agris tantum et campis, verum etiam in aedificiis aliisque locis latere potest: estque omnium una eademque ratio.

Jure gentium thesaurus cedit inventori. Nam ex definitione thesaurus censetur inter bona nullius. Bona autem nullius jure gentium fiunt primi occupantis.

Jure communi Caesareo haec sunt potissimum de thesauris constituta ex lege unica Cod. de Thesauris. 1. Thesaurus sceleratis ac puniendis sacrificiis, aut alia qualibet arte legibus odiosa quaesitus ac repertus, inventori qua parte id ipsum spectaret, eripitur ac fisco devolvitur. Cum tamen haec lex sit poenalis ea inventorem non teneri ante judicis sententiam communiter theologi docent. 2. Thesaurus in proprio fundo inventus totus est ipsius invenientis. 3. In alieno loco fortuito inventus ex dimidia parte inventori, ex dimidia domino loci cedit. Unde si thesaurus in loco fiscali, vel principis, vel civitatis inveniatur, erit cum fisco, vel principe, vel civitate

dividendus. Idem sentiendum de thesauro in locis sacris invento, qui scilicet est cum iis dividendus ad quos ea loca pertinent. Nec obstat §. Thesaurus lib. 2. instit. tit. 1. quippe ibi supponitur loca quaedam sacra esse, quae ad neminem pertineant. 4. Data opera in fundo alieno quaesitus et inventus totus cedere debet domino fundi: sed cum ex verbis legis citatae pateat eam esse poenalem quoad hanc partem, communiter etiam statuunt theologi inventorem non teneri ad totum thesaurum tradendum ante sententiam judicis.

Quaeritur autem, quod non est laudatis juribus definitum, quid sentiendum si dominus alteri concessit agri sui perscrutandi facultatem. Respondent theologi pacto standum esse, si quod initum est. 2. Si nullum initum fuit pactum, thesaurum videri totum esse inventoris. Etenim dominus perscrutandi facultatem praebens et nihil exigens, videtur cedere perscrutanti quidquid repertum fuerit. Secus vero si inventor aliqua simulatione et fallacia uteretur ad removendam a domino cogitationem vel suspicionem inveniendi thesauri. Tunc enim gratuita concessio per dolum extorta inventori non suffragaretur.

Quaeritur praeterea cum plures habent in eumdem fundum diversam rationem dominii, ad quem dominum potissimum thesaurus vel pars thesauri pertineat. Communis sententia est conductorem, pignoratorem, usufructuarium, utpote qui non sunt vere domini fundi, nil posse de thesauro sibi vindicare. Ita statuit l. *fructus.* 7. *ff.* §. *soluto matrimonio*: thesaurum inventum in fundo dotali, in quo vir habet usumfructum, non deberi viro sed uxori, cujus est fundus, quia thesaurus non est fructus fundi. Si vero fundus ratione dominii directi ad unum, ratione vero dominii utilis ad alterum pertineat, nonnulli existimant thesaurum inter utrumque ex aequo dividendum. Et siquidem unus ex dominis invenerit, recte inde concludit Molina unam partem integram ipsi competere titulo inventionis, alteram vero partem ratione dominii inter utrumque dividendam; adeo ut quatuor ex partibus tres pertineant ad dominum inventorem, reliqua ad alterum. Alii porro censent ut Covarruvias non ad dominum directum, sed ad solum dominum utilem pertinere partem quam leges domino agri concedunt. Nam dominus utilis revera est dominus fundi, licet obstrictus certis conditionibus

quas servare debet. Ejus autem dominii ea est ratio ut servatis illis conditionibus omnis utilitas quae ex fundo percipi possit ad eum pertineat: atque adeo quidquid emolumenti aut lucri ratione fundi percipitur leges domino concedunt.

Superat controversia de illo, qui sciens latere thesaurum in fundo alieno, hunc emit communi pretio a domino thesaurum ignorante, utrum scilicet totum thesaurum sibi retinere queat. Negant nonnulli graves doctique theologi B. Angelus, Tabiena, Armilla etc. Nam sicut vendens tenetur manifestare vitium occultum rei quam vendit, sic tenetur emtor manifestare id quod scit rem quam emit revera pretiosiorem fieri. Deinde qui sic emit, videtur defraudare alium ea parte quam leges domino concedunt, et in quam proinde ipse dominus habet verum jus. Insuper in eo se prodit improba quaedam calliditas qua violari graviter videtur praeceptum jubens, ne quis faciat alteri quod sibi nollet fieri. Neque vero quidquam contra efficitur ex parabola Matth. 13. *Simile est regnum caelorum thesauro abscondito in agro, quem qui invenit homo, abscondit, et vadit et vendit omnia quae habet et emit agrum illum.* Quippe hac parabola docet Christus non minore studio, cura et diligentia fidelibus esse contendendum ad regnum caelorum; quam quae adhibetur a seculi prudentibus ad perituras opes comparandas. Sed non propterea excusatur a culpa quidquid prudentes saeculi moliuntur, ut patet vel ex ipsa parabola de villico iniquitatis. In hoc ergo tantum proponitur imitanda eorum industria, quod ut illi propter creatum bonum quod expetunt consequendum, adhibent media maxime conducibilia, sic etiam filii lucis ad bonum increatum maxime opportunis mediis ac rerum mundanarum contemtu ac despicentia contendant.

Alii vero quorum est communior sententia censent ab eo justitiam minime violari qui emit agrum, ubi scit latere thesaurum domino ignotum, communi pretio, ut totum sibi retineat. Nam thesaurus, ut patet ex ejus definitione, res est nullius; quare jure naturali totus fit primi occupantis. Itaque dominus fundi nullum habet verum dominium in thesaurum absconditum; secus thesaurus esset res nullius, ex def. et non esset res nullius, utpote domino fundi addictus. Qui ergo emit agrum pretio communi tantum domino tribuit, quantum ipsius juri respondet, nec ullam adeo ei facit injuriam. Quod

autem jure romano dimidia pars thesauri cedat domino fundi, cum ab alio invenitur, hoc facit quidem ut quo tempore thesaurus iterum redit in hominum dominium, ipse fundi dominus jus acquirat in dimidiam partem propter ejus juris dispositionem. At vero per solam cognitionem emtoris thesaurus nondum cujusquam dominio mancipatur, sed solum quando animo et corpore occupatur. Hoc vero tempore solum dimidia pars fundi domino acquiritur. Antea vero nullum jus in eam habet. Si ergo alter sive sciens sive ignorans agrum illum emat, antequam thesaurus iterum in dominium veniat, seu quando thesaurus est adhuc res nullius, profecto thesaurus cum occupari coeperit, totus erit ipsius, utpote qui tunc est dominus fundi, quando ipse thesaurus desiit esse res nullius.

Quod porro diximus non teneri quempiam ante sententiam judicis alteri tribuere quod lege poenali constitutum est, probe notandum non valere ubi agitur de lege, quae non simpliciter infligat poenam, sed determinet ad quem cujusque rei dominium pertineat. Quippe id alteri tribuere quod est ejusmodi legibus constitutum, unusquisque tenetur ante sententiam judicis. Nemo enim retinere potest, quod ipsa legum ac juris dispositione alienum est. Porro licet conscientia non obliget solvere multam, antequam sententia judicis compellatur, obligat semper tamen conscientia alteri tribuere quod suum est.

§. IV.

De modis acquirendi dominii per accessionem.

Pauca hic memorabimus, tantum ne penitus ignorentur summa capita, quorum distincta notitia et explicatio ex civitatis cujusque legibus plerumque petenda est.

Ad hos modos refertur 1. Alluvio de qua jurisconsultus Caius l. *adeo* ff. 7. §. 1. de acquir. rer. dom. Quod per alluvionem agro nostro flumen adjicit, jure gentium nobis acquiritur. Per alluvionen autem id videtur adjici, quod ita paulatim adjicitur, ut intelligere non possimus, quantum quoquo momento temporis adjiciatur. Si vero vis fluminis partem aliquam de tuo praedio detraxerit, et meo praedio attulerit; palam est eam tuam permanere. Si tamen ea pars

fundo coaluerit, et arbores in fundum radices egerint totum jure romano adjudicatur domino fundi, si alter vindicare neglexerit.

2. Recensentur modi accessionis industrialis per specificationem, confusionem, commixtionem, inaedificationem, scriptionem, pictionem etc. Specificatio est modus acquirendi, quo quis ex aliena materia suo nomine novam speciem faciens, ejus specei dominium consequitur. In qua ut patet inducitur et accidit nova forma in alienam materiam. Hinc porro constitutum est, si res reduci potest in pristinum statum, velut si scyphus ex alieno auro est confectus, res domino materiae adjudicari debeat. Secus spectabit ad eum qui rem formavit, velut si quis vestem ex aliena lana, vinum ex alienis uvis confecit. Requiritur tamen ut bona fide rem alienam adhibuerit putans esse suam, si enim mala fide egit, res a pristino domino vindicari poterit. Et quidem postquam innotuit rem alienam fuisse adhibitam, tenebitur qui adhibuit de rei totius aestimatione si adhuc est integra, aut in quantum factus est locupletior, si res jam consumta est. Quod si materia est furtiva, qui bona fide emit et consumsit de tota aestimatione adhuc tenetur erga dominum, propter multa eademque perspicua jura de rebus furtivis, sed habebit actïonem in venditorem.

3. Commixtio et confusio quae in eo conveniunt quod fiat substantiarum mixtio, differunt, quod in commixtione corpora in sua substantia permaneant, in confusione vero in unam quamdam substantiam coeant velut cum liquida miscentur. Si res ad diversos dominos pertinentes misceantur vel confundantur mutuo consensu, massa communis fieri censetur. Si ab uno tantum confundantur altero non consentiente; tum vel separari possunt quae conflata fuere, velut plumbum ab argento; tumque domino competit actio in rem suam. Eademque est ratio si res permixtae secerni queant, velut si greges ovium permisceantur. Si vero separatio fieri nequeat, alteri tantum tribuendum quantum ex justa aestimatione fert valor rei suae permixtae.

Quod attinet ad reliquas accessiones usurpari solet vulgatum axioma, accessorium sequi suum principale, sive id quod communi judicio habetur tanquam praecipuum, et cujus gratia fit alterius rei adjectio. Hinc statutum est aedificium cedere solo: gemmam alieno auro inclusam cedere auro, purpuram

alienae vesti intextam cedere vesti: quia autem iniquum est alterum cum alterius damno fieri locupletiorem, idcirco est compensandum domino, quod vi accessionis in alterius dominium transit. Qua de re dantur diversae actiones prout bona vel mala fide fuerit accessio facta.

4. Proinde si quis aliena materia in proprio fundo aedificavit, dominus quidem fit aedificii, sed alteri satisfacere tenetur pro materia sua. Si quis in alieno fundo propria materia aedificavit aedificium cedit domino fundi. Verum eo casu distinguendum est, utrum sciens alienum esse fundum, an nesciens aedificarit. Si primum amittit dominium aedificii, et licet aedificium diruatur, in foro externo lapides, ligna, nec alia rudera repetere potest. Excipitur tamen, nisi alio absente negotium ejus utiliter gessisset. Si vero bona fide in alieno fundo aedificavit, putans eum esse suum, ipsa bona fide non patitur ut dominus soli cum alterius detrimento locupletetur. Quamobrem sumtus aedificanti persolvere tenebitur.

5. De plantatione et satione similiter judicandum est. Quippe stirpes non tantum solo sustentantur, verum etiam eo gignuntur, aluntur, atque adolescunt. Itaque 1. Quidquid solo implantatur vel inseritur, ipsi solo cedit. 2. Arboris dominium jure romano ad eum pertinet in cujus solo radices egerit. Hinc frumenta sive aliena in tuo agro, sive tua in alieno agro sata sint, ad dominum fundi pertinebunt deductis impensis. Aestimationem proinde rei et laboris repetere poterit qui frumenta v. g. in alieno agro consevit, praesertim si bona fide id factum sit.

6. Hinc etiam tabula censetur cedere picturae, nam tabula propter picturam est, non pictura propter tabulam; et quidem tabula ut plurimum vilis, pictura plerumque pretiosa. Proinde qui pinxit in aliena tabula picturam suam facit, solumque tenetur alteri solvere pretium suae tabulae. Aliter sentiendum si quis in materia pinxerit quae pretiosor sit ipso artefacto. Praeterea etiam si pictura ornatus caussa cuicumque rei etiam viliori adjiciatur, velut si depinges in aliena mensa, vel fornice, pictura cedet rei pictae, quia ornamenti caussa et ejusdem rei gratia censetur accedere. Notant autem theologi quod attinet ad chartas, cum hae jamdudum sint admodum vili pretio, eas existimandas esse cedere scripturae, quae pluris aestimatur; et in cujus gratiam chartam adhibe-

tur, hoc semper retento eum qui alienam chartam adhibuit teneri pretium ejus domino solvere. Nam his in rebus hoc generale est, quidquid alteri detractum fuerit, esse resarciendum vel ex integro si mala fide, vel quantum quis factus sit locupletior, si bona fide; ut suo loco copiosius explicabitur. Verum haec de accessionibus summatim attigisse pro instituti nostri ratione sufficiat.

CAPUT VIII.

De usucapione et praescriptione.

Usucapio est adjectio, vel uti apud Ulpianum et Isidor. Orig. lib. 5. c. 35. est adeptio dominii per continuationem possessionis temporis lege definiti. Praescriptio vero dicebatur exceptio, qua is qui longo tempore rem possederat, sese adversus dominum tuebatur. Dicitur enim exceptio esse actionis exclusio, non inficiando quidem fundamentum actionis, sed eidem aliud opponendo, quo robore carere debeat. Ex. caus. si quis adversus alterum actionem instituat, pretium repetens rei venditae, poterit iste duplici ratione se defendere, vel negando sibi rem ab alio venditam esse, quo pacto directo sese opponit fundamento actionis: haecque est proprio nomine defensio, in qua onus probandi rejicitur in actorem. Alia porro quoque ratione se defendere potest, non quidem negando rem sibi venditam, sed aliud quippiam ajendo et proferendo vi cujus persolvere non teneatur, velut si dicat venditori jam per alium suo nomine satisfactum esse: atque hujusmodi actionis exclusio proprio nomine vocatur exceptio, quae duplex distinguitur una peremtoria, quae per sese valet litem perimere, velut quae superiore est exemplo allata. Nam si constet venditori pretium rei venditae solutum fuisse, actor pretium repetens caussa cadat necesse est: altera dicitur dilatoria, qua actio non omnino excluditur, sed protrahitur, aut in aliud forum rejicitur: velut si quis dicat judicem non esse competentem etc. Exceptionis autem probandae onus in eum recidit qui excipit. Cum ergo qui tempore lege definito possedit negat se propter hanc caussam rem aliquam reddere debere, licet non inficietur titulum vi cujus eam actor repetit, hujusmodi exceptio praescriptionis nomine est donata, quae proinde est usucapionis proximus effectus, ut merito deinceps

a doctoribus usucapio et praescriptio confundi coeperint. Nam adeptio dominii vi continuatae possessionis toto tempore lege definito, quae usucapio dicitur, facit ut merito quis excipiat adversus eum, qui rem possessam repetit. Equidem nonnulli dixere usucapionem corporalium, praescriptionem incorporalium esse, vel usucapionem rerum mobilium, immobilium vero praescriptionem. At hujusmodi distinctiones ut minus in jure fundatas ac minime necessarias alii communiter rejiciunt.

De praescriptione vero haec potissimum quaeruntur. 1. Utrum legitimum vel in ipsa conscientia jus dominii tribuat in rem praescriptam. 2. Quae conditiones ad legitimam praescriptionem requirantur.

PROPOSITIO.

Praescriptio legitimum vel in ipsa conscientia dominii jus tribuit in rem praescriptam.

Pr. 1. Jus quod publicae utilitatis caussa leges humanae tribuunt est verum jus ac legitimum, quo quis recta conscientia uti potest. Nam, ut superius vidimus, ipsa dominiorum jura summorum imperantium legibus distincta et constituta fuerunt. Atque leges humanae praescribentibus jus dominii tribuunt in rem praescriptam, idque ob publicam utilitatem, atque adeo justissima de caussa *Pr. min. Constitutionem promulgavimus*, inquit Justinianus lib. de Praescript. *qua cautum est, ut res quidem mobiles, inter absentes viginti annis usucapiantur, et his modis in omni terra, quae imperio nostro gubernatur, dominia rerum justa possessione praecedente acquirantur.* Vid. etiam lib. 2. Institut. tit. 6. Caussae autem hujus dominii tribuendi fuere potissimum. 1. Ne diu et fere semper quarumdam rerum dominia incerta essent. 2. Ut aliquis litium finis esset. 3. Ne possessores prope immortali timore tenerentur. 4. Ut segnities ac desidia hominum res suas curare negligentium simul castigaretur atque acueretur; quas caussas in bonum publicum spectare, ac plenas aequitatis esse manifestum est.

Pr. 2. Quia jus canonicum legitimas praescriptiones generatim comprobat, nulla distinctione adhibita inter forum externum et forum conscientiae; quam tamen distinctionem

tantopere necessariam, ne fideles incaute rem alienam cum salutis suae jactura sibi retinerent, adhibere aliquando non neglexissent pontifices, si ejus habendam rationem existimassent. Itaque cum in hac parte jura non distinxerint, nec nos distinguere debemus. Sic can. *Praesulum* caussa 16. q. 3. Gelasius papa: *Illud etiam annecti placuit, ut si, quod absit, facultates ecclesiae, nec non dioeceses ab aliquibus possidentur episcopis, jure sibi vindicent, quod triennalis lex conclusit: quia et filiorum nostrorum principum ita emanavit auctoritas* Innoc. III. in concil. Lateran. IV. cap. *Quoniam. Quoniam omne quod non est ex fide peccatum est, synodali judicio definimus, ut nulla valeat absque bona fide praescriptio tam canonica quam civilis: cum generaliter sit omni constitutioni atque consuetudini derogandum, quae absque mortali peccato non potest observari.* Ergo praescriptionem legitimam seu ex bona fide ita confirmat ut pravitatis omnis expertem.

Pr. 3. Doctorum scholasticorum auctoritate, qui paucis exceptis propositioni nostrae unanimi consensione suffragantur. D. Th. quodl. 12. art. 25. *Dicendum quod si quis praescribat, bona fide possidendo, non tenetur ad restitutionem, etiamsi sciat alienum fuisse post praescriptionem.* Scotus in 4. sent. dist. 15. q. 2. *Si lex justa potuit juste determinare prima dominia, et non minor est auctoritas legis post divisionem dominiorum quam ante; ergo propter eamdem caussam et eumdem finem potest juste transferri dominium. Ex hoc dico quod praescriptio in immobilibus, et usucapio in mobilibus est justa translatio.*

Obj. 1. Jus naturale praecipit, ut res aliena suo domino reddatur, statim atque is agnoscitur. Ergo etiam post elapsum tempus praescriptionis tenebitur quisque rem quam detinebat domino restituere; secus praescriptio adversabitur juri naturali. Quare Aug. lib. de fide et operib. c. 7. *In jure praediorum tamdiu quisque bonae fidei possessor rectissime dicitur, quamdiu se possidere ignorat alienum: cum vero sciverit, nec ab aliena possessione recesserit, tunc malae fidei perhibetur, tum juste injustus vocatur.* Quo loco Aug. statuit, idque indefinite et ad quodcumque tempus, fieri quemquam injustum possessorem, statim atque ipsi innotescit rem alienam a se possideri, nec vult a possessione recedere. Ergo ex Aug. nullum tempus possessionis potest tribuere verum jus possidendi quod alienum sit.

R. Jus naturale praecipere quidem ut alteri reddatur quod suum est, quamdiu revera suum est, non autem postquam suum esse desiit, et certa de caussa legum auctoritate in alterius dominium transiit. Jam vero elapso praescriptionis tempore transfertur dominium in ipsum praescribentem. Ergo etiamsi agnoscat postea rem eam labente tempore praescriptionis ad alium justo titulo pertinuisse, adeoque fuisse alienam: tamen hoc elapso tempore vi legitimae praescriptionis desinit esse aliena, fitque sua, ut eam proinde restituere minime teneatur. Hinc patet responsio ad locum ex Aug. depromtum. Aug. enim loquitur de eo qui possidet rem alienam. At vero qui praescripsit non amplius possidet rem alienam, sed possidet eam quae sua est post praescriptionem, licet ante praescriptionem aliena fuerit. Nam ut ipsemet ait ep. 153. *Hoc enim certe alienum non est, quod jure possidetur.*

Obj. 2. Aequitas non sinit, ut quisquam dominio in rem suam privetur, nisi ob culpam. Quippe fert regula juris 23. *Sine culpa, nisi subsit caussa, non est aliquis puniendus:* Et. reg. 48. *Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria vel jactura.* Hinc D. Th. quodlib. allato 12. non aliam agnoscit subesse justam caussam posse legitimae praescriptionis nisi culpam: ait enim: *Lex potest aliquem pro peccato et negligentia punire in re sua et illam alteri dare.* Hinc lex de praescriptionibus poenalis est censenda; cumque culpa negligentiae in altero plerumque non sit nisi venialis, non videtur in conscientia talis culpa sufficere, ut quis rem alterius sibi vindicet; non enim patitur aequitas ut levis culpa multetur adeo gravi poena, qualis est bonorum amissio. Hinc nonnulli veteres scholastici a foro conscientiae praescriptionem ablegarunt. Et S. Raymundus profitetur se haudquaquam in conscientia tutos credere eos omnes, qui rem praesciptam nolint restituere.

R. ad singula. 1. Ex ipsa reg. 23. satis intelligi praeter culpam alias subesse caussas, quamobrem dominium publica legum auctoritate ex uno in alium transferatur: quae caussae superius allatae sunt. Quisquis proinde justa legum auctoritate acquirit rei alicujus dominium, quae prius ad alterum pertinebat, non locupletatur cum illius injuria et jactura. Non enim ei eripit quod suum est, nec rem quae alterius erat sibi vindicat, nisi postquam legum dispositione non amplius ad eum pertinet; unde cum nihil habeat de alieno non

locupletatur cum alterius jactura. Ad 2. Ex eo quod D. Th. unam tantum commemoraverit caussam legitimae praescriptionis, non sequitur eum alias exclusisse. Ad 3. Etsi nonnulli veteres scholastici non putaverint jus praescriptionis in conscientia suffragari, et ea de re anceps haeserit S. Raymundus, postea tamen unanimi consensione propositionem nostram firmarunt. Quae theologorum unanimis consensio nullum amplius dubitandi locum relinquit.

Conditiones porro ad legitimam praescriptionem requisitae, quatuor recenseri solent 1. possessio. 2. titulus. 3. bona fides. 4. tempus lege definitum.

1. Itaque requiritur continuata possessio, ut patet ex ipsa praescriptionis def., atque ut habet reg. juris 3. in 6. sine possessione praescriptio non procedit. Et sane qui fieri potest ut quod non continuate capias seu possideas, id usucapere dicaris? Nec vero sufficit possessio naturalis, sed civilis requiritur, qua quis rem detinet ut suam, cum animo dominii. Quapropter colonus, depositarius, tutor etc. licet rem alienam penes se detineant, praescribere non possunt, quia non suo nomine sed alieno detinent. Hinc etiam usufructuarius possessione usumfructum, non autem proprietatem rei praescribere unquam potest. Hinc quamdiu alter civilem possessionem in rem suam retinet, velut eam vindicando, naturalis possessio in altero non suffragatur ad praescriptionem. Nil autem interest utrum quis per se an per alium possideat. Neque officit possessioni quod res ipsa manibus veluti tractari nequeat. Sic merito dicitur debitor esse in possessione non solvendi, si nec ipse quidquam se debere sentiat, et nil creditor ab eo repetat. Quae possessio proinde, si adsunt aliae conditiones, veram praescriptionem inducet.

2. Requiritur titulus, quae conditio ex superiore facile colligitur; nam non potest quis rem civiliter possidere ut suam, nisi aliquo titulo eam reputet esse suam, velut pro emto, pro donato, pro legato etc. Est autem praesumptus seu coloratus ejusmodi titulus. Si enim vera esset ac rata emtio, donatio etc. res vere pertineret ad possidentem, et non tantum putaretur ad ipsum pertinere. Ad titulum praesumtum revocatur possessio quae dicitur longissimi temporis, et quae immemorialis vocatur. Cum enim titulus initio esse potuerit, posteaque diuturni temporis lapsu memoria ejus intercidere, ideo statutum fuit longissimi temporis possessionem titulum

praesumtum tribuere, eo quod qui toto eo tempore possedit, censeatur initio titulum legitimum habuisse, licet illius memoria non amplius extet. Longissimi porro temporis possessio triginta vel quadraginta annorum spatio definitur. Haec autem suffragatur quando jus non resistit, neque aliunde est praesumtio malae fidei in possessore. Si vero jus resistit, vel in possidente sit praesumtio malae fidei, requiritur possessio immemorialis, quae quidem nullum definitum tempus requirit, sed probari debet per testes, hoc pacto: quod semper viderunt et audierunt ita esse, neque unquam contrarium, et quod communis est et fuit semper opinio ac fama de hoc facto, neque extet contrarii vel initii memoria. Si autem constet de mala fide possidentis, nullius est roboris vel ipsa immemorialis possessio.

3. Requiritur bona fides, quae suapte natura oritur ex titulo colorato, quo quis putat aliquid suum esse pro emto, pro legato etc. Est enim bona fides, ut eam egregie definit cardinalis de Lugo, quando existimatio mentis correspondet animo, ut sicut habes animum possidendi ut tuum, sic judices illud esse tuum. Mala vero fides, ex eodem clarissimo scriptore, quando discordat judicium mentis ab animo: judicas enim non esse tuum, vel non judicas esse tuum, quod vis possidere ut tuum. Quae definitio est accuratissime notanda.

Bonam fidem prorsus requiri omnes consentiunt. Nam ex reg. 2. juris in 6. *Possessor malae fidei ullo tempore non praescribit.* Et Innoc. III. in conc. Lateran. cap. *Quoniam: Synodali judicio definimus, ut nulla valeat absque bona fide praescriptio.* Et S. Th. quodl. 12. art. 24. *Qui mala fide praescribit tenetur emendare et satisfacere reddendo damnum, quod intulit.* Unde qui possessione ineunte dubitat num res sua sit, eum nunquam praescribere certum est apud omnes, sed oportere ut existimet rem esse suam. Utrum vero posteaquam bona fide coepit possessio, dubium superveniens officiat, nec ne praescriptioni, disputatur inter theologos. Et quidem si adhibita diligentia quam par est adhibere, quamque adhibendam omnes consentiunt, dubium permaneat, alii putant reliquum possessionis tempus nil valere ad legitimam praescriptionem; alii et quidem frequentes sentiunt eo dubio non obstante possessionem tandem in legitimam praescriptionem evadere. Nec vero quaestio facilis explicatu.

PROPOSITIO.

Probabilius videtur dubium exortum vertente ipsa possessione legitimae praescriptioni officere.

Pr. 1. Tale dubium officit legitimae praescriptioni, si malam fidem injicere possidenti censendum sit, quod attinet ad jus dominii. Nam bonam fidem tota labente possessione requiri, satis constat ex dictis. Atqui revera dubium memoratum injicit malam fidem in animum possidentis. Quod probatur ex malae fidei definitione superius allata ex cardinale de Lugo. Est enim mala fides sive judicas rem non esse tuam, sive non judicas esse tuam. Qui autem dubitat num res sua sit, licet ex primo capite non sit malae fidei arguendus, quia non datur in eo judicium quo judicet rem non esse suam; tamen ex altero capite malae fidei arguitur, nam qui dubitat rem esse suam, ille quamdiu dubitat non potest judicare rem esse suam, secus non dubitaret. Ergo etc.

Pr. 2. Nam Innoc. III. laudato cap. *Quoniam*, dum ait *Unde oportet, ut qui praescribit, in nulla temporis parte habeat rei alienae conscientiam:* videtur excludere non solum conscientiam certam qua quis sibi persuadeat rem esse alienam, sed etiam conscientiam dubiam. Etenim hanc alienae rei conscientiam opponit bonae fidei: nimirum existimationi qua quis putat et sibi persuadet rem esse suam, ut bonam fidem non solum cardinalis de Lugo sed omnes definiunt. Haec porro bona fides sive existimatio, qua quis revera existimat aliquid suum esse, tollitur non solum per cognitionem vel opinionem firmam de opposito, verum etiam per dubium quod cum tali existimatione consistere haud potest. Nemo enim dici potest existimare aliquid suum esse, dum dubitat, num revera suum sit.

Contrariae vero sententiae auctores argumentantur ex cap. *Si virgo* caussa 34. q. 1. ubi ex Aug. dicitur « In jure praediorum tamdiu unusquisque bonae fidei possessor rectissime « dicitur, quamdiu possidere se ignorat alienum. Cum vero « scierit, nec ab aliena possessione recesserit, tunc mala fi- « dei perhibebitur, tunc juste injustus vocatur. » Ergo, inquiunt, ut quis in mala fide versetur, non sufficit ut dubitet, sed oportet ut sciat sive existimet se possidere alienum

Praeterea certum est in tali dubio meliorem esse conditionem possidentis. Cum ergo superveniente dubio possessor juste rem retinere valeat toto tempore ad praescriptionem requisito, cur non etiam juste praescribere poterit?

Verum haec non satis firme conclusa videntur. Etenim can. *Si virgo* dum bonae fidei possessorem dicit eum esse qui ignorat se possidere alienum, vel est intelligendus de ignorantia ut opponitur scientiae, qua quis nimirum existimet alienum esse quod possidet, ut interpretantur adversarii, vel de ignorantia prout opponitur cuicumque notitiae seu suspicioni rei alienae, vi cujus quis dubitet rem esse alienam. Si primum, sequeretur vel ab ipso initio possessionis dubium cum bona fide consistere posse, nec proinde officere praescriptioni, quod ipsi tamen adversarii non admittunt. Ergo relabendum in alteram interpretationem, quae communi hominum intellectui multo est accommodatior. Quisquis enim excusat se ratione ignorantiae, puta quod eum percusserit quem ignorabat esse clericum, ex communi hominum sensu intelligitur per illam ignorantiam excludere vel non solum scientiam qua judicaret illum esse clericum, sed notitiam quamcumque, vi cujus dubitaret. Neque alterum persuadet, nam in dubio fatemur quidem meliorem esse conditionem possidentis, estque ideo melior quia post diligentiam adhibitam qui dubitando possidet, rem possessam juste retinere potest; sed ex hoc non sequitur dubitantem legitime quoque praescribere posse. Quippe aliud est jus retinendi, aliud jus dominii. Decreverunt quidem leges ut quod quis certo tempore possedit cum bona fide et existimatione sui juris, id ei acquireretur, idque bonum publicum maxime postulabat, ut superius expositum est; at non eadem est ratio de his quae cum dubitatione alieni juris possidentur; nam per ipsam dubitationem unumquemque naturalis aequitas sic admonet, eum sic debere illis rebus uti, easque sic retinere, ut cum de alieno jure constabit, paratus sit eas reddere. Quo pacto sine ullo publici boni detrimento uniuscujusque juri apte consulitur.

Quaeritur insuper utrum et quemadmodum ignorantia praescriptioni officere queat.

Ignorantia alia est facti, alia juris. Jus autem aliud certum, aliud obscurum et ambiguum. Item ignorantia alia inculpata, alia culpabils; et haec rursum vel ex gravi negligentia, vel ex levi tantum et veniali procedit. His positis.

R. 1. Ignorantiam juris certi licet inculpatam ex invincibilem praescriptionem irritam facere: inculpatam vero ignorantiam facti minime obesse. Constat ex l. 31. ff. de usucapionibus: *Nunquam in usucapionibus juris error possessoribus prodest.* Et l. 4. de juris et facti ignorantia: *Juris ignorantia in usucapionibus negatur prodesse; facti vere ignorantiam prodesse constat.* Et l. 2. de emptore: *Si a pupillo emero sine tutoris auctoritate quem puberem esse putem; dicimus usucapionem sequi etc. quod si scias pupillum esse, putes tamen pupillis licere res suas sine tutoris auctoritate administrare, non capies usu, quia juris error nulli podest.* Patet autem hoc non solum in foro externo sed etiam in foro conscientiae valere. Nam cum praescriptio nonnisi legum auctoritate possessioni dominium adjiciat, constat possidentem cum ignorantia etiam inculpata juris nunquam posse contra legis auctoritatem verum jus in rem possessam acquirere, nec adeo eam ut suam retinere. Quod autem ignorantia inculpata facti nequeat obesse praescriptioni manifestum ex eo fit, quod praescriptio locum habere non posset, nisi aliqua talis ignorantia subesset.

De ignorantia inculpata vero juris obscuri et dubii satis fuerit admonere, doctores non idem sentire nec enim vacat rem totam explicare.

R. 2. Ignorantiam facti graviter culpabilem officere praescriptioni. Etenim quod attinet ad conscientiam ille minime in bona fide esse censendus est qui ignorat quod scire non potest solum, verum etiam sub gravi scire tenetur.

De ignorantia vero, quae leviter tantum ac venialiter sit culpabilis, aliqua est inter doctores controversia. Nobis videtur valde probabilis eorum sententia, qui ajunt eam ignorantiam minime obesse legitimae praesceiptioni. Huic favere videtur cap. *Quoniam* superius allatum ex concilio 4. Lateran. Ibi enim posteaquam definitum est nullam valere sine bona fide praescriptionem, hoc instar rationis additur, quod nimirum omni constitutioni et consuetudini sit derogandum, quae absque mortali peccato non potest observari. Quibus verbis ea sola mala fides ad praescribendum inepta judicari videtur quae sit cum mortali peccato conjuncta. Praeterea cum difficillimum sit omnem vitare venialem negligentiam, si haec officeret legitimae praescriptioni, jus ipsum praescriptionis innumerabilibus dubitationibus et scrupulis obnoxium esset; unde

aberraret ab eo fine ob quem inductum est praescriptionis beneficium.

Quia vero res interdum ex possessione unius transit in possessionem alterius per emptionem, donationem, legatum etc. quaeritur insuper num praescriptio incipere debeat a te, quando ex titulo, et bona fide possidere incipis, an possis continuare praescriptionem ab eo inceptam a quo rem habuisti.

R. Ex communi sententia 1. Quicumque alteri bona fide possidenti succedit posse uti ad complendam praescriptionem accessione illius temporis, quo alter bona fide possedit. 2. Malam fidem auctoris successori particulari non nocere, atque adeo hunc incipere praescriptionem statim atque bona fide possidere incipit. Dicitur autem successor particularis qui alteri succedit quocumque ex titulo, modo ne haeres sit. Haeredi enim voluerunt leges malam fidem testatoris abesse, quia haeres ita repraesentat personam defuncti: ut succedat in omnes ejus obligationes et onera; cum ergo defunctus ob malam fidem restitutionis onere teneretur, idem onus transire in haeredem par est. Et quamvis nonnulli hanc doctrinam ad solum proximum haeredem coerceant, alii tamen eam ad haeredem haeredis extendendam melius existimant, quod ratio allata in utroque perinde valeat.

Quarta conditio ad legitimam praescriptionem tempus est lege difinitum. Quae conditio, ut ait cardinalis de Lugo, pendet a diversis legibus, quibus singulis rebus vel juribus, varia tempora praefixa sunt, quod propius pertinet ad juristas, nec aliquid continet disputatione dignum. Res porro aliae mobiles dicuntur, quae loco moveri possunt, ut vestes, animalia, naves etc. Immobiles quae loco moveri non possunt, ut praedia, domus etc. ad quas revocatur ipsa jura, idque merito, quia cum haec locorum spatiis non circumscribantur, multo minus loco moveri posse intelliguntur. Tales sunt servitutes, census, ususfructus etc.

1. Itaque res mobiles cum titulo praescribuntur elapso triennio, licet sint res Ecclesiae. l. 2. instit. 6. §. *jure civili*. Authent. *Quas actiones* cod. de sacros. eccles. Excipiendae res furtivae et iniqua violentia acceptae, ad quarum usucapionem, in cujuscumque manus ut Layman docet quocunque titulo veniant 40. anni requiruntur, §. *furtivae* eodem tit. Deficiente porro titulo res mobiles usucapiuntur 30. anno-

rum spatio, quae communis est sententia apud Molinam disp. 68.

2. Res immobiles cum titulo usucapiuntur inter praesentes decennio, inter absentes viginti annorum spatio. Praesentes autem dicuntur degentes in eadem provincia, sublato vero titulo res immobiles usucapiuntur tempore longissimo 30. 40. 60. vel 100. annorum pro differentia eorum adversus quos usucapio procedit. De immobilibus piorum locorum, hospitalium, monasteriorum, et quarumlibet inferiorum ecclesiarum, ad praescriptionem sive inter praesentes, sive absentes, sive cum titulo, sive titulo 40. anni requiruntur ex cap. *Illud extra* de praescriptionibus: pro rebus vero ad ecclesiam romanam pertinentibus centenaria praescriptio ex cap. *Ad audientiam.* 13. eodem titulo.

Quod porro attinet ad res quae praescribi necne possunt, eas leviter attingere parum utilitatis habet, singulas autem percensere, atque in iis insistere longiorem postulat disputationem; quod idem dicendum de remediis et restitutionibus adversus praescriptionem, quae justa ex caussa quandoque locum habent aliunde cum haec sint juribus definita, in his accurate tractandis versantur jurisconsulti, nobis pro angustiis temporis ad ea properandum, quae propius nostrum institutum attingunt.

CAPUT IX.

De proventuum ecclesiasticorum dominio.

Bona clericorum alia sunt patrimonalia, quo nomine illa omnia significantur, quae clericis haereditate, arte, donatione etc. obveniunt: atque horum quidem dominium penes clericos posse consistere nulla dubitatio est. Alia sunt quae intuitu ecclesiae aut ecclesiastici muneris percipiunt; eademque adhuc in duplici differentia constituuntur: nam alia clericis ipsis tribuuntur in sustentationis stipendium, velut ob conciones, mysteria celebranda etc. Alia vero sunt reditus ipsi et proventus, quos ex beneficiis ecclesiasticis percipiunt, velut etiam emolumenta, quae ipsis beneficiis annexa sunt. De bonis hujusmodi ecclesiasticis, praesertim vero de postremis gravissima quaestio instituitur, utrum clerici eorum vero jure domini sint, an tantum dispensatores.

Et quidem ut gravissime docet Benedictus XIV. de Synodo dioeces. lib. 7. cap. 2. n. 4. « Certum est teneri clericos beneficiarios reditus, quos ultra sui honestam sustentationem ab ecclesia percipiunt distribuere in pauperes, aliave pia opera erogare, nec posse absque gravi peccato in convivia, laudos, venationes et similes profanos usus impendere, aut consanguineis elargiri, nisi tamquam pauperes sint, et tunc, ut minus egeant, non ut ditescant ». Atque hoc passim theologi omnes confitentur, sive paullo vetustiores qui solam in clericis dispensationis facultatem circa bona ecclesiastica agnoverunt, sive recentiores illi, qui dominium etiam attribuerunt. Atque hinc effectum est, ut nonnulli censeant non admodum magni momenti esse controversiam hanc, sicque profiteantur cum Bellarmino epist. ad Theanensem episcopum: « Non disputo quaestionem illam, an praelati sint vere domini redituum ecclesiasticorum, et an teneantur restituere, quae male expenderunt. Parum enim refert, utrum praelatus damnetur ad inferos, quia peccavit contra justitiam, an quia peccavit contra charitatem, non bene distribuendo facultates suas. Solum quaero in quos usus debeat expendere suas facultates ecclesiasticas, ut non amittat vitam aeternam. » Nihilominus quod hoc loco de restitutione injicitur satis admonet, quam sit haec necessaria disputatio. Etenim beneficiarius, qui suos reditus in profanos usus perperam expenderit, si horum proprio nomine dominus est, nec tenetur ex justitia proprie dicta quidquid superest ad honestam sustentationem erogare in pauperes aut alia pia opera; ei beneficiario resipiscenti sola poenitentia satis consultum erit, nulla restitutione. Sin tantum dispensator est, etiam de restitutione ecclesiae facienda tenebitur, quam facere debebit ex bonis patrimonialibus, si quae habet, aut aliqua subtrahendo eorum quae faciunt ad decentiam status, quaeque adeo licite posset alioquin in suos usus insumere. Tum etiam quibus ille inconsulta largitione proventus ecclesiasticos tribuerit, ii utpote rei alienae detentores ad restitutionem tenebuntur, juxta communes regulas, quae de restitutione tradi solent a doctoribus. Tanti interest in hujus disputationis explicationem diligentissime incumbere.

Ut vero luculentius pateat quid sit de tota caussa ratione sentiendum, breviter perstringenda sunt, quae pertinent ad quadruplicem veluti statum ecclesiasticae disciplinae circa bona

ecclesiastica. Primo tempore non alios habuit Ecclesia proventus praeter oblationes fidelium. Ab apostolicis usque temporibus christiani possessiones suas vendere consueverant, earumdemque pretium ad apostolos deferre, qui deinceps diaconorum opera in singulos quod opus esset distribuerent. Nulla tamen lege fideles ad possessiones dimittendas, et ad vitae communionem profitendam adstringebantur, sed libero pioque voluntatis proposito; interdum vere etiam ipsi se promissione ac voto adstringebant, ut colligitur ex facto Ananiae et Saphirae Act. apostolic. cap. 5. Notat porro Thomassinus de Beneficiis part. 3. lib. 1. cap. 1. num. 12. divendita fuisse praedia in Judaea, quod diutius ibi ea retineri non possent, cum a judaeis ad gentiles traducenda mox esset ecclesia. Quod etiam colligitur ex C. *Futuram* 12. q. *Futuram ecclesiam in gentibus apostoli praevidebant, idcirco praedia in Judaea minime sunt adepti, sed pretia tantummodo ad fovendos egentes.* Cum autem nec ubique fideles possessiones suas divenderent, ut ex earum deinde pretio communiter viverent, nec Hierosolymis ipsis mos ille diu viguerit, hinc ut juri naturali ac divino satisfieret, quo qui altari serviunt de altari vivere debent, institutae sunt et oblationes et collectae. Duplicis generis fuisse oblationes declarant canones apostolici. Aliae enim ad altare offerebantur, aliae deferebantur in domum episcopi. Harum porro inter clericos partiendarum penes episcopos et presbyteros cura erat et potestas. Itaque solis tunc distributionibus clericorum proventus constabant, nullo fundo ipsis attributo; omnia scilicet in commune ecclesia possidente, et singulis quo egerent suppeditante. De collectis porro luculenta extant testimonia actuum apostol. cap. 11. I. ad Corinth. cap. 16. etc. De quibus etiam Justinus Martyr apol. 2. testatur fideles omnes quolibet dominico die ad solemne sacrum convenientes eo expleto pro facultatum modo quod visum esset contribuere solitos in aerarium sacrum: *Et quod ita colligitur, apud praepositum deponitur, atque inde opitulatur pupillis et viduis etc.*. Hoc aerarium ecclesiasticum Tertulliano *Arca* dicitur, Cypriano *Corbona*, concilio Eliberatano *Concha*; cujus prima forma conspicitur in loculis quos dominus habuit testante Augustino in Evang. Joan. tract. 62.

Succedente porro tempore coepit ecclesia fundos habere, quorum administratio penes episcopos erat, qui ex eorum annuis reditibus ecclesiae, clericorum, ac pauperum necessitati-

bus providebant. Ecclesiasticarum hujusmodi possessionum initium ad Constantini Magni tempora referunt collationes parisienses de usura, et restitutione tom. 4. pag. 394. Verum antiquius esse constat, siquidem Alexander Severus auctore Lampridio christianis ecclesiam addixit, quam sibi popinarii vindicare nitebantur. Eusebius vero refert legem Constantini, qua ecclesiis restitui jubet domos, possessiones, agros, hortos, quibus saeviente persecutione spoliata fuerat. Pace autem ecclesiae per Constantinum reddita cum ejus munificentia, tum fidelium pietate opibus et possessionibus ecclesias plurimum auctas fuisse constat. Quod autem haec omnia in commune possiderentur, summaque totius administrationis penes episcopum esset evincitur et communi antiquiorum patrum auctoritate, et anathemate, quo Gangrense concilium percellit eos, qui res ecclesiae vel dederint vel acceperint, praeter episcopum, et eum cui episcopus dispensationis curam commiserit; tum etiam ex concil. Antioch. an. 341. can. 24. et 25.

Tertio successit celeberrima illa quadripartita proventuum divisio, qua pars una episcopo tributa est ad statum sustentandum, hospitalitatisque munia exercenda, altera clericis, tertia pauperibus, quarta sartis tectis ecclesiae addicta. Hanc divisionem eo consilio institutam fuisse animadvertunt, ut certa proposita regula aequitas in distributionibus faciendis constantius, et ex utilitate ecclesiae servaretur, minusque loci relinqueretur gratiae aut cupiditati: Nonnulli argumento ducto ex collectione Isidori hujus divisionis institutionem ad initia quarti seculi, S. Sylvestro pontificatum gerente, referunt; verum plerisque eruditis haud satis firmum hoc videtur argumentum. Certum vero ejus monumentum primum habetur quinto labente seculo epist. 9. Gelasii I. cap. 29. relata a Gratiano caus. 12. q. 2. c. 27. ubi scribit: *Quatuor autem tam de reditu, quam de oblatione fidelium, prout cujuslibet ecclesiae facultas admittit, sicut dudum est rationabiliter decretum, convenit fieri portiones; quarum sit una pontificis, altera clericorum, tertia pauperum, quarta fabricis applicanda.* Quod autem de hac divisione pontifex loquatur tamquam dudum decreta, facit ut merito ejus institutio non longe a quinto ineunte seculo sit repetenda. Gelasii decretum confirmat S. Gregorius I. sexto seculo epistola ad Augustinum Anglorum apostolum, atque ad Maximianum episcopum Syracusanum, cui mandat, *Ut sive de praeteritis reditibus, sive de iis qui jam*

obvenerunt, vel obvenerint, quartae secundum distributionem canonicam dispensentur. Minime vero arithmetica ratione seu per aequales partes haec fiebat distributio, sed varia fuit pro diversa locorum ac temporum consuetudine, et conditione, quae modo majorem portionem in pauperes, modo majorem in clericos, pro illorum vel ipsorum majore indigentia vel numero erogandam postulabat. Ejus autem portionis sive quae clericis, sive quae pauperibus obtingere debebat, administratio adhuc et distributio penes episcopum erat. Ita ex S. Gregorio lib. 7. epist. 8. *Volumus ergo, ut quidquid ecclesiae tuae ex reditu vel quolibet alio titulo fortassis accesserit, quartam exinde portionem sine diminutione aliquas debeas segregare, atque eam secundum Dei timorem presbyteris, diaconis, ac clero, ut tibi visum fuerit, discrete dividere, ita sane ut unicuique sint meritum laboris exegerit, libera tibi sit juxta quod praevideris largiendi licentia: quatenus et hi qui merentur, etiam temporali se sentiant hoc commodo consolari, et alii adjuvante domino eorum ad melius contendant imitatione proficere.* Quod attinet ad portionem pauperibus distribuendam constat ex ejusdem epist. 29. lib. 9. Similiter pecuniam fabricae assignatam penes episcoporum depositam mansisse habetur ex lib. 1. ep. 8.

Postea presbyteris et clericis ecclesiastico munere fungentibus et bene de ecclesia meritis episcopi fundos concedere coeperunt, quos excolerent, et e quibus fructus necessarios caperent. Hinc origo beneficiorum. Beneficium, ut ait Ducange in Glossario, scriptoribus mediae aetatis dicitur praedium fiscale, quod a rege, vel principe, vel alio quolibet ad vitam viro nobili utendum conceditur, ita appellatum quod ex dantis liberalitate obtineatur. Notatque eadem pene significatione hanc vocem a latinis usurpatam, dum praedia, quae principes militibus aliisque largiebantur, beneficia appellarunt. Hinc porro id vocabulum traductum ad significanda praedia quae clericis tamquam ecclesiae militibus attribuebantur. Ita fere Baronius ad annum 502. Sic porro res inducta videtur. Paullatim commodi caussa presbyteri oblationes sibi arrogare coeperunt in ecclesia propria factas, quae antea dividendae ad episcopum deferebantur: tum etiam res ecclesiasticae ipsae dividi parsque fundorum presbyteris ecclesias regentibus assignari. Cum autem primitus comparatum fuisse videatur ut ipsae res ecclesiae jure beneficiario clericis concessae, tantum ad eorum vitam datae censerentur, ipsasque non jure tituli,

sed jure personali haberent, ipsisque defunctis integrum esset episcopo de illis disponere, eas prout sibi videretur vel uni attribuendo vel inter plures dividendo; deinceps mos invaluit, ut jus percipiendi fructus ex certis fundis ipsismet ecclesiis annecteretur, quibus presbyteri praeerant, et clerici ministrabant: ita ut qui titulum haberet, jus quoque fructus percipiendi ex bonis titulo annexis consequeretur; quae disciplina tandem universe obtinuit. Hinc in beneficio duo spectanda, officium, seu titulus, et jus percipiendi fructus titulo annexos. Quo factum est ut canonistae in id jus intenti beneficium definiant: jus perpetuum fructuum percipiendorum ex bonis ecclesiasticis propter officium spirituale auctoritate ecclesiae constitutum. Theologi vero ipsius magis officii rationem habentes definiant: jus perpetuum in ecclesia ministrandi legitima auctoritate constitutum, habens jus percipiendi fructus annexos. Quae tamen definitiones in unum idemque racidunt.

Quadruplex itaque status disciplinae circa bona ecclesiastica distingui potest, unus perfectae communitatis, qui primus non inter clericos tantum sed et inter fideles viguit: alter est distributionis bonorum ecclesiasticorum consilio et arbitrio episcopi faciendae, qui clericis etiam extra communitatem viventibus necessaria suppeditaret: tertius assignationis redituum in quatuor partes; postremus divisionis bonorum ecclesiasticorum in beneficia.

Tria vero hic sunt animadvertenda. 1. In ea successione tametsi ordo disciplinae aliquantum, sit inflexus ipsam tamen semper firmam constitisse disciplinae mentem et sententiam; prout tradit Thomassinus parte 3. lib. 2. cap. 13. Nam ante distinctam assignationem proventuum Ecclesiae in quatuor partes, eo spectabat disciplinae ratio ut de bonis Ecclesiasticis, quae patrimonia pauperum dicuntur, quidquid superesset frugali ac decenti Episcopi et cleri sustentationi, ac templorum cultui totum in pauperes erogaretur. Atque haec eadem disciplinae sententia et mens inductis portionibus firma constitit; siquidem ea lege sunt illae portiones ministris attributae, ut eamdem naturam servarent, atque ipsum totum ex quo decerptae fuerunt; atque adeo ministri nunquam soluti fuerint obligatione in pios usus expendendi, quidquid eorum decenti sustentationi pro ratione status superest. Licet enim prisca disciplinae pietas in pauperes detrimentum accepisse videatur ex inductis partitionibus; eo quod ex primae-

vis et antiquissimis ecclesiae institutionibus ita sint patrimonia pauperum; ut ex iis nihil prorsus attingerent clerici et episcopi, nisi pauperes essent; eaque ipsa nonnisi qua pauperes decet frugalitate attingerent; quin nonnulli ut patrimonio pauperum parcerent, labore manuum sibi vitae necessaria compararent; insuper multi cum clero initiabantur suas ecclesiae dicarent haereditates; aliqui etiam cum episcopo communis vitae societate vincirentur; quae omnia inductis partitionibus everti videntur; adhuc tamen, ut notat egregius scriptor, pulcherrima ratio superest conciliandae hujus partitionis cum primigenia apostolicorum temporum purissimaque disciplina; si intelligamus illas episcopi, illas cleri portiones, portiones semper esse patrimonii pauperum; adeoque ubi episcopi et cleri necessitatibus modeste et frugaliter provisum est, reliqua pauperum esse. Una enim et eadem constat natura harum partium atque totius: utque ante partitionem, ita et postea pauperum est tota ea substantia. Decretis ecclesiae provisum est, ut quarta saltem par ecclesiae redituum pauperibus erogaretur, sed non statim absoluti sunt beneficiarii inconvulsis illis legibus, et clero ipsi et ecclesiae rei affixis, ut necessario contenti sint, ut residua largiantur egentibus, frugali sustentationi acquiescant, reliqua dispergant in pios usus, luxum fugiant; paupertatem magni faciant; ita fixum animo et persuasum habeant furti et sacrilegii flagitio implicari, qui de pauperum patrimonio ditescunt. Haec ecclesiasticae disciplinae constantissima sunt placita, nec ullis temporum vicibus, nec partitionum quibuscumque legibus mutabilia. Ita Thomassinus.

Alterum est quod Theologis passim assentientibus docet Benedictus XIV, de synodo dioces. lib. 7. cap. 2. n. 3. his verbis: certum est, inquit, ante factam divisionem bonorum ecclesiasticorum, debuisse episcopum, ad quem pertinebat eorumdem administratio, partem singulis assegnatam fideliter elargiri, nec potuisse absque violatione justitiae commutativae, pauperes fraudare ea quarta parte proventuum, quae juxta ejus aevi disciplinam erat pauperum indigentiis sublevandis destinata; quod quidem onus ex eadem perfluens justitiae virtute, iis in locis, in quibus nondum facta est praedicta divisio, etiamnum incumbit episcopis, abbatibus, aliisve beneficiariis, quorum ecclesiasticis reditibus sunt illi admixti, pauperibus ac ecclesiae fabricae juxta priscam institutionem at-

tributi; ex quibus propterea si aliquid sibi usurpent, sunt injusti rei alienae detentores, et tenentur ad restitutinem.

Hinc porro 3. notandum non ubique talem divisionem obtinuisse, atque adeo plurimis in locis incertum esse hoc tempore utrum facta fuerit nec ne. Qua de re audiendus doctissimus Molina tom. 1. de just. et jure tract. 2. disput. 144. ubi ait. » Quando reditus episcopatus notabiliter supe-» rant competentem episcopi sustentationem, neque in epi-» scopatu aut alibi comperiuntur pia opera perpetua de bo-» nis immobilibus ab episcopali mensa praecisis erecta, mul-» tum verisimile est quartam illam cum episcopi reditibus » esse permixtam, tenerique episcopum de justitia insumere » in pauperum elemosinis aliisque operibus piis partem suo-» rum redituum prudentis arbitrio majorem vel minorem » spectatis circumstantiis ». Haec ille, quae quidem suapte natura ad reliqua omnia beneficia pertinent, quorum reditus multo sunt ampliores, quam qui ad beneficiarii honestum et ecclesiasticum vitae cultum requiruntur. Ex quo jam sequitur consectarium maximi momenti proxima propositione explicandum.

PROPOSITIO I.

Quibus in locis non constat factam esse memoratam divisinem quadripartitam, non possunt beneficiarii arrogare sibi dominium proventuum ecclesiasticorum, sed debent se gerere tamquam meri dispensatores; peccantque contra justitiam commutativam, qui in profanos usus perperam eos proventus insumunt.

Pr. Ubi non est ea facta divisio, clerici non sunt nisi meri dispensatores proventuum quos ex beneficiis percipiunt. Constat auctoritate Benedicti XIV, animadversione secunda superius proposita. Ergo idem sentiendum ubi non constat, sive ubi dubium est, num ea sit divisio facta necne. Conseq. probatur generali regula de tutiore parte in dubiis eligenda; quae sane hic locum habere debet vel ex ipsis probabilistarum decretis. Agitur enim de dubio facti, utrum reditus sint divisi, an adhuc permixti: in hoc dubio possessio stat pro permixtione; nam status permixtionis praecessit statum divisionis, statque adeo etiam possessio pro lege, quae stante

permixtione beneficiarios adstringit vi justitiae commutativae, ne in usus profanos perperam ecclesiasticos reditus impendant. Ergo in tali dubio standum pro lege seu parte tutiore, peccantque adeo contra justitiam commutantem et ad restitutionem tenentur, qui beneficiorum reditus profane consumunt, in dubio quod multis sane locis obtinet, num divisio facta fuerit, et a fortiori ubi ex regula Molinae animad. 3. admodum verisimile non eam factam fuisse.

PROPOSITIO II.

Quadripartita memorata divisio minime mutavit naturam bonorum ecclesiasticorum, nec mentem ipsam disciplinae circa eorumdem usum; atque adeo etiam post divisionem beneficiarii non sunt nisi meri dispensatores ecclesiasticorum proventuum, peccantque contra justitiam commutantem, qui eos in profanos usus perperam insumunt.

Pr. Sancti patres, quin etiam summi pontifices et concilia post divisionem factam de bonorum ecclesiasticorum natura et usu eamdem prorsus et sentiendi et loquendi rationem retinuerunt, quae constanter in ecclesia viguit vel ante divisionem. Atqui ante divisionem certum est clericos non dominos, sed meros dispensatores fuisse proventuum ecclesiasticorum. Ergo etc.

Primo itaque Julianus Pomerius qui sexto saeculo floruit, cujus opus elegans de vita contemplativa omniumque pene laudibus celebratissimum extat inter opera S. Prosperi lib. 2. cap. 9. *Non enim*, inquit, *propriae sunt sed communes ecclesiae facultates.* Tum propositis SS. Paulini et Hilarii exemplis, qui rebus suis dimissis et in pauperes erogatis ad episcopatum accesserant, ait: *Unde datur intelligi quod tanti ac tales viri (qui volentes fieri Christi discipuli renunciaverunt omnibus quae haberent) non ut possessores, sed ut procuratores facultates ecclesiae possidebant. Et idcirco scientes, nihil aliud esse res ecclesiae, nisi vota fidelium, pretia peccatorum, et patrimonia pauperum non eas vindicarunt in usus suos ut proprias, sed ut commendatas pauperibus diviserunt.* Atque haec quidem definitio qua facultates ecclesiae vota fidelium, pretia peccatorum, patrimonia pauperum ducuntur, facultatum earum naturam et conditionem recte adeo et pulchre

exprimere visa est, ut eam deinceps ecclesiastici scriptores communi usu comprobarint. Unde in concilio Aquisgranensi anni 803. relato a Gratiano caus. 16. q. 1. can 57. dicitur: *Quia juxta sanctorum patrum traditionem novimus res Ecclesiae vota esse fidelium, pretia peccatorum etc.* Et sane quatenus quae dantur ecclesiae ipsi Deo offeruntur recte facultates ecclesiae ex oblationibus provenientes vota fidelium vocantur. Unde concilium Valentium an. 855. can. 21. ad hanc appellationem respiciens concludit: » Si eas fideliter et integre » ecclesiasticis usibus non defendimus et in eos qui obtule» runt, et in Deum cui oblatae sunt gravissimo nos reatu » implicamus ». Recte insuper dicuntur pretia et redemptio peccatorum, quia fideles temporalia Deo offerunt, ut piis operibus et eleemosinis peccata sua redimant. Recte demum propterea dicuntur patrimonia pauperum: ea quippe fuit, ut vidimus, ab apostolicis temporibus ecclesiae mens et sententia ut quidquid de proventibus ecclesiasticis honestae ac frugali clericorum sustentationi superesset, totum in pios usus, et maxime in pauperes alendos erogaretur. Neque sane alia est intentio fidelium dum bona sua ecclesiae consecrant, nec alia intentione ecclesiae facultates a fidelibus oblatas acceptat.

Hinc efformari potest hujusmodi argumentum. Ideo ante divisionem episcopos proventuum ecclesiasticorum dominio caruisse inter doctores convenit, quia res ecclesiae sunt vota fidelium, atque adeo res Dei et patrimonia pauperum, quarum proinde rerum non poterant esse nisi meri dispensatores; etenim quisquis alieni patrimonii curam gerit, dispensator esse potest, non Dominus. Atqui post divisionem res ecclesiae non desierunt esse vota fidelium, pretia peccatorum, patrimonia pauperum. Ergo etc. Argumentum confirmabitur si priorum patrum et doctorum, quin et conciliorum dicta comparentur cum dictis et decretis posteriorum. S. Augustinus ante divisionem factam Epist. 50. *Si privatim quae nobis sufficiant possidemus, non sunt illa nostra, sed pauperum, quorum procurationem quodammodo gerimus, non proprietatem nobis damnabili usurpatione vindicamus.* Post divisionem S. Gregorius L. 5. Ep. 15 de facultatibus ecclesiae loquens ait: *Res pauperum sunt.* S. Bernardus super haec verba: ecce nos reliquimus omnia, haec habet: *Sunt patrimonia pauperum facultates ecclesiae: sacrilega eis crudelitate surripitur*

quidquid sibi ministri et dispensatores non utique Domini vel possessores ultra victum accipiunt et vestitum. Non figurata sed plana et dilucida oratione Bernardus profitetur beneficiarios non esse dominos et possessores, sed dispensatores tantum et ministros facultatum ecclesiae. S. Raymundus in summa l. 2. tit. de raptorib. §. 6. eos, qui bona ecclesiae in usus illicitos consumunt, inter raptores enumerat, et §. 8. declarat illos esse restituendi obligationi obnoxios. S. Antoninus p. 3. tit. 15. c. 1. §. 19. « Quidquid clerici habent pauperum est, » unde ad restitutionem tenentur omnium pauperibus vel in » utilitatem ecclesiae. »

Quod attinet ad concilia et canones, extat in decreto caus. 12. q. 1. canon. *Rex ecclesiae* Urbani I, nomine inscriptus, atque ad annum 222. relatus ubi legitur: *Res ecclesiae non quasi propriae sed ut communes et domino oblatae, cum summo timore non in alios, quam praefatos usus fideliter dispensandae.* Concil. vero Cartaginense 4. seculo 4. statuitur, ut *Episcopus, rebus ecclesiae, tanquam commendatis, non tanquam propriis utatur.* In eamdem porro sententiam Seculo 9. concil. Turon. 3. *Illisque ita utantur non ut propriis, sed ut sibi ad dispensandum commissis*, et Cabilon. 2. *Quia res ecclesiae, quibus episcopi non ut propriis, sed ut commendatis uti debent, pretia sunt peccatorum, patrimonia pauperum.* Seculo 12. Alexander III, scribens ad episcopum parisiensem cap. *Fraternitatem* de donationibus. *Cum episcopus et quilibet praelatus ecclesiasticarum rerum sit procurator et non dominus.*

Luculentissimum porro ejusdem rei argumentum peti potest ex trident. Concilio ses. 25. de reformat. cap. 1. Licet enim quaestionem expresse definire noluerit, ut videre est apud cardinalem Pallavicinum historiae lib. 24. cap. 3. tamen nil vetat ex ejus dictis argumento theologico conclusionem eruere quae menti ejus ac sententiae videatur accommodatissima. Ait porro Tridentinum: *Omnino vero eis interdicit, ne ex reditibus ecclesiae consanguineos familiaresve suos augere student: cum et apostolorum canones prohibeant, ne res ecclesiasticas, quae Dei sunt consanguineis donent, sed si pauperes sint iis ut pauperibus distribuant.* Igitur tridentina sinodus eo plane sensu res ecclesiasticas declarat Dei esse, quo sensu id pridem est canonibus apostolicis constitum. Porro canone apostolico 39. legitur: *manifestae sunto privatae res*

episcopi, si modo et privatas habet: manifestae item sunto dominicae, ut privatas quidem res episcopus, cum moritur, quibus vult, et quomodo vult, relinquendi facultatem habeat. De rebus porro dominicis quae sunt res ecclesiae praecipitur canone sequenti ut subsint dispensationi episcopi, ut cum timore Dei summaque sollecitudine erogentur in pauperes. Manifestum est itaque canonem apostolicum sic distinguere rem episcopi familiarem, seu bona ejus patrimonialia, a rebus ecclesiae quas vocat res dominicas seu res Dei; ut rerum privatarum seu patrimonialium plenum dominium in episcopo agnoscat, nullum autem dominium sed solam dispensationem quod attinet ad res ecclesiasticas seu dominicas. Ergo idem videtur valde consentaneum esse concilio tridentino, quod ex mente et sententia canonum apostolicorum res ecclesiae declarat esse res Dei seu dominicas.

Prob. Insuper nostra propositio altero argumento ducto ex ipsa notione dominii. Dominium enim iportat plenam facultatem disponendi de rebus in proprium commodum, nisi quid lege prohibeatur. Atqui beneficiarius non habet plenam facultatem in proprium commodum disponendi de proventibus decenti suae sustentationi superfluentibus. Ergo non eorum habet dominium. Minor probatur. Hanc enim facultatem non habet neque ex concessione fidelium qui beneficia fundarunt, qui nempe bona sua dicarunt Deo ipsi piis operibus insumenda ad peccata redimenda; unde in sua concessione non spectarunt primario ipsum commodum beneficiarii, ut postulat notio dominii, sed ejus sustentationem et pium usum bonorum per eum faciendum, quod pertinet ad dispesationem, neque porro ecclesiae institutione in conferendis beneficiis, quandoquidem ecclesiae semper fuit mens et sententia, ut constat ex superius dictis, ut beneficiarii non aliud sibi arrogent de proventibus ecclesiasticis quam quod necessarium est ad honestum et frugalem vitae cultum; reliqua impendant in pios usus. Ergo nullo ex capite beneficiarii vindicare sibi possunt dominium bonorum ecclesiasticorum.

Atque ut superius dicta summatim complectamur, haec sane videntur veritati admodum consentanea. 1. Si per divisionem non fuit mutata natura bonorum ecclesiasticorum, nec imminuta obligatio quidquid ex eis superesset in pauperes erogandi, illud est consequens ut quemadmodum ante divisionem episcopi non erant Domini, sed solum dispensatores proven-

tuum ecclesiasticorum, atque adeo virtute justitiae obligabantur, ne illos profane prodigerent; sic etiam post divisionem beneficiarii dispensatores manserunt eorumdem proventuum, cum eadem obligatione justitiae. 2 Divisionem sive in portiones sive in beneficia non potuisse immutare naturam horum bonorum, nec obligationem minuere, quae antea erat, sine ipsiusmet ecclesiae consensu. 3. De hoc consensu nullo tot pontificum aut conciliorum decreto, nulla sanctorum patrum auctoritate constare, sed potius oppositum; ut vel solo D. Gregorii testimonio mox proferendo patebit. 4. Incredibile videri sanctissimos pontifices per divisionem in portiones et fundos detrahere quicquam voluisse de obbligatione justitiae quae perpetuo antea in ecclesia viguerat in pios usus erogandi quidquid superesset decenti ministrorum statui; qua sublata obligatione facilius pravorum ministrorum cupiditas irritari poterat ad abutendum bonis ecclesiasticis, utpote qui scirent nullam sibi restitutionem faciendam incumbere; et consequenter minus consulebatur caussae pauperum, quos impense semper pia mater ecclesia fovit. Et sane quando presbyteri, maxime qui ab episcopali sede remotiores erant, oblationes in propria ecclesia factas arrogare sibi coeperunt, quae antea dividendae ad episcopum deferebantur, idque ad grave incommodum vitandum; ex quo ut superius innuimus videtur beneficiorum origo repetenda; quandoquidem id consentiente episcopo, atque adeo jure factum esse intelligendum est. Profecto nemo sibi persuaserit episcopos eam facultatem cupiditati ministrorum potius quam justae necessitati tribuere voluisse: ex quo sequitur presbyteros ea obtenta facultate eumdem usum harum rerum facere debuisse, quem fecisset episcopus, si ad eum delatae fuissent. Unde satis intelligitur per divisionem in portiones et fundos non fuisse mutatam proventuum ecclesiasticorum naturam?

Probatur praeterea ex disciplina ecclesiae circa testamenta clericorum. Clericis certe nullam facultatem fuisse de rebus testandi, quas intuitu ecclesiae obtinuissent, nil tota antiquitate constantius. Satis fuerit referre C. *Quorumdam* de testamentis ex Gregorio Magno depromtum, quo S. Pontifex admonitus de testamento, quo episcopus Atellianae civitatis magna parte suae substantiae nurum haeredem instituerat, praecipit Antonio subdiacono, ut sollicite hoc discutiat, additque: *Quidquid ipsum habuisse patuerit a qualibet persona detineri*

nullatenus patrias nisi hoc solum quod eum ante episcopatus ordinem habuisse constiterit. Quidquid vero ecclesiae ante ipsius consecrationem fuisse cognoveris, vel in episcopatus ordine praedictum episcopum acquisivisse in ejusdem ecclesiae dominio conservetur. Ex quo patet quidquid de proventibus ecclesiasticis testamento legatum fuisset non solum illicitum, sed irritum fuisse: ubi etiam notandum S. Gregorium, dum praecipit in ecclesiae dominio conservari quidquid epicopus acquisierit in episcopatus ordine, satis ostendere vivente adhuc episcopo hoc ipsum fuisse in dominio non episcopi sed ecelesiae. Idem duodecimo quoque seculo obtinuisse constat ex concil. Lateranensi an. 1179. ut ex cap. 7. de testamentis, et ex decreto Alexandri III. an. 1180. cap. *Quia nos*, ubi dicitur: *licet clerici de his, quae paternae successionis vel cognationis intuitu, aut de artificio sunt adepti, seu dono consanguineorum, aut amicorum non habito respectu ad ecclesiam, pervenerunt ad ipsos, libere disponere valeant. De his tamen quae consideratione ecclesiae perceperunt, nullum de jure possunt facere testamentum.* Atque hoc de mobilibus intelligendum esse expresse confirmatur cap. *Relatum est* eodem titulo. Igitur multis etiam seculis post divisionem ecclesia nullum in clericis dominium agnovit circa proventus ecclesiasticos, siquidem de illis libere disponendi per testamentum nec licite nec valide facultatem ullam habuerunt. Ruit itaque fundamentum oppositae adversariorum sententiae, qui ex ipsa divisione originem repetunt domini clericorum in proventus ecclesiasticos. Equidem vel ipsis Alexandri III temporibus jam invalescere consuetudo coeperat, quae clericis facultatem faciebat aliquid in pios usus de proventibus ecclesiasticis testamento conferendi; eaque consuetudo quam Alexandro non improbandam ait, jure deinceps confirmata est. Demum circa XV seculum invaluit facultas testandi de reditibus ecclesiasticis. Minime tamen putandum hac facultate mutatam esse bonorum ecclesiasticorum naturam, aut mentem disciplinae circa eorum dispensationem et usum. Etenim cum plurimam difficultatem haberet discussio facienda, ut bona clericorum privata seu patrimonialia secernerentur ab iis, quae intuitu ecclesiae obtinuissent, atque ex ea discussione ingentes lites exorirentur, maluit ecclesia ad ejusmodi perturbationes vitandas delectum ejusmodi relinquere ac permittere conscientiae testantium clericorum; quos tamen admonere non desti-

tit res ecclesiae nonnisi in pios usus conferendas esse. Minime proinde sequitur ex hac tacita facultate dominium clericis acquisitum fuisse in proventus ecclesiasticos, sed solum ipsorum conscientiae relictum fuisse delectum inter bona sua privata et res ecclesiae in testamenti condendis. Et sane quod nec licite nec valide ad XII usque seculum clerici de proventibus ecclesiasticis testari potuerint luculento argumento est nullos eos in tales proventus dominium habuisse; quod vero deinceps testandi consuetudo tolerata fuerit, minime probat clericos illud dominium acquisiisse: siquidem haec facultas testandi non abstulit obbligationem conferendi res ecclesiasticas in pios usus, ut constat certissime, sed eam obligationem reliquit, qualis erat. Erat porro, ut probatum est, obligatio justitiae. Ergo etc.

Prob. demum auctoritate S. Thomae. Nam licet non est diffitendum quibusdam locis videri posse sanctum doctorem favere oppositae sententiae, tamen si doctrinae ipsius tota ratio penitius inspiciatur videbitur potius ad nostram accedere. 1. luculentissimum extat testimonium 2. 2. q. 43. art. 8. *Circa bona temporalia distinguendum est: aut enim sunt nostra, aut sunt nobis ad conservandum pro aliis commissa, sicut bona ecclesiae committuntur praelatis.* 2. Q. 100. art. 1. 7. de ipso summo pontifice ait: *Quamvis res ecclesiasticae sint ejus ut principalis dispensatoris, non tamen sunt ejus ut domini et possessoris.* 3. lect. 5. in cap. 12. secundae ad Corinth. occurrens huic objecto, videri quod male fecerint principes et alii dando divitias praelatis, ait: dicendum quod non dederunt praelatis propter se sed propter pauperes, et ideo non dederunt eis sed pauperibus. Praelatis autem dantur tanquam pauperum dispensatoribus.

In eamdem sententiam loquitur 2. 2. q. 185. art. 7. qui locus aliqua expositione indigere videtur. Ait S. Doctor: *Quod aliter est dicendum de propriis bonis quae episcopi possidere possunt, et de bonis ecclesiasticis. Nam propriorum bonorum dominium habent . . . Sed ecclesiasticorum bonorum sunt dispensatores vel procuratores.* Hic certe generatim et perspicue S. Thomas negabat bonorum ecclesiasticorum dominium esse penes beneficiarios; siquidem non alia hic nota distinguit bona episcopi propria a bonis ecclesiasticis, nisi ratione dominii quod in episcopo agnoscit circa bona propria; non circa ecclesiastica quorum episcopos ait esse dispensatores.

Ex hac igitur tam aperta sententia eruenda juxta crititicae leges interpretatio reliquorum, quae obscurius dicta videri possent. Pergit porro S. Doctor dicere in dispensatore bonam fidem requiri; atque in dispensatione bonorum ecclesiasticorum non solum pauperum sed et cultus divini et ministrorum rationem habendam pro eorum necessitate ac merito. Tum triplicem statuit propositionem pro triplici ratione qua proventus ecclesiastici considerari possunt. 1. *Si distincta sint bona quae debent in usum episcopi cedere ab his quae sunt pauperibus et ministris et cultui ecclesiae eroganda, et aliquid sibi retinuerit episcopus de his quae sunt pauperibus eroganda, vel etiam in usum ministrorum aut in cultum divinum expendenda, non est dubium quod contra fidem dispensationis agit, et mortaliter peccat, et ad restitutionem tenetur.* 2. Subdit. *De his autem quae sunt specialiter suo usui deputata, videtur esse eadem ratio, quae est de bonis propriis, ut scilicet propter immoderatum affectum et usum peccet quidem si immoderata sibi retineat, et aliis non subveniat, sicut requirit debitum charitatis.* 3. Denique constituit: *Si vero non sunt praedicta bona distincta, eorum distributio fidei ejus committitur. Et siquidem in modico deficiat vel superabundet, potest hoc fieri absque bonae fidei detrimento, quia non potest homo in talibus punctualiter accipere illud quod fieri oportet. Si vero sit multus excessus, non potest latere. Unde videtur bonae fidei repugnare, et ideo non est absque mortali.*

Hic sane non contemnenda difficultas emergere videtur ex secunda propositione, qua S. Thomas de bonis, quae speciatim in episcopi usum cesserunt, ubi facta est ecclesiae bonorum divisio, affirmat videri eamdem esse rationem, atque de bonis propriis. Ex quo concludi posse videtur bonorum quae specialiter sunt suo usui deputata episcopum dominium habere non secus ac propriorum; et siquidem ea perperam in profanos usus insumat, peccare quidem contra charitatem, non autem vi justitiae teneri ad restitutionem.

Verum longe alia mens est ac sententia D. Thomae. Ubi distincta sunct bona usui episcopi speciatim destinata ab his quae sunt pauperibus, aut cultui ecclesiae impendenda, non tenetur quidem episcopus quae sibi supersunt ex justitia erogare in pauperes nominatim, ita ut si aliquando desit obligationi charitatis in sublevandis pauperibus non teneatur ad restitutionem erga ipsosmet pauperes. Et in

hoc eadem est ratio de bonis suo usui deputatis atque de bonis propriis. Hoc solum docere voluit S. Thomas; minime vero solvere praelatos obligatione etiam justitiae in pios usus generatim expendendi quidquid sibi superest de bonis speciatim ipsorum usui destinatis. Mens haec D. Thomae perspicue colligitur ex ipso scopo et inscriptione articuli. Ibi enim quaerit: *Utrum episcopi mortaliter peccent; si bona ecclesiastica quae procurant, pauperibus non largiantur.* Praecipue ergo intendit declarare obligationem episcopi erga pauperes. Hanc porro obligationem distincte ac dilucide declarat tribus allatis propositionibus. Nam 1. si ex bonis episcopi curae commissis aliqua sunt speciatim eroganda in pauperes, episcopus peccat contra justitiam si partem pauperibus erogandam in alium quempiam usum distrahit, teneturque ad restitutionem pauperibus faciendam. 2. Si non largitur pauperibus partem suo usui speciatim destinatam peccare quidem ille potest contra charitatem, non sublevando pauperes ex superfluis: verum non tenebitur ad restitutionem erga ipsos pauperes. Atque in hoc eadem est ratio de bonis illis ac de bonis propriis. 3. Denique si sunt indistincta bona quae sunt applicanda in usum episcopi, in clericorum necessitates, in pauperes, in cultum templorum, episcopus autem in distributione offendat in leges aequitatis, plus largiendo pauperibus quam par est, et consequenter minus quam par est tribuendo cultui templi, vel ministris, aut contra, tum si parum in ea distributione excedit aut deficit, poterit hoc esse absque bonae fidei detrimento, quae requiritur in dispensatore; secus si notabiliter excedit, vel deficit: quod sine mortali peccato fieri nequit. Nulla tamen hic injicitur mentio restitutionis, quia agitur non de episcopo, qui in profanos usus perperam expendat res ecclesiae; in quo violaretur justitia commutativa erga ecclesiam, sed de episcopo non recte distribuente bona sibi commendata in diversos usus ecclesiasticos, quibus providere debet, atque adeo peccante solum contra justitiam distributivam. Porro S. Thomas minime negat beneficiarium, qui res ecclesiae in profanos usus dilapidet, ad restitutionem teneri erga ecclesiam. Ideo vero non id expresse affirmat, quia non de hoc agitur hoc articulo, et quia satis manifeste id colligitur ex eo quod absolute et aperte pronunciat episcopos et clericus rerum ecclesiae non dominos esse sed dispensatores.

Non aliam sane mentem tribui posse angelico praeceptori evincitur ex illa sua tertia propositione superius allata. Ibi enim loquens de bonis ecclesiasticis adhuc indistintis, in quibus scilicet pars beneficiarii sustentationi assignata, et similiter partes erogandae in pauperes et in cultum templi sunt permixtae, ex mala dispensatione praelati contra bonam fidem peccatum mortale fieri affirmat, prorsus autem tacet de restitutione. Attamen beneficiarios teneri ad restitutionem ecclesiae faciendam si expendat in profanos usus proventus ecclesiasticos, ubi non est facta divisio, prorsus certum esse affirmat summus pontifex Bened. XIV., ut superius vidimus. Quis autem putet hanc obligationem D. Thomam aut ignorasse aut tollere voluisse. Constare igitur debet S. Thomam loqui non de mala dispensatione qua in usus profanos bona ecclesiae distrahuntur, sed qua contra leges justitiae distributivae in diversos usus ecclesiaticos dispensatur.

Neque officit si dicatur D. Thomam illa secunda propositione loqui non de episcopo, qui non satis ex aequitate dispenset inter varios usus ecclesiasticos quod redundat de parte sibi speciatim attributa; sed de episcopo, qui de hac parte immoderata sibi retinet. Quem tamen episcopum etsi peccare fatentur S. Th., quia debito charitatis non satisfacit, nullo tamen modo restitutioni obnoxium facit. Non inquam hoc officit; quia et in nostra sententia ista propositio est verissima episcopum, qui ex parte sibi assignata immoderata sibi retinet, nec subvenit indigentibus ex debito charitatis, non peccare contra justitiam nec teneri ad restitutionem. Etenim quamdiu episcopus reditus ecclesiasticos sibi retinet, illi adhuc manent sub dominio ecclesiae; cum autem non sint specialiter deputati aut pauperibus, aut fabricis, aut ministris, sed usui episcopi, nullam committit injustitiam episcopus neque erga pauperes et ministros, quibus non tollit quod ipsis est deputatum, neque adversus ecclesiam, sub cujus dominio manet, quidquid penes episcopum manet de reditibus ecclesiasticis. Sed longe est diversa ratio si beneficiarius in profanos usus perperam sibi superflua impendat; quia tunc ea bona eripiuntur ipsi ecclesiae. Notent ergo adversarii S. Thomam non loqui de episcopo prodigente in profanos usus quod sibi est deputatum, sed de episcopo immoderata sibi retinente, et pauperibus ex debito charitatis non subveniente. Notent S. Thomam eo articulo agere non de obligatione quae incumbit

episcopo expendendi in pios usus generatim superflua de proventibus ecclesiasticis, sed de obligatione illa erogandi in pauperes nominatim; etenim posteaquam more suo proposuit argumenta quae suadere videntur, quidquid supersit episcopo totum esse largiendum pauperibus, suam sententiam consuetis verbis: *Sed contra* patefacere incipit. Sic autem eo loco patefacit: *Sed contra est, quod plures episcopi ea quae supersunt, non largiuntur pauperibus, sed expendere videntur laudabiliter ad reditus ecclesiae ampliandos.* Ex quo patet S. Th. loqui de obligatione erga pauperes non prout haec opponitur profanis, sed ut opponitur aliis piis usibus, velut ampliare reditus ecclesiasticos. Unde S. Th. loquitur de peccato et de restitutione facienda ex defectu dispensationis in pauperes, non ex sumptibus profanis, quibus perperam dilapidantur bona ecclesiae, de quibus nullam S. Th. quaestionem instituit, forte ratus ne id quidem in controversiam vocari posse eum qui subtrahit bona, quae sunt in ecclesiae dominio, quorum bonorum dispensator tantum est, ut expressis verbis docet, teneri ad restitutionem erga ecclesiam; siquidem unum ex alio necessario et evidenter colligitur.

Hinc patet responsio ad celebre testimonium quod proferri solet ex quolib. 6. art. 12. ad 3. « Aliter ergo dicendum est « de illis ecclesiasticis bonis quae principaliter sunt attribuenda « necessitatibus pauperum et ex consequente necessitatibus mi« nistrorum, sicut sunt bona hospitalium et aliorum hujus« modi: et aliter de illis bonis quae sunt principaliter attri« buta usibus ministrorum, sicut sunt praebendae clericorum « et alia hujusmodi. Nam in primis bonis peccatum commit« titur non solum ex abusu, sed etiam ex ipsa rerum con« ditione, dum aliquis in suos assumit quod est alterius; et « ideo tenetur ad restitutionem tanquam defraudator rei alie« nae. In secundis vero bonis non committitur peccatum nisi « per abusum, sicut et de bonis patrimonialibus dictum est: « unde non tenetur quis ad restitutionem, sed solum ad poeni« tentiam peragendam ».

Etenim et in hoc quolib. D. Thomas quaestionem instituit, utrum et quomodo clerici teneantur superflua in pauperes elargiri. Primum autem statuit tanquam certum et exploratum: *Bonorum ecclesiasticorum clerici non sunt vere domini sed dispensatores*: tum declarat quemadmodum in hac sibi credita dispensatione peccent erga pauperes. Demonstrat

autem si quid est de bonis ecclesiasticis speciatim attributum pauperibus, quidquid ipsis subtrahitur sive multum sive parum, in eo violari justitiam commutativam, atque adeo ipsis esse restituendum; quod idem valet si bona sint attributa aut cultui templi, aut necessitatibus ministrorum. Si vero agatur de bonis clericorum usui attributis, tum clericus non peccabit nisi ex abusu. Fit autem abusus contra fidem dispensationis si clericus tantum abundet in uno usu ecclesiastico, puta in cultu templi, ut deficiat notabiliter in alio usu; v. g. in sublevandis pauperibus, cum ex charitate sublevare tenetur, licet autem in hoc abusu peccatum, non tamen oritur obligatio restituendi; quia per hunc abusum, nihil sublatum est ecclesiae, sed solum rectae dispensationis leges violatae sunt, quod attinet ad distributionem rerum ecclesiae in diversos usus ecclesiasticos. Si autem ageretur de abusu, quo clericus res ecclesiae in profanos usus perperam expenderet, teneretur ad restitutionem non equidem pauperibus nominatim faciendam, sed ecclesiae, ut manifeste sequitur ex allato ejus principio: *Bonorum ecclesiasticorum clerici non sunt veri domini sed dispensatores.*

Objiciunt. 1. Quod clerici parsimonia sua et industria ex proventibus ecclesiasticis aut ecclesiae intuitu acquirunt, peculii nomine possident. Ergo ejus habent dominium. 2. Quidquid clericus opera sua et labore in ecclesiasticis muneribus obeundis lucratur, ei debetur tanquam stipendium. Ergo ejus habet dominium. 3. Concilium Tridentinum ses. 24. de reformat. cap. 12. decernit canonicos et provisos de beneficiis curam animarum habentibus, si intra duos menses a die adeptae possessionis fidei professionem non fecerint, ne fructus faciant suos. Et sess. 22. cap. 3. de distributionibus loquens statuit: *Qui eas obtinent, si personaliter competens sibi servitium, juxta formam ab eisdem episcopis praescribendam quotidie statuto non impleverint, illius diei distributionem amittant, nec ejus quoquo modo dominium acquirant.* Ergo tridentinum dominium agnoscit in beneficiariis etc.

R. ad primum: peculium romanis legibus dictum fuisse quod *servus domini permissu separatum a rationibus dominicis habet* l. 5. ff. de peculio, cui simile est peculium filiifamilias, quod nimirum filius permissu patris separatum a rationibus patrisfamilias habet, scilicet ex rebus ipsius patris, aut quae patris occasione obvenerint, diciturque ideo peculium

profectitium. Quamvis autem servi peculium pusilli patrimonii nomine donetur, quin etiam ejus dicatur *proprium patrimonium* l. 39. ibid., certum est tamen ejus peculii servo jure romano dominium proprie dictum nullum habuisse, ut constat l. 4. ibid. ita ut quidquid ex peculio servus acquirebat domino cederet, et quod moriente servo in peculio repertum esset ad ipsum dominum reverteretur, seu potius sub ejusdem dominio maneret. Quod idem constitutum fuit de peculio filiifamilias. Porro notant docti scriptores admodum esse verisimile rebus ecclesiae, quae clericis ad usum conceduntur, nomen peculii inditum fuisse, postquam facta beneficiorum erectione ipsa bona ecclesiae in quasdam portiones singulis titulis annexas dividi coeperunt, idque nomen inditum fuisse ad exemplum peculii quod apud Romanos obtinebat. Nec immerito. Etenim clericus ecclesiae adscriptus ei servire debet ut minister, atque ut filius morem gerere. Unde titulus in jure canonico de peculio clericorum inscriptus satis ostendit non aliam ejus peculii quoad dominium rationem esse atque peculii servorum jure romano. Quippe decernitur quidquid quaesitum aut emtum fuerit per praelatum ex emolumentis ecclesiae, ipsi ecclesiae acquiri, eidemque relinquendum esse. Unde quemadmodum certum est servos peculii sui vere dominos non fuisse, quia quaecunque ex peculio quaesita fuissent domino acquirerentur, idem merito concluditur de peculio clericorum.

Ad alterum responsio suppetit ex D. 2. 2. q. 100. art. 2. ubi ait: « Accipere autem aliqua ad sustentationem eo« rum qui Sacramenta Christi ministrant secundum ordinatio« nem ecclesiae et consuetudines approbatas non est simonia « neque peccatum. Non enim sumitur tamquam pretium mer« cedis sed tamquam stipendium necessitatis » quod luculenter exponit Cajetanus in art. 3. « Sciendum est quod inter stipen« dium sustentationis, et stipendium locatarum operarum haec « est differentia, quod stipendium locatarum operarum ha« bet rationem mercedis, stipendium autem sustentationis non « habet rationem mercedis, sed subventionis necessariae vel « commodae ministris. Et ex hoc sequitur quod qui dat ali« quod temporale puta pecuniam ministris ecclesiae pro su« stentatione eorum, non dat pecuniam pro pretio operarum « aut laboris eorum, sed solum dat, ut se sustentent in vi« ctu et vestitu etc., ut sic habentes alimentum et quibus te-

« gantur vacent acclesiasticis officiis gratis. « Hactenus Cajetanus. Dicimus itaque qui lucratur stipendium mercedis eum ejus acquirere dominium, non qui lucratur sustentationis stipendium, clericos autem ecclesiasticis officis obeundis stipendium lucrari sustentationis non mercedis.

Ad tertium clerici recte dicuntur facere fructus suos quatenus acquirunt jus dispensationis, non quatenus acquirant jus dominii proprie dicti « clericus, inquit Panormitanus, reci-« piendo fructus sui beneficii, dicitur illos facere suos quoad « hoc ut sibi provideat primo; de superfluis impendat in usus « pios; non autem ut de ipsis testari (ex ejus temporis di-« sciplina) vel pro libito voluntatis facere. « Cum ergo beneficiarii praescriptis muneribus fungentes jure sibi vindicare queant fructus annexos, atque de his disponere ad decentem vitae cultum et ad dispensationem in pios usus ex aequitatis et prudentiae lege suo arbitrio faciendam, merito dicuntur facere fructus suos, sed suos jure dispensationis non jure stricto dominii proprie dicti. Quin etiam nil vetat, ut latiori quadam et vulgari significatione tale jus dispensationis dominium appelletur. Quo sensu jam vel ab ipsius Augustini temporibus dominium rerum ecclesiasticarum penes episcopum esse vulgo dicebatur. Ita quippe Aug. ep. 126. *Vix enim vigesima particula res mea paterna existimari potest, in comparatione praediorum ecclesiae, quae nunc ut dominus existimor possidere..... Nos rebus ecclesiae dominari existimamur etc.* Attamen certo constat illud non fuisse dominium proprie dictum, sed solum jus dispensationis, ut Aug. eodem loco aperte significat. Hinc dum Tridentinum statuit, ut beneficiarii non adimplentes competens sibi servitium distributiones amittant, nec earum quoquo modo dominium acquirant, hac particula *quoquo modo* excludit quamcumque acceptionem dominii, sive stricto sensu, sive latiore significatione, decernitque adeo illis beneficiariis nullum jus competere disponendi de illis distributionibus, nec adeo jus dispensationis ecclesiasticae, vi cujus potest minister e fructibus sumere quod sibi necessarium est, et reliqua pro sua prudentia et arbitrio in pios usus erogare.

Obj. 2. Nisi ecclesiastici fructuum quos ex beneficiis percipiunt veri domini essent, deberent rescindi donationes et contractus omnes, quibus extra pios usus expenduntur vel alienantur; quod tamen non fit. Supponitur ergo valida ea alienatio, in quemcumque usum fiat.

R. De contractibus quibus fructus illi extra pios usus alienantur idem sentiendum atque de testamenti: nimirum ejusmodi contractuum ineundorum facultatem invaluisse non repugnante ecclesia ob vitandas lites et molestissimas discussiones in discernendis proventibus ecclesiasticis, ab iis qui beneficiario aliunde obvenire possunt. Ideo validi sunt hujusmodi contractus in foro externo. Ceterum constat apud omnes de obligatione qua tenentur clerici non alienandi fructus ecclesiasticos extra pios usus. Et quandoquidem eorum conscientiae permittitur ac relinquitur, ut discernant inter proventus ecclesiasticos et patrimoniales, ex eo quod non rescindantur eorum donationes in foro externo, minime sequitur eos in foro interno non teneri ad restitutionem, si perperam alienarunt, quemadmodum consentientibus omnibus tenentur ad poenitentiam.

Multa praeterea congerunt adversarii, quibus argumentis nostris fidem detrahere nituntur. 1. Quod attinet ad sanctos patres ajunt eos exaggerando locutos esse, non secus atque dum avaros qui negant indigentibus eleemosynam accusant homicidii, rapinae, furti; et tamen ex hoc non sequitur avaros verum dominium non habere superflui, quod in eleemosynas non erogant. Ergo a pari.

Verum ut taceamus quam periculosum sit ad oratoriam exaggerationem confugere in patrum dictis interpretandis, nisi prudens admodum criterium adhibeatur: satis fuerit animadvertere nullum locum adversariis patere hujus exaggerationis praetendendae in hac quaestione de dominio proventuum ecclesiasticorum. Nam licet fateremur sanctos patres, qui ante divisionem locuti sunt, Cyprianum, Ambrosium, Hieronymum, Augustinum de obligatione proventus ecclesiasticos expendendi in pios usus exaggerando locutos esse, nihilominus constat locutos illos esse de vera obligatione justitiae. Ergo idem a fortiori sentiendum de patribus qui post divisionem scripserunt, apud quos ea obligatio perspicuis verbis expressa reperitur quoad sententiam. *Attulimus locum S. Bernardi: Sacrilega eis crudelitate surripitur, quidquid sibi ministri et dispensatores, non utique domini vel possessores ultra victum accipiunt et vestitum.* Si quae hoc loco est exaggeratio tota consistit in sacrilega crudelitate quam exprobat ministris proventus ecclesiasticos non largientes pauperibus. Hanc itaque sacrilegam crudelitatem mitigandam adversariis

relinquimus, si mitigare volent. Verum in eo quod sequitur, clericos non dominos vel possessores esse, sed ministros et dispensatores fructuum ecclesiasticorum sententia est simplici stylo expressa nulla oratoria exaggeratione. Idem repetit S. Raymundus, S. Antoninus, aliique scholastici, qui ab oratorio exaggerandi modo abfuerunt plurimum. Ut ergo circa hujusmodi exaggerationes, quae sanctis patribus tribuuntur, aliqua judicandi regula habeatur, in talibus sententiis qualis ea est, quae mox prolata est ex D. Bernardo, duo sunt distinguenda, unum quod pertinet ad modum inculcandae obligationis, velut quod ibi dicitur de sacrilega crudelitate, alterum quod pertinet ad ipsam sententiam, seu substantiam et fundamentum obligationis, velut quod ibidem statuitur clericos non dominos sed dispensatores esse. Cavendum porro ne quod oratoria exaggeratione dictum aliquando fuerit quoad modum, adhibeatur ad convellendam sententiam seu fundamentum ipsum obligationis perspicuis atque expressis verbis constitutum.

2. Quod attinet ad argumentum quo clericos proventuum ecclesiasticorum dominio carere demonstratur, petitum ex eo quod ad XII Seculum nullam testandi facultatem habuerint, respondent eos prohibitos fuisse testari non ex defectu dominii, sed ut promptiores fierent ad eleemosynas in vita largiendas.

Verum qua ratione clericis interdicta fuerit facultas testandi, eam pontifices et concilia non recentibus scriptoribus divinandam reliquerunt, sed palam ac perspicuis verbis exposuerunt. Nimirum C. *Quorumdam* S. Gregorius subdiacono praecipit, ne detineri patiatur quidquam eorum, quae vel in episcopatus ordine acquisivisset episcopus, si quae testamento ecclesiae subtraxisset, scilicet ut ea conserventur in ecclesiae dominio. S. Gregorius decernit vindicanda esse quae de bonis ecclesiae testamento consanguineis transmissa fuerint, ut conserventur in ecclesiae dominio. Ergo defectu dominii nitebatur prohibitio testandi. Praeterquamquod ratio ab adversariis allata ipsa se conficit. Nam si clerici valide testari non poterant in favorem consanguineorum, dum valide tamen donare in vita possent; profecto qui eo fuissent animo, ut de proventibus ecclesiasticis acquisitis testamento disponere voluissent in consanguineorum favorem; profecto ablata fa-

cultate testandi promptiores facti essent ad eis donandum in vita.

3. Ajunt nec ante divisionem fideles dedisse bona ecclesiae cum conditione ut deberent ex justitia in pios usus expendi, sed fidentes rectae et piae ecclesiae administrationi, ea bona sub tali spe libere ei obtulisse, unde nec tunc ecclesiae ministri, quorum administrationi suberant, tenerentur ad restitutionem si aliter ea expendissent, ipsa ecclesia quorum erant non invita. Duo hic supponit auctor clarissimus e quo sunt illa verba deprompta. Unum est idem judicium ferendum esse de intentione fidelium in bonis ecclesiae dicandis sive ante sive post divisionem. Quod sane dubitationem nullam habere videtur. Alterum est, ante divisionem qui praeerant administrationi proventuum ecclesiasticorum non fuisse aliquando ad restitutionem obligatos, si quando eos extra pios usus expendissent. Atque hoc falsum esse constat auctoritate superius adducta Benedicti XIV neque quicquam suffragatur quod addit *ecclesia non invita*, nusquam enim concessit ecclesia ut proventus ecclesiastici extra pios usus velut pro cultu templorum, aut privatis vel publicis necessitatibus quibus pietas cogit subvenire, expenderentur. Cum ergo de restitutionis obligatione ante divisionem constet: pariter autem constet assentiente adversario eamdem esse post divisionem atque antea fidelium intentionem in suis bonis ecclesiae largiendis, constare quoque debet etiam num eamdem vigere obligationem restitutionis. Et sane quid aliud intendunt fideles bona sua ecclesiae largientes quam religionis ac pietatis officium exercere? Quae autem esset pietas si ea largitione intenderent facultatem facere clericis ea bona in usus profanos expendendi? Implicite ergo saltem fideles intendunt et volunt, ut non aliter expendantur quam in usus pios. Et licet aliquis forte contrariam mentem gereret, ipsius intentionem ecclesia ipsa emendaret, non alia intentione acceptando, quam ut reditus beneficii ex pietate et religione expenderentur, ut antea dictum est.

Obj. Demum si quod a sanctis patribus dicitur bona ecclesiastica patrimonia esse pauperum presse adeo ac severe accipiendum esset, ut ex eo concludi posset clericos non habere dominium fructuum, illud etiam sequeretur bonis patrimonialibus abundantes non posse ex bonis ecclesiasticis vivere. Atqui hoc falsum est. Ergo etc.

R. Non defuisse qui putarent clericos secularibus opibus affluentes non posse ex proventibus ecclesiae necessaria sua accipere, licet patrimonium una cum beneficio retinere queant, liciteque proventus annuos utriusque recipere. Utramque opinionem negantem scilicet et affirmantem memorat Bellarminus lib. 1. de clericis cap. 26. illamque tutiorem appellat, hanc veriorem. De hac quaestione Benedictus XIV haec sapientissime docet de synodo dioeces. lib. 7. cap. 2. n. 2. « Quidquid sit, an juxta priorum ecclesiae seculorum disci- « plinam, ecclesiasticis beneficiis gaudere possent, quibus opu- « lentum suppetebat patrimonium, quod negare videntur Hie- « ronimus epist. ad Nepotianum, Julianus Pomerius de « vita contempl. lib. 2. cap. 9., aliique patres congesti a « Thomassino de vet. et nov. ecclesiae disciplina part. 3. lib. « 3. c. 4. Certum est hac nostra tempestate etiam clericis di- « vitiis affleuntibus ecclesiastica beneficia conferri: neque est « qui dubitet, quin iidem verum dominium habeant redituum, « quos ex proprio percipiunt patrimonio; in quorum proinde « distributione, aut etiam pravo usu, possunt utique contra « alias virtutes, non vero contra strictam justitiam pec- « care.

Ceterum clerico diviti licere ex benefici ecclesiastici proventibus sumere quae pertinent ad decentem vitae cultum recte probant collationes parisienses lib. 4. pag. 413. ex illo apostoli 1. ad Corinth. 9. *Quis militat suis stipendiis unquam, quis plantat vineam et de fructu ejus non edit? Quis pascit gregem et de lacte gregis non manducat..... Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quae de sacrario sunt edunt, et qui altari deserviunt, cum altari participant? ita et Dominus ordinavit iis qui evangelium annunciant de evangelio vivere.* Ex quo intelligitur ministro deberi stipendium sustentationis; quod aeque valet de ministro divite ac paupere. Quin Julianus Pomerius tametsi contra sentiat, nihilominus satis ostendit plures refragatos esse suae sententiae, eamque ut duram et novam habuisse. Aug. porro licet in sua communitate non sineret divites quidquam percipere ex proventibus ecclesiasticis propter majoris perfectionis studium, contrarium tamen morem in aliis ecclesiis non damnavit. Ex quo colligitur vel ab ipsis prioribus seculis, pace ecclesiae reddita, nusquam ab ecclesia legem hanc clericis patrimonio abundantibus impositam fuisse, ne ipsis liceret de bonis ecclesiasticis vivere.

Verum ex eo minime sequitur clericos habere in proventus ecclesiasticos verum dominium; aliud est enim clericis licere ex illis proventibus vivere qui sibi debentur ut stipendium necessitatis, aliud est quod superflua in quoscunque usus nulla restitutionis obligatione impendere valeant. Audiendus Thomassinus parte 3. lib. 3. c. 4. « Possunt clerici patrimonium et dimittere et retinere; possunt beneficii reditus « percipere et ab iis abstinere. Media sunt haec et per se « versatilia, quae ad bonum vel ad malum detorqueantur, « perinde ut eorum usus fuerit. Sed illa incommutabilis et « incorrupta regnat lex, non posse clericos nisi necessaria « decerpere ad victum et vestitum suum, sive ex ecclesiae, « sive ex paternis suis et haereditariis bonis... Ea mol« lissima concordia est plurium supra propositionum. Nunc « enim cogebantur clerici patrimonio nuncium remittere, nunc « eo sinebantur gaudere. Nunc beneficio illis interdicebatur, « si suppeterent res propriae; nunc sinebantur beneficiario« rum instar in ecclesiasticis sodalitiis vitam ducere non abje« cto patrimonio. Hi usus omnes vel probati vel tolerati « sunt, quod omnibus iis convenire possit cum regula illa « inconcussa, quam apostolus ob oculos posuit, ut ne in no« stros convertamus usus, nisi necessaria, reliqua dilargia« mus iis, quorum ea sunt, non nostra, si egeant illi, non « nos. Qui de patrimonio suo vescitur, aut ne contrectare « quidem debet proventus ecclesiae, aut in egenos statim « profundere. Qui res ecclesiae in suas convertit necessitates, « is patrimonium vel jam exuisse debet, vel ejus proven« tus quotidie in pauperes dispensare. » Hactenus Thomassinus.

Illud demum animadvertemus adversariorum sententiam novitatis caussa non immerito suspectam esse oportere, quod recte significat Paullus Comitolus respons. moral. lib. 5. q. 70. « Tantummodo, inquit, a recentis memoriae hominibus ad« dubitari coeptum, quod ab antiquis magistris et melioribus « auctoribus superioris atque adeo nostrae aetatis in contro« versiam nunquam revocatum est: num ii quibus ecclesia« stica sacerdotia beneficiave mandata sunt, sint bonorum, « fructuumque omnium, qui ex iis percipiuntur, veri domi« ni. » Quod luculentius etiam patet ex eo quod celeberrimus canonum interpres Archidiaconus scribere non sit veritus in cap. *statutum* de rescriptis in 6. esse haeresim in jure ca-

nonico asserere, clericos beneficia ecclesiastica obtinentes proventuum ecclesiasticorum esse dominos. Hinc sapientissimus pontifex Benedictus XIV licet ab hac controversia decidenda episcopis abstinendum esse doceat, nihilominus agnoscit nostram sententiam ab innumeris theologis laudabiliter propugnari, et tutiorem atque in praxi consulendam haberi vel ab iis, qui contrariam propugnant, inter quos Lessius et Duvallius.

PARS TERTIA

DE CONTRACTIBUS GENERATIM.

Duplici haec pars disputatione constabit, una de contractibus generatim, altera de contractibus seorsum et singillatim exponendis

DISPUTATIO I.

De Contractibus generatim.

CAPUT I.

Generalis notio contractus explicatur.

Contractus vocabulum tripliciter accipi solet. Primo latissima significatione; estque conventio generatim ad omnia pertinens, de quibus negotii contrahendi transigendique caussa conveniunt, qui inter se agunt. Ut habetur l. 1. ff. de pactis. Estque proinde idem atque pactio generatim, quae ibidem definitur: *Duorum pluriumve in idem placitum consensus.* Secundo contractus latiore adhuc significatione sumitur pro conventione obligationem inducente saltem ex una parte. Tertio stricta significatione pro conventione obligationem inducente ex utraque parte. Sicque contractus definitur a Labeone l. 19. ff. de verborum significatione: *Ultro citroque obligatio*, ubi animadvertunt doctores pro caussa effectum esse positum. Contractus enim in consensu proprie consistit: consensum autem obligatio consequitur. Ut enim dicitur l. 1. ff. de pactis: *Quid tam congruum fidei humanae, quam ea, quae inter eos placuerunt servare?*

Hinc 1. ad contractum latissima significatione acceptum revocari potest donatio, quae fit praesenti rei alicujus traditione, nam licet ex tali traditione nulla exoriatur obligatio neque in donante neque in accipiente, tamen habetur duorum in idem consensus. Similiter contractus nomine donari potest acceptilatio, qua creditor debitori roganti debitum remittit. Licet enim hic obligationis praecedentis dissolutio habeatur potius quam obligatio, et ea de caussa *distractus* in

jure appelletur quasi solutio contractus, tamen quia mutuo fit creditoris ac debitoris consensu, huic etiam generale nomen contractus conveniet. Hinc 2. a ratione contractus prorsus excidit promissio non acceptata; quandoquidem in ea non habetur duorum in idem consensus. Hinc 3. promissio accepta revocatur ad contractum secundi generis. Siquidem haec obligationem parit ex una parte tantum: nec proinde vocari potest contractus stricte acceptus.

Atque haec quidem multiplex notio contractus ignorari non debet, quia interdum occurrit; quia vero saepe negligitur, juverit accuratiorem afferre conctractus definitionem, quae ambiguitatem ejusmodi omnem removeat. Contractus ergo dicetur legitimus ac manifestatus duorum vel plurium consensus vel ad dominium transferendum, vel ad aliquam obligationem inducendam. Duo in hac definitione praecipue notanda; consensus quo contractus maxime continetur, et obligatio quae sequitur ex consensu.

Consensus itaque ad conctractum maxime requiritur. Etenim fieri contractus intelligitur cum duo pluresve de negotio aliquo gerendo conveniunt; sine consensu autem conventio nulla intelligi potest. 2. Consensus debet esse legitimus; id est qui lege ipsa non irritetur; nam irrito consensu nihil geritur, manetque velut infectum quod eo gestum fuerit. Cum ergo nulla sit in tali consensu vis ac firmitas, neque contractus eo niti poterit. 3. Consensum oportet esse manifestatum; non enim valet quis consensum suum ad alterius sensum adjungere, nisi ejus sensum notum habeat. Debet ego utriusque consensus utrique esse manifestus, ut consensum suum uterque adijungat. Quo consensu manifestato proprio fit conventio. 4. Notandum, consensum alium esse expressum, qui nimirum signis ordinariis ut verbis, literis, imo vel nutu ipso exprimitur, alium tacitum, qui ex factis colligitur, alium praesumtum, qui a legislatore fingitur intercessisse, eo quod aequitate postulante intercedere debuit.

Obligatio porro definitur juris vinculum, quo necessitate adstringimur alicujus rei faciendae vel praestandae. Colligitur ex lib. 3. Institut. tit. 14 substituendo peculiari voci *solvendi* generaliorem vocem rei cujusque faciendae vel praestandae. Notandum autem nullam esse obligationem justitiae, cui non ex adversa parte jus aliquod tamquam correlatum respondeat, ut diximus tract. de actibus humanis ubi de contractibus metu

initis. Id vero confirmat Justinianus lib. 4. Institut. tit. 6. ubi obligationi ac debito respondentem actionem fecit. Actio porro dupliciter sumitur. Nempe pro jure petendi ac persequendi quod debetur, et pro ipsa petitione. Multiplex jam afferri solet obligationis divisio. Nam 1. alia dicitur moralis, quae potius ex honestate virtutis ducitur, quam ex jure alterius, qualis est obligatio referendae gratiae; alia est justitiae, qua quisque tenetur alteri tribuere jus suum. 2. obligatio alia naturalis tantum dicitur, alia civilis tantum, alia naturalis simul et civilis. Naturalis tantum est quae ex aequitate quidem proficiscitur, et adeo conscientiam adstringit, sed quam jura externa non fovent actionem tribuendo. Talis est obligatio restituendi, qua tenetur qui vendidit ultra justum pretium, ita tamen ut excessus non sit ultra dimidium justi pretii. Civilis tantum est, quam jura externa sanciunt ex titulo colorato, propter quem actionem tribuunt. Talis est obbligatio quae oritur ex contractu invalido propter aliquam circumstantiam, quae probari non potest. Naturalis simul et civilis, quam et aequitas parit et jura fovent actionem tribuendo. Talis obligatio restituendi quod vendendo ultra justi dimidium fuerit acceptum. 3. Obligatio alia ex contractu est, alia ex quasi contractu, quae nimirum sine ulla proprie dicta conventione oritur ex aliquo facto, vi cujus aliquis erga alterum obligatur. Talis est obligatio tutoris erga pupillum infantem ex suscepta tutela. Patet autem illam respondere consensui expresso vel tacito, istam consensui praesumpto. Alia denique ex maleficio et culpa oritur, velut obligatio restituendi ex furto.

Nunc vero pactiones seu conventiones aliae pariunt actionem, aliae non pariunt, sed tantum exceptionem, L. 7. ff. de pactis. Hinc pactionis divisio in nudam et vestitam. Pactio nuda est mera conventio nullo juris adminiculo suffulta: pactio vestita, quae juris adminiculo vestitur praebente actionem. Notandum autem 1. Pactionem nudam deliberato animo initam parere naturalem obligationem, nisi propter materiam aut aliud adjunctum jure ipso irritetur. Romanum tamen jus illis pactis non adsistit; non quod perfidiam probassent romani, aut eum non improbum judicarent, qui fidem falleret, sed quod eum perlusorie egisse censerent, qui modum contrahendi lege constitutum neglexisset. Notandum. 2. Pactum nudum, licet actionem non praebeat, praebere tamen

exceptionem; velut si quis tibi debeat centum nummos ad certam diem solvendos; interea autem ei promiseris te centum nummos mutuo daturum, erit haec nuda pactio, vi cujus te ad eam diem centum nummos repetentem poterit repellere. Notandum 3. Sex modos a doctoribus percenseri quibus pacta nuda vestiuntur. 1. Cum specialem naturam et nomen acquirunt. 2. Interventu rei datae ob caussam, velut si pactus es te alteri decem oves pro uno bove daturum, et oves jam ea de caussa tradideris. 3. Cum pactum adjicitur contractui, maxime si in continenti adjectum sit, adeo ut pro parte hujus habeatur. 4. Stipulatione quae veteribus subtilitatibus remotis fit per verba consentanea vel scripturam. 5. Legis auxilio, ut in simplici promissione dotis acceptata. 6. Jurejurando. Verum in his plerisque rebus attendendum quid praeter jus commune ferant statuta, et consuetudines locorum.

Conventiones autem, quae actiones pariunt, sunt eae quibus vel causa subest legibus probata, seu datum aut factum aliquod legitimum, vel quibus jura nomen proprium dederunt, velut emti, locati etc. Atquae istae conventiones magis proprie contractus appellantur; reliquae pacta simpliciter vocantur.

Hinc 1. contractus vel caussam et nomen simul habet, diciturque contractus nominatus, ut mutuum, emptio, locatio etc. Vel caussam habet sine nomine, diciturque contractus innominatus; qui nimirum proprio ac specifico nomine carens persistit in generali nomine contractus seu permutationis, quae graece συνάλλαγμα dicitur. Ejus quatuor sunt species ex L. *Naturalis* 5. ff. de praescriptis verbis. 1. Do, ut des; id est rem pro re, velut si do tibi triticum, ut tu des mihi pannum. Si pecunia daretur pro re, esset emptio. 2. do, ut facias; velut si do tibi triticum, ut tu meum colas agrum. Si daretur pecunia pro illa opera esset conductio. 3. Facio, ut des; velut si colo tuum agrum, ut tu mihi des vestem. Si offerrem meam operam pro pecunia, esset locatio. 4. Facio, ut facias; velut si colo tuum agrum, ut tu aedifices meam domum. Ad hos contractus revocantur negativi, velut do, ut non facias etc.

Dividitur 2. in contractum bonae fidei, et stricti juris. Hic autem bona fides sumitur, non ut opponitur dolo et fraudi, sic enim omnis contractus bonae fidei esse debet,

sed ut ex arbitrio judicis patitur benignam interpretationem secundum aequum et bonum. Similiter strictum jus non sumitur, prout opponitur epicheiae seu legitimae verborum acceptioni, non ex ipsa litera, sed ex perspecta mente et sententia contrahentium; sic enim nullus contractus debet esse stricti juris. Prior ergo dicitur, in quo judex potest ex aequo et bono interpretationem afferre, et statuere quid sit juris. Velut si facta fuerit emtio, in qua contrahentes de pretio justo non convenerint, potest judex ex aequo et bono inter limites supremi et infimi pretium justum constituere. Posterior vero est, in quo nequit judex arbitrari, velut in mutuo; in quo si centum data sunt, centum reddi debent.

3. Contractus alii consensu solo explicato perficiuntur, ut emtio, venditio etc. Alii verbis, ut stipulatio, quae interrogatione et responsione constat, verbis, non quidem ad veterum juisconsultorum formulam compositis, sed sensum et consonantem intellectum habentibus, ut traditur l. 3. Instit. tit. 16. Alii scriptura, sive contrahentium voluntate ad majorem firmitatem, sive juris praescripto scipturam requirentes. Alii denique traditione, quales sunt, qui dationem vel factionem significant, ut mutuum, depositum etc. et omnes innominati contractus. Est autem civili communi jure discrimen inter contractus qui solo consensu, et contractus, qui traditione perficiuntur; quod emtor v. g. qui consensit pretium daturum se pro merce, civilem statim obligationem contrahit, nec ei poenitendi ac recedendi locus datur. Quia scilicet contractus ex eorum genere est, qui consensu perfici, atque adeo inducere obligationem censentur. Qui vero promisit se mutuo daturum, civili jure non obligatur, sed recedere potest, si eum poenitet: secus tamen jure naturali et in foro conscientiae, ut superius dictum est. Ideo vero civili obligatione ex communi jure non tenetur, quia talis contractus nonnisi traditione perfici censetur et obbligationem inducere.

4. Contractus dividitur in contractum gratuitum, qui ex una tantum parte obligationem parit, aut in unam tantum partem jus aliquod confert, ut promissio, donatio. Alius est onerosus, qui ultro citroque parit obligationem, estque contractus proprie ac presse acceptus.

5 Denique contractus alius absolutus est, cujus obligatio nulla conditione adjecta retardatur; alius pendens a

conditione in futurum tempus implenda; alius purus dicitur, qui fit sine ulla restrictione modi, condictionis, diei, aut poenae; alius est cum aliqua ejusmodi qualitate adjecta. Sed de his satis.

CAPUT II.

Qui contrahere possint.

Tum res unaquaeque perfecte noscitur, cum caussae illius cognoscuntur. Nunc ergo agendum de caussis contractuum. Ac 1. De caussa velut efficiente, siva de his qui contrahere possunt. 2. De materia contractuum sive de rebus contrhaendis. 3. De forma, id est de consensu quo contractus perficitur, deque his quae ad consensum pertinent, aut eidem obstant. Sit itaque.

PROPOSITIO I.

Jure naturae contractum inire potest quisquis rationis consilio et arbitrio pollet, nonnullis tamen jure positivo haec contrahendi potestas aut adimitur aut coercetur.

Pr. 1. *pars.* Enimvero cum rationis consilio et arbitrio fiat, ut homo se suosque actus dirigere valeat, quisque hoc rationis consilio et arbitrio pollet, potest de suis actibus et rebus disponere; atque adeo consensum praestare, ex eo consensu obligare. Sed jure naturae ad rationem contractus nil amplius requiritur. Ergo etc.

Pr. 2. *pars.* Enimvero cui positivo jure adimitur aut coercetur potestates contrahendi. Neque enim potest de rebus suis cetur rerum suarum administratio, ei quoque adimitur aut coercontrahere, qui eas non potest administrare. Sed jus positivum justa de caussa ad publici boni rationem pertinente, multis adimit aut coercet rerum suarum administationem. Ergo etc.

Hinc jure naturae nulla est potestas contrahendi infantibus, furiosis, amentibus, ebriis; quia illi consilii et arbitrii rationis non sunt compotes: jure autem positivo adimitur aut coercetur in pupillis, minoribus, filiis familias, uxoribus, prodigis etc.

Cum autem contractus, qui nullam parit obligationem

civilem, nihilominus adjunctam interdum habeat obligationem naturalem, graves hoc loco et implicatae difficultates enascuntur, utrum et quemadmodum in pupillorum, minorum, ac filiorum familias contractibus utraque obligatio vel conjunctim vel separatim locum habeat. Qui autem sint minores, qui pupilli, qui pupilli pubertati, qui infantiae proximi censeantur, superius explicatum est. Ad difficultatum autem explicationem notandum ex Layman quatuor effectus recenseri posse obligationis naturalis. Primus isque naturali obligationi maxime continens, ut ab ea separari nequeat, in eo situs est, ut creditori jus tribuat accipiendi ac retinendi, quod sibi naturaliter debitum est. Alter est, in obligatione naturali accedere posse fidejussorem ex L. 1. ff. de fidejus. *Omni obligationi fidejussor accedere potest*, tum etiam pignus, ut ex L. *Naturaliter* 13. ff. de condictione indebiti. Tertius est, naturalem obligationem impedire debiti soluti repetitionem, ex eadem lege *Naturaliter*. Quartus, obligationem naturalem, licet in foro non tribuat actionem, tribuere tamen exceptionem, ut colligere ex L. *Jurisgentium* 7. ff. de pactis §. *Sed cum*; tum etiam jus compensationis, legitime tamen semper faciendae, ut ex L. *Etiam* 6. ff. de compensationibus: *Etiam quod natura debetur, venit in compensationem.* His intellectis duo generalia sunt axiomata constituenda, quae in hac dubitationum caligine lucem praeferant opportunissimam.

AXIOMATA.

1. *Natura aequum est neminem cum alterius detrimento fieri locupletiorum: l. Nam hoc* 14. de condictione indebiti. 2. *Fraus et dolus alicui patrocinari non debent*, Innocent. III. Cap. *Ex tenore* de rescriptis, et passim.

PROPOSITIO II.

Pupillus vel minor auctoritate tutoris vel curatoris naturaliter et civiliter obligatur: non tamen valet sine decreto judicis alienatio facta immobilium, vel rerum pretiosarum, quae commode servari possunt, ut sunt margaritae, gemmae etc.

Prob. 1. *pars* Ex lib. 3. Institut. tit. 20. §. 9. *Pupillus omne negotium recte gerit: ita tamen, ut ubi tutoris auctoritas*

necessaria sit, adhibeatur tutor, et L. 13. ff. de auctorit. et consensu tutoris: *Impuberes tutore auctore obligantur.* Altera pars probatur L. *Lex* 22. C. de administratione tutorum vel curatorum: *Praecipimus itaque, ut haec omnia nulli tutorum curatorumve liceat vendere*, et L. 7. 11. 15. C. de praediis et aliis rebus minorum sine decreto non alienandis vel obligandis: ubi de praedio in solutionem debiti dato dicitur: *Ejus dominium discedere non permittit Senatusconsulti auctoritas.*

Hinc. 1. Si quid ejusmodi contra jura est alienatum vel obligatum caret civili obligatione.

Hinc 2. Caret etiam naturali obligatione, quoad tertium effectum; quia pupillus repetere potest.

Hinc 3. Si tamen pupillus vel minor locupletior est factus, aut dolo malo egerit, cavere debet ne restitutionem petat cum detrimento alterius.

PROPOSITIO III.

Pupillus vel minor curatorem habens sine tutoris, aut curatoris auctoritate communi jure civiliter non obligantur: alios tamen obligare sibi possunt.

Prob. 1. *pars* §. *Nunc admonendi* Institut. tit. 8. lib. 2. *Nunc admonendi sumus, neque pupillum, neque pupillam ullam rem sine tutoris auctoritate alienare posse:* tum ex aliis juribus plurimus plane consentientibus. Altera pars diserte traditur lib. 1. Instit. tit. 21. et L. *Julianus* ff. de actionibus emti: *Si quis a pupillo sine tutoris auctoritate emerit, ex uno latere constat contractus; nam qui emit obligatus est pupillo, pupillum sibi non obligat.*

PROPOSITIO IV.

Tamen si pupillus et minor absque tutoris et curatoris auctoritate contrahendo locupletior est factus, aut si dolum commiserit, jure quoque civili communi obligatur.

Prob. 1. *pars* L. *pupillus* 5. ff. de auctorit. tut. qua dicitur, pupillum emendo sine tutoris auctoritate non obligari, nisi in quantum locupletior factus est, et L. *Eum* 9. C. de

usucapion. pro emtore, qua sancitur pupillum distrahentem sine tutoris auctoritate, si factus est locupletior emptoris pecunia, doli mali exceptione submoveri, si post pubertatem occasionem juris ad iniquum trahat compendium.

Altera pars probatur et prima confirmatur L. 1. §. 15. ff. *Depositi*, qua in pupillum, apud quem sine tutoris auctoritate depositum est, actio depositi datur, si dolum commiserit, et etiam dolo non interveniente, si locupletior est factus.

PROPOSITIO V.

Jura itaque civilia non penitus tollunt obligationem ex naturali aequitate manantem in contractibus quos ineunt minores et pupilli sine tutorum et curatorum auctoritate.

Pr. 1. Nam obligatio est ex naturali aequitate manans, ne quis locupletetur cum alterius jactura, aut ne fraus sua ei patrocinetur. Porro ut patet ex superiore propositione in rebus quas gerunt minores et pupilli sine tutorum et curatorum auctoritate hanc obligationem jura non solum non tollunt, sed etiam confirmant, actionem tribuendo. Eam itaque agnoscunt. 2. Hanc obligationem naturalem jura expresse agnoscunt L. *Si pupillus* 21. ff. ad legem falcidiam, L. *In numerationibus* 44. ff. de solutionibus, L. *Novatio* 1. ff. de novat. ubi dicitur: *Qualiscumque igitur obligatio sit, quae praecessit, novari verbis potest; dummodo sequens obligatio aut civiliter teneat, aut naturaliter; ut puta si pupillus sine tutoris auctoritate promiserit.* 3. Jura in ejusmodi contractibus secundum obligationis naturalis effectum superius memoratum agnoscunt, dum pupillorum fidejussores obligatione teneri pronunciant, ut L. *Creditore* 42. ff. de in litem jurando. Non valeret autem accessoria fidejussoris obligatio, si principalis, quae pupilli est, deficeret.

Objiciuntur tamen quaedam jura, quae omnem prorsus obligationem etiam naturalem a pupillis sine tutorum auctoritate contrahentibus removere videntur. Ita L. 41. ff. de condictione indebiti: *Quod pupillus sine tutoris auctoritate stipulanti promiserit, solverit, repetitio est; quia nec natura debet.* L. 59. de obligationibus et actionibus: *Pupillus mutuam pecuniam accipiendo, nequidem jure naturali obligatur.* 2. In-

nocentius IV. in Caput: *Quia pleriq. de immunitate Ecclesiarum* haec habet: *Si autem ex donatione minoris, vel ex contractu inito, qui tenet ipso jure, aliquid habet; ut si in alienatione minoris absit auctoritas tutoris vel decretum praesidis, restituere tenetur.*

R. Allata jura commodam interpretationem admittere. 1. Enim si ex parte minoris et pupilli dolus intervenerit cum suo commodo et alterius detrimento, qui dolus probari possit, jura dant contra ipsum actionem, ut ex propos. 4. Ergo tum revera naturalem obbligationem contraxit, secus petitori jura non assisterent. Etiamsi nequeat dolus probari, et propterea jura negent actionem, nihilominus quod attinet ad conscientiam pupillus et minor tali obligatione tenebitur. 2. Leges allatae negant pupillum naturaliter obligari promittendo, solvendo, mutuum accipiendo, quatenus illi contractus sine tutoris auctoritate carent tertio effectu supra memorato naturalis obligationis, eo quod repetendi facultatem jura tribuunt; sed tamen ea facultate non semper tuta conscientia uti potest pupillus et minor, pubes aut major effectus, sed tum solum cum laesus est, et sine fraude repetere potest. 3. Eodem sensu accipi potest Innocentii IV, testimonium, ut significare velit eum qui accepit a minore cum fraude teneri ad restitutionem, aut effectu carere contractum oportere, quem jura irritant. In quo tamen rescindendo aequitatis naturalis ratio semper servanda est.

Hinc ut jura in speciem discrepantia, et coscientiae leges concilientur, via haec accommodatissima esse videtur: ut spectetur finis quem illa propositum habuere, qui nimirum eo spectat, ut aetatis ac judicii infirmitati consuleretur in pupillis et minoribus, qui facile circumveniri cum suo ac reipublicae detrimento potuissent, si libera ipsis rerum suarum administratio, et contrahendi potestas permissa esset. Ex quo hae regulae depromi posse videntur.

1. Quisquis cum pupillo et minore sine auctoritate tutoris et curatoris in fraudem contrahit, quidquid ex eo contractu habuerit, restituere tenetur. Eo casu itaque contractus ex parte pupilli caret primo etiam effectu obligationis naturalis, atque adeo naturali omni obligatione. Itaque si quis pupillum et minorum provocat ad ludendum, spe notabilis lucri faciendi, nec tenere potest quod pupillus solverit, nec pupillus solvere tenetur quod ludendo amiserit; pariter si

fraudolentis blanditiis alliciat ad aliquid pretiosum donandum, cujus non habet liberam administrationem, restituere tenebitur.

2. Quisquis cum pupillo contrahens utilem ei operam navaverit, si quae ad victum aut vestitum v. c. opus essent suppeditaverit, aut in sumtum necessarium pecuniam, quandoquidem id cum tutorum et legum approbatione futurum fuisset, si consuli potuissent, tenebitur pupillus naturali obligatione; tametsi civili obligatione compelli non posset.

3. Si inter pupillum et minorem ex una parte sine tutoris et curatoris auctoritate, et alium majorem quempiam contractus est initus, quem leges irritent, poterit quidem pupillus tuta conscientia petere in integrum restitutionem; ita tamen ut si locupletior est factus, vel dolum ipse admiserit, restitutio fiat sine detrimento alterius.

Denique quod attinet ad pupillos et minores haec supersunt breviter animadvertenda 1. Pupillos infantiae proximos ut plurimum non censeri obligationem naturalem contrahere; sed hoc nititur praesumtione juris, qua pro ea aetate censentur doli prorsus expertes. Proinde si qui pupillus infantiae proximus rationis ac doli facultate praevertat aetatem, non aliter de ipso judicandum, quod attinet ad conscientiam, quam de pupillis pubertati proximis. 2. Quae superius dicta sunt intelligenda esse de rebus quarum administratio pupillis et minoribus lege est interdicta. 3. Pupillum cum tutore nullum contractum inire posse, nisi alterius tutoris auctoritate, ut habetur L. *pupillus*, et de auctorit. tutor.

De filiis familias paucis jam agendum, quemadmodum ex contractu obligari queant, quo ad bona castrensia, aut quasi castrensia, profectitia aut adventitia, de quibus jam superius diximus. Quod ad bona castrensia, in hoc dispar est conditio filii familias et pupilli, quod pupillus tutore auctore civiliter obligari potest; filius familias impubes nec ipsa interveniente patris auctoritate obligari queat. Contra si filius familias pubes de bonis castrensibus aut quasi castrensibus contrahat inscio patre, naturaliter et civiliter obligatur. Excipiuntur tamen immobilia et mobilia pretiosa, quorum alienatio etiam patre auctore sine decreto judicis non valet ex L. 3. C. de praediis minorum. Quod attinet ad profectitia, cum ad patrem haec pleno jure spectent, nequit filius familias de illis contrahendo vel se vel patrem obligare, sine

ipsius consensu. De adventitiis, quorum proprietas ad filium, ususfructus ad patrem pertinet de hoc non potest filius contrahere, nisi quibus casibus ususfructus ad filium pertinet. Sequitur ut de senatusconsulti' Macedoniani exceptione breviter dicamus. Prohibuit id senatusconsultum mutuas pecunias dari eis, qui in potestate parentis sunt: et ei qui crediderit omnis prorsus actio denegatur. Quod ideo senatus prospexit, quia saepe onerati aere alieno creditarum pecuniarum, quas in luxuriam consumebant, vitae parentum insidiabantur. Ita Lib. 4. Instit. tit. 7. §. 7. Dictum est autem Macedonianum a Macedone quodam famoso foeneratore, qui eo senatus consulto nominatur, et in cujus praecipue odium latum est. Refertur autem ad annum. U. C. 799. Claudio 4. et Vitellio 3. Coss.

Senatusconsultum hoc non solum in exteriori, sed etiam in conscientiae foro locum habere censet doctissimus Molina disput. 301. probatque cum praestantissimorum doctorum auctoritate, tum hac ratione, quod publica potestas introducere id potuit in commune bonum; lex autem justa vim habet in foro conscientiae. Hoc privilegio solvendi onere liberantur filii familias etiam post mortem parentum, tum parentes, etiamsi peculium filiorum habeant, tum et fidejussores, nisi donandi animum habuerint. Quin etiam si ei privilegio renunciatum fuerit, invalida est renunciatio; quia non tam in gratiam filiorum, quam in favorem et salutem parentum, atque odium foeneratorum datum est.

Sunt tamen nonnullae exceptiones diligenter attendendae ex eodem Molina. 1. Si filius familias solvat ejusmodi debitum de bonis propriis suaeque administrationi permissis, solutio erit valida, nec solutum aut a filio aut a patre repeti poterit. Si solvat de pecunia patris, patre non consentiente, pater repetere poterit: qui autem accepit si bona fide consumsit non tenebitur, nisi de eo quo factus est locupletior. 2. Senatusconsultum Macedonianum non valet, quando filius familias creditur esse sui juris; aut se sui juris esse affirmavit, nec ei affirmanti levi vanaque persuasione mutuans credidit; velut si officium publicum exercet. 3. Nec valet, si filius familias habet bona castrensia aut quasi castrensia, vel alia quorum administratio tacito saltem consensu patris sibi permissa est. 4. Nec, si filius familias miles sit, et ad belli sumtus mutuo accepit. 5. Si mutuum non in pecunia, de qua

tantum loquitur senatus consultum, sed in alia re fuit; nisi in fraudem mutuum in re datum est, ut re vendita pecunia fieret. 6. Si pecunia alio titulo debita, velut pro conductione, in mutui obligationem translata fuerit; nisi vero titulus ille in fraudem assumptus sit 7. Si filius familias fidejussor sit pecuniae, quam alter mutuo accipit; nisi vero hic etiam fraus intercedat, dum alter ficte se gerit ut principalis, ut pecunia deinde ad filium familias perveniat. 8. Si filius familias jussu aut consensu vel expresso vel tacito patris mutuum accepit, aut sui juris effectus obligationem ratam habuit, si solvere coepit. 9. Si filio familias procul a patre degenti pecunia mutua data est in sumtus ejusmodi, quos paterna pietas non recusaret. 10. Si quod filius familias mutuo accepit in patris commodum et utilitatem conversum est; aut mutuum acceperit pro gerendo negotio, cujus cura ei a patre demandata fuerit, nullo interdicto mutui accipiendi. Notandum tamen, si pecunia mutuo accepta extet, sane teneri obligatione naturali filium familias eam creditori reddere; quod satis intelligitur ex superius dictis.

Prodigus non habens curatorem civiliter ac naturaliter obligatur, cum liberam habeat bonorum suorum administrationem. Si curatorem habet, ipsique interdicta est penitus alienandi potestas, nulla est obligatio, quam contrahit; et si quid ab eo est datum, restituendum est vel ante sententiam judicis.

Uxor de dote, ac dotis fructibus, deque bonis familiae communibus, quorum administratio jure ad virum pertinet, nonnisi consentiente aut permittente marito disponere vel contrahere potest, nec nisi in usus, pro quibus non invitus ille ratione praesumitur. De bonis autem propriis, quae praeter dotem attulit et sibi reservavit, cum eorum liberam habeat administrationem, disponere potest, nisi quatenus jura obsistant, aut statuta locorum.

CAPUT III.

De materia contractuum.

Materiam contractus ajunt doctores oportere possibilem esse, honestam, ac propriam. Nam 1. Contractus fieri non potest nisi de re, quae praestari queat; siquidem ad impos-

sibile nemo tenetur. 2. De re honesta seu licita; quippe repugnat, ut quis facere teneatur, quod facere illicitum est. 3. De re, quae sit contrahentium juris; nec enim potest quis in alium jus transferre, quod ipse non habeat.

Quod attinet ad primum caput, quaeritur, cum res contracta partim praestari potest, partim non potest, utrum contractus valeat, nec ne. Ex. gr. pactus es te daturum centum aureos pro centum modiis tritici; ex his quinquaginta perierunt; quaeritur num pro aliis quinquaginta contractus teneat. Pariter pactus es daturum te centum aureos pro duobus equis albis ad currum jungendis, unus perit, quaeritur num alterum accipere tenearis.

Respondendum cum distinctione. Vel pactum versatur circa res contractas ut singulas et separatas, tumque valet pro parte quae praestari potest. Sic primo casu tenetur emtor quinquaginta modios qui supersunt, pretio constituto, accipere, tot aureos solvendo, quot modii supersunt; quia pactum fertur divisim in ipsos modios. Vel pactum versatur circa res contractas ut conjunctas et simul complexas; tumque si una pars deficit, pactu non tenet, ut in secundo casu. Fertur enim pactum in equos conjunctim, prout in unius ejsdemque coloris ratione conveniunt.

Quod attinet ad alterum caput, est etiam distinctio facienda. Nam duplici ratione contractus illicitus censeri potest, vel quod sit de re illicita, vel qui etiamsi est de re licita vitiosus efficitur propter aliquam circumstantiam. Ita si quis cum alio paciscitur de caede inimici patranda, contractus est illicitus ratione rei, quae in pactionem venit. At vero emtio gladii ad inimicum occidendum, venditio facta in templo, matrimonium tempore vetito contractum, sunt actus illiciti non ratione rei; siquidem emtio gladii, venditio mercium, matrimonium sunt suapte natura res licitae; verum fiunt illicitae ob adjunctam circumstantiam, ob pravum finem, ob loci vel temporis religionem.

Primum ergo nulla dubitatio est, quin contractus hac secunda ratione illicitus generatim possit esse validus; nisi circumstantia qua vitiosus efficitur talis esset, propter eam lege irritaretur.

Cum autem contractus est illicitus, quia materia ipsa est illicita, quaeritur, utrum et quemadmodum valeat. Hic vero est etiam distinctio adhibenda, etenim pactio quaevis de re illi-

cita considerari potest vel ante opus impletum, vel opere adimpleto. Ex. gr. paciscitur quis cum alio pecuniam ei se daturum, ut falsum testimonium dicat, quaeritur, utrum ante impletionem operis pactio teneat; deinde utrum posteaquam falsum testimonium dictum est teneatur alter pecuniam pactam solvere, alter eam retinere possit.

PROPOSITIO I.

Certum est porsus pactionem quamlibet de re illicita ipso jure nullam et irritam esse.

Pr. Nam 1. Si pactum de re illicita valeret, sequeretur aliquem obligari ad aliquid simul faciendum et non faciendum. Obligaretur ad faciendum, quia pactum valere atque adeo obligare poneretur, simul autem obligaretur ad non faciendum, quia lege ipsa qua quidquam illicitum redditur, unusquisque obligatur ne id faciat. Ergo repugnat pactionem aliquam de re illicita ratam et firmam haberi posse. 2. Idem ex utroque jure constat. Nam reg. juris 69. in 6. *In malis promissis fidem non expedit observari.* Et quidem etiamsi jusjurandum acceperit, ex reg. 58. *Non est obligatorium contra bonos mores praestitum juramentum.* Et reg. 64. *Quae contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi.* Et caus. 22. q. 4. c. 5. ex Isidoro: *In malis promissis rescinde fidem.... impia enim est promissio, quae scelere adimpletur.* Et cap. *Pactiones* de pactis ex Gregorio IX. *Pactum turpe vel rei turpis, aut impossibilis de jure vel de facto nullam obligationem inducit.* Ita etiam l. 26. de verborum obligationibus: *Generaliter novimus turpes stipulationes nullius esse momenti.* L. *Jurisgentium* 7. de pactis: Et *generaliter quoties pactum a jure communi remotum est, servari hoc non oportet..... nec jusjurandum de hoc adactum... servandum. Et si stipulatio sit interposita de his pro quibus pacisci non licet, servanda non est.* Et L. 6. C. de pactis: *Pacta quae contra leges constitutionesque, vel contra bonos mores fiunt, nullam vim habere indubitati juris est.*

Admisso vero maleficio, quaeritur num pactio valeat. Dicemus autem primo de foro externo, tum maxime de interiore foro conscientiae.

PROPOSITIO II.

Qui promisit aut solvit pro re illicita, si turpitudo est tantum ex parte accipientis, nec solvere tenetur quod promisit, et potest solutum repetere.

Probatur cum multis aliis juribus, tum L. *Idem* 4. ff. de condictione ob turpem caussam §. 2. *Quoties solius accipientis turpitudo versatur, Celsus ait repeti posse, veluti si tibi dedero, ne mihi injuriam facias.*

PROPOSITIO III.

Si ex parte utriusque turpitudo est, nec potest cui promissum est petere, nec alter quod solverit potest repetere.

Pr. L. *Mercalem.* 5. C. de condict. ob turp. caus. *Quamvis enim utriusque turpitudo versatur, ac solutae quantitatis cessat repetitio, tamen ex hujusmodi stipulatione contra bonos mores interposita denegandas esse actiones juris auctoritate demonstratur.*

Nunc de obligatione in foro conscientiae ex talibus pactionibus inquirendum; utrum admisso scelere, qui promisit solvere teneatur; utrum qui accipit, rem solutam retinere queat, an restituere debeat et cui. Est autem principii loco adhibenda distinctio quam facit S. Th. 2. 2. q. 62. art. 5. ad 2. Nimirum in eo quod alteri datur propter aliquam caussam, interdum contingit, ut datio ipsa sit illicita et lege prohibita, sicut patet in eo qui simoniace aliquid dedit; interdum vero caussa dandi est quidem illicita, sed tamen ipsa datio non est illicita, aut lege prohibita. Primo casu quod datum est nec potest juste retineri ab eo qui accepit, quia contra legem accepit; nec tamen debet restitui ei qui dedit, quia dando contra legem meretur ammittere quod dedit. Debet proinde in pios usus impendi. Altero vero casu, quod datum est licite retineri potest. Idem explicat S. Th. in 4. dist. 15. q. 2. art. 4. quaestiunc. 3. Aut lex prohibuit ipsum lucrum, vel caussam lucri tantum. Si ipsum lucrum est prohibitum, tum fieri non potest, ut juste detineatur. Et qui-

dem tale lucrum dicitur non solum turpe sed etiam iniquum. Si autem lex prohibuit actum, ex quo quis lucratur, sed non lucrum supposito actu, tunc quamvis acquirendo tali actu contra legem fecerit, tamen tenendo non facit contra legem: sicut cum quis de lenocinio vel meretricio lucratur; et ideo haec retineri possunt. Ita S. Th.

Notandum autem Sanctum Doctorem ejus turpis lucri, quod licite retineri queat, nonnisi unum et singulare exemplum proponere in meritricio quaestu, sive loco mox adducto, sive 2. 2. q. 32. art. 7., sive q. 62. art. 5. Similiter L. *Idem* 4. ff. de condict. ob turp. caus., ubi regulae generalis haec velut una exceptio affertur: *Sed quod meretrici datur, repeti non potest . . . . illam enim turpiter facere, quod sit meretrix, non turpiter accipere, cum sit meretrix.*

Hoc tamen unum et singulare exemplum, mirum quantum recentiores nonnulli doctores dilatare ac propagare studuerint; qui privatae mulieris eamdem hac parte conditionem faciunt atque vulgaris scorti, illique jure deberi, quod promissum fuerit, contendunt; qui pariter jure deberi pronunciant sicario, quod ei ad caedem patrandam promissum sit, aut quod nummario judici, ad vendendam iniquam sententiam. In quo etiam lepidum sane commentum excogitarunt. Si enim judici pecunia ostendatur, ut justam sententiam ferat, ajunt eam pecuniam non deberi, nec judicem illam posse retinere; quia jam tenebatur ex justitia justam dicere sententiam. Sed cum ex justitia non teneatur injuste judicare; pro illo injusto judicio, cujus laborem et periculum suscipit, sive pro illo labore ac periculo rite illum pretium exigere, eique deberi. Quae sane vel primo aspectu a ratione aliena videntur, nec minus a christianae institutionis officiis remota esse mox demonstraturi sumus.

Cum ergo quaestio instituatur et de eo quod ex pactionibus illicitis patrato facinore dari debeat, et de eo quod retineri queat, ostendemus 1. Pactum quod ex utraque parte turpitudinem contineat, etiam post factum nullam vi sua obligationem parere posse. 2. Demonstrabimus illam unam exceptionem, quam affert S. Thomas, generali huic regulae nil detrahere. 3. In his saltem pactis quibus justitia laeditur, quod solutum fuerit, retineri non posse. Sit itaque.

PROPOSITIO IV.

Pactum de re illicita patranda ex utraque parte turpitudinem continens, etiam post eventum vi sua nullam obligationem parit pretii solvendi ei, qui ex pacto rem illicitam perpetravit.

Probatur haec propositio argumentis quibus eam egregie confirmat doctissimus politissimusque theologus Paulus Comitolus Respons. Moral. lib. 3. qu. 5. Pauca ipsi delibabimus. 1. Jura statuunt pactiones illicitas hujusmodi: *Pro infectis habendas, rescindendas, non observandas, nullam obligationem inducere.* Idque ex jure canonico, cui civile consentire vidimus. Ergo neque post eventum possunt aliquam obligationem inducere. Secus non essent pro infectis habendae, vim aliquam retinerent, falsum esset eas nullam obligationem inducere. Hic vero forte Comitolo quis objecerit haec jura nonnisi pro foro externo valere; at facile fuerit ostendere his tolli etiam obligationem conscientiae. Nam hic jura non nituntur praesumtione alicujus rei occultae, quae ut plurimum intercedit, sed tamen aliquo singulari eventu potest locum non habere; ut cum propter imbecillitatem rationis leges ratum non habent, quod pupillus sine tutoris auctoritate gesserit. Quo casu naturalis obligatio permanere potest sublata civili. Ideo enim jura negant actionem quia praesumitur pupillum sine dolo egisse. Quod si constaret pupillum dolo egisse, jura non negarent actionem. Etsi ergo dolus in foro externo probari nequeat, nec proinde civili obligatione compelli possit, si sui doli sibi est conscius, profecto naturali obligatione tenebitur, quam naturalem obligationem ipsa jura sancirent, si dolus innotesceret. At vero nulla hujusmodi praesumtione in hac caussa jura nituntur; sed pactiones utriusque contrahentis improbitate contaminatas, prout revera fiunt, nullius momenti esse, nullam vim habere, nullam obligationem inducere, pro infectis habendas statuunt, ac declarant. Cum autem lex justa in foro etiam conscientiae valeat, sequitur ut quod illis legibus nullum declaratur, nullum quoque sit jure conscientiae. Accedit quod jura aequitatem naturalem fovent quam maxime. Nam si improbi homines intelligent suorum facinorum pretium jure conscientiae sibi deberi ab iis, quibus tur-

piter suam operam locarunt, accendentur vehementius ad improbitatem. Restinguetur autem eorum audacia, si persuasum eius fuerit, nihil vel jure conscientiae sibi deberi ob flagitium pactum et conventum. Quid autem tam aequitati naturali consentaneum, quam ut id non valeat, quo inflammari audacia potest ad scelus et improbitatem?

2. Adversarii concedunt stipulationem flagitiosam ante factum esse nullam. Ergo concedere debent etiam post factum. Nec enim si post factum vim habet, eam habet ex novo pacto inter contrahentes, sed ex illo quod factum antecessit. At illa fatentibus adversariis nulla est. Ergo etc. Accedit quod obligatio etiamsi vera et legitima, semel atque fuerit extincta, non amplius convalescit; ergo multo minus obligatio, quae nunquam fuit ante factum, quae pro infecta reputanda est et ab initio nulla, post factum convalescet. Eo vel maxime quod ex tali facto eam repetunt adversarii, quod non mercede aliqua, sed poena tantum et supplicio dignum est. Et sane leges divinae et humanae non minus oderunt turpitudinem rei factae quam rei faciendae. Ergo si propter turpitudinem rei ut adhuc faciendae, omnem tollunt obligationem ex pacto, non minus eam tollere censendae sunt ex facto propter turpitudinem ipsiusmet rei ut factae.

3. Turpis stipulatio veram formam contractus non retinet, enim vero haec forma in legitima consensione posita est. Quis autem legitimam consensionem in turpi consensione requirat? Ergo talis stipulatio non est verus contractus. Ergo caret omnì obligatione sive ante, sive post factum.

4. Jus ex injuria non nascitur; si ergo ex injuria ut facienda cujusvis pacti interpositu nullnm jus oritur, nec oriri poterit ex injuria, ut facta.

5. Denique accedit auctoritas doctorum, qui pro hac sententia laudantur a Comitolo, inter quos Alexander, Immola, Navarrus, Covarruvias, Medina etc.

Porro autem maximum adversariae opinionis fundamentum est, in flagitiis eorum, qui ad scelerate agendum corpora sua vel operas locant, duo spectari debere, primo ipsam pravitatem actionis, et hanc fatentur non esse pretio aestimabilem. 2. Ipsam entitatem actionis, voluptatem et utilitatem, quam alter ex ea percipit, molestiam et periculum quod alter in ea ponenda subit. Atque haec volunt esse pretio aestimabilia.

Verum, ut egregie animadvertit Comitolus, nulla id est accurata consideratione inventum. Nam si abstractionis auxilio res pretio est aestimabilis, spectata praecise ut ens est, et ut sejuncta ab attributis. quae illi necessario adhaerent; etiam sacramenta vendi poterunt, quia spectari possunt per abstractionem, ut sunt entia. Quod si vendi non possunt, quia ipsorum entitas necessario habet adjunctam dignitatem, quae vincit omne pretium; nec etiam turpis actio vendi poterit; quia ipsius entitas habet adjunctam turpitudinem, quae est infra omne pretium. Deinde res non cadit sub pretium, quia res est, sed quia utilitatem praebet. At res flagitiosa eam patranti aut expetenti multo minus aliquam veram utilitatem afferre potest, quam potio venenata; quae valeret quidem ad praesentem dolorem leniendum, sed cito certissimam mortem afferret. Non enim opem fert, qui ad peccandum adjuvat, Aug. ep. 153. c. 3. n. 21. Quo patet neque utilitatis nomine turpem actionem esse aestimabilem. Nec porro talis est titulo voluptatis. Nam voluptas, quae improbam actionem sequitur, est improba; eo vel maxime quod vitium ipsum facit ut jucundius sic etiam diuturnis. Ergo de ea non secus ac de actione ipsa sentiendum, praesertim cum ab actione separari nequeat, et proinde pretium separatum habere non debeat. Accedit quod nemo voluptati sed actioni pretium pendit; ut scriptioni, lectioni, aedificationi, curationi, vectioni etc. quod certo argumento est non voluptatem operis sed opus ipsum aestimari. Deinde molestia et periculum quod quis suscipit in flagitio faciendo, pretium suum non aliunde repetit, quam ab utilitate vel voluptate quae ex opere illo percipitur. Sed haec nullius est pretii, ut dictum est. Ergo etc.

Alterum adversae opinionis firmamentum est, quod stipulatio cum vulgari scorto valet post factum, ut agnoscere videtur S. Thomas; quare etiam multi doctores agnoscunt pactam mercedem meretrici deberi; nisi fraus intervenerit, aut qui pactus est alienandi facultatem non habeat.

Verum ut omnis aequivocatio tollatur ex caussae constitutione, probe est animadvertendum S. Thomam sive q. 32. sive q. 62. jam productis hoc tantum affirmare meretricem posse licite accipere et retinere, quod sibi datur ex turpi caussa, et vicissim posse licite aliquem meretrici dare, licet ob turpem caussam. Minime autem affirmat D. Th. ex pacto

inito cum meretrice admisso facinore oriri obligationem qua teneatur alter vi pactionis dare quod promisit: haec autem jus habeat vi pactionis pretium exigere. Quae duo sane longe differunt. Nam prius nihil officit nostrae propositioni; et hoc solum ait S. Thomas: posterius sane officeret; sed illud Sanctus doctor non affirmat. Hinc patet Sanctum Thomam nullo modo favere adversariorum opinioni putantium turpem illam pactionem valere, quatenus pretio sit aestimabilis copia quam sui meretrix facit.

Deinde animadvertendum multos gravesque doctores in ea versari sententia, ut putent ex turpi pactione post factum nil scorto deberi. Ita Navarrus et Medina. Ita Adrianus in qq. de restitut. ubi ait: Opus facientis malum nullius esse valoris, et alio loco non vult valere stipulationem, qua leno mercedem lenocinii stipulatur. Quin etiam Alexander Halensis 4. p. summae q. 24. justum quidem ait esse dare pretium pactum meretrici, ut possit, iniquit, retrahi a peccato, et ne ulterius peccet; non autem quod opera ejus digna sit pretio. Quibus maxime nostra sententia confirmatur.

Hinc Navárrus secutus Antoninum censet ejusmodi personas nil jure posse petere ut sibi debitum, sed solum accipere ut munus gratuitum, vel tamquam quid derelictum. At nobis placet maxime sententia Comitoli ajentis pretium ejusmodi personis deberi, non tamquam remunerationem, sed tamquam lucrum lege ipsis tributum; nam. 1. Certum est posse leges malum illud majoris mali vitandi caussa tolerare. 2. Possunt etiam leges qui ad hoc malum accesserint pecunia mulctare. 3. Possunt ergo etiam quod pactum fuerit ad instar mulctae exigere, et illis personis quas tolerant ad victum attribuere.

Tertium argumentum petere adversarii possunt ex Can. *Si ad peccatum* caus. 22. q. 4. ubi de latrone qui non valens solus expoliare hominem, adjungat sibi socium iniquitatis, quocum paciscatur, ut simul id faciant, et spolium dividant: ille vero latro commisso facinore totum auferat; de illo, inquam, latrone dicitur ex Augustino. *Ille utrobique perfidus, profecto sceleratior judicandus est.* Utique sceleratior quia socio iniquitatis fidem non servavit. Ergo servare tenebatur commisso facinore; secus ea violanda non sceleratior esset.

Verum non ideo ille latro sceleratior ab Augustino judi-

catur, quod fidem violaverit, quam servare teneretur. Etenim ut eodem canone dicitur: *Si ad peccatum faciendum fides adhibetur, mirum si fides appellanda est.* Sed ideo est sceleratior, quia ex majori scelere inducitur ad fallendum socium; nimirum ex majore improbitate, calliditate, avaritia, rei alienae cupiditate. Quocirca ibidem subjungitur: *Verumtamen qualiscunque sit, si et contra ipsam fit, pejus fit: nisi cum propterea deseritur, ut ad veram fidem legitimamque redeatur.* Ex quo satis intelligitur in scellerato pacto fidem proprie locum non habere, etiam commisso facinore; atque adeo pactum proprie non valere: pejus quidem fieri, si ex pejore caussa promissum non servetur; quo satis innuitur promisso ex turpi causa servando non bene fieri; imo idem promissum quod nullam vim habet, bene deseri. *Ut peccatum emendetur voluntatis pravitate correcta.*

Superest, ut inquiramus, num qui ex improbo pacto turpitudinem ex utraque parte continente, patrato facinore, mercedem accepit, eam licite retinere queat, an restituere teneatur, et cui. Qua de re triplex est sententia. Prima generatim docet pro nullo turpi opere mercedem accipi posse, sed necessario restituendam esse, non quidem danti, sed pauperibus. Pro hac laudantur a Comitolo Covarruvias, qui etiam scribit hunc frequentiorem esse doctorum consensum, Medina, qui eam ut communem agnovit, et adstipulatores ejus profert Innocentium in cap. *Quia plerique* de immunit. Ecclesiar. Panormitanum, et Hostiensem, tum Paludanus etc. Altera sententia extrema, quam ex recentioribus multi complexi, sunt lucrum ex omni flagitio, eo excepto quod certis legibus damnatum est, quale est simoniacum, (de quo genere lucri nulla controversia esse potest) ante sententiam judicis retineri posse concedit. Tertia sententia veluti media, quidquid ex flagitio quod legibus puniatur, sitque contra justitiam, percipitur, injuste ac illicite retineri docet. Sit itaque.

PROPOSITIO V.

Quod ex improbo pacto turpitudinem contra justitiam utrinque continente, accipitur, id saltem juste ac licite retineri nequit.

Pr. 1. D. Augustini auctoritate epist. 153. ad Macedonium. Quaesierat ab Augustino Macedonius, num ex religione sit, quod episcopi apud judices intercedant pro reis. Atque inter alias dubitandi rationes, hanc etiam objecerat: *Nunc, ut mores nostri sunt, et sceleris poenam cupiunt sibi homines relaxari, et id propter quod scelus admissum est, possidere.* Augustinus, ut hoc objectum diluat, profitetur se *nec dicere, nec sentire, nec decernere, interveniendum esse pro aliquo, ut quod scelere abstulit, sceleris impunitate possideat: sed ut remissa injuria, quod injuriose abstulit reddat.* Deinde ostendit, quod ab aliquo invito aufertur non semper injuriose auferri, nec adeo reddendum; ut cum ab invito merces operario debita repetitur. Tum addit: *Sed non ideo debet judex vendere justum judicium, aut testis verum testimonium, quia vendit advocatus justum patrocinium, et jurisperitus verum consilium. Illi enim inter utramque partem ad examen adhibentur: isti ex una parte consistunt. Cum autem judicia et testimonia, quae nec justa et vera vendenda sunt, iniqua et falsa venduntur, multo sceleratius utique pecunia sumitur, quia scelerate etiam quamvis a volentibus datur.*

Hic facile est argumentum concludere. Non potest judex vendere justum judicium, nec testis verum testimonium, et siquidem pecuniam uterque acceperit pro justo judicio et pro vero testimonio, etiam fatentibus adversariis eam retinere nequit. Sed ex Augustino multo est sceleratius pecuniam sumere pro iniquo judicio et falso testimonio etiam a volentibus eam dare. Ergo ea pecunia multo minus retineri poterit. Respondent adversarii pecuniam etsi sceleratius accipiatur pro iniquo, quam pro justo judicio, tamen non inique accipi pro primo ut pro altero; ex quo non sequitur pecuniam pro iniquo judicio acceptam non posse retineri.

Responsio refellitur 1. ex contextu. Agit enim Augustinus de pecunia quae scelerate ablata non debet sceleris impunitate possideri; sed quam illi, pro quibus episcopi interce-

dunt, debent reddere; ut sint vere poenitentes. 2. Quia fatentur omnes pecuniam non posse juste retineri, cum ipsa datio pecuniae et acceptio est per se illicita. Hic autem pronunciat Augustinus et dantem scelerate dare, et sumentem sceleratius accipere; idque colligitur ex ipsa ratione, quam affert, propter quam advocatus potest vendere justum patrocinium, non autem judex justum judicium, aut testis verum testimonium; quia scilicet advocatus pro una parte consistit; eique adeo suam operam locat pretio sane aestimabilem. At judex agens ut judex in utramque partem adhibetur. Quare opera judicis, ut judex est, sive judicium spectatum ut judicium non potest esse ex natura sua uni parti addictum. Ergo injustum est pro judicio; ut judicium est, et praescindit a justo et injusto, ab una parte pretium accipere.

3. Refellitur ex verbis quae sequuntur: *Ille tamen solet tamquam male sibi ablatam pecuniam repetere, qui justum judicium emit, quoniam venale esse non debuit. Qui vero pro iniquo judicio dedit, vellet quidem repetere, nisi timeret, vel puderet emisse.* Itaque agnoscit Augustinus ei qui vellet pecuniam pro iniquo judicio datam repetere, non obsistere jus verum in iniquo judice illius pecuniae retinendae; siquidem judicium ex natura sua non est venale; sed obsistere propriam ipsius dantis turpitudinem, propter quam timet aut ipsum pudet; et revera non ei debetur, quod ab accipiente retineri non potest.

Insuper eadem epistola cap. 6 n. 25: *Quis tandem, inquit, advocatus aut ex advocato ita vir optimus facile reperitur, qui suscepto suo, dicat: recipe quod mihi, cum tibi male adessem, dedisti, et redde adversario tuo quod me agente inique abstulisti? et tamen quem prioris non rectae vitae rectissime poenitet, hoc etiam facere debet, ut si ille, qui inique litigavit, non vult admonitus corrigere iniquitatem, ejus tamen iniquitatis nolit iste habere mercedem: nisi forte restituendum est alienum quod per furtum clanculo aufertur, et restituendum non est quod in ipso foro, ubi peccata puniuntur, decepto judice et circumventis legibus obtinetur? Quid dicam de usuris, quas etiam ipsae leges et judices reddi jubent? . . . Haec atque hujusmodi male utique possidentur, et vellem restituerentur, sed non est, quo judice repetantur.*

Ex hoc loco apertissime patet 1. S. Augustinum restitutioni obnoxios facere advocatos, qui caussae iniquae merce-

dem acceperint. 2. Non minus restituendum, quod circumventis legibus obtinetur, quam quod per furtum aufertur. 3. Lucrum ex usuris reddendum. 4. Haec et similia quae male possidentur, restituenda. Unde certe Aug. mirum quam alienus fuerit ab eorum opinione, qui sicario mercedem concedunt caedis patratae, judici sententiae iniquae, testi falsi testimonii etc.

Prob. 2. ex D. Th. 2. 2. qu. 32. art. 7. in conclusione: *Ex injuste acquisitis per furtum vel rapinam, non potest fieri eleemosyna, sed restitutio fieri debet: injuste vero quae quis per simoniam aut subversionem justitiae accepit, in eleemosynas elargiri tenetur: ex turpi lucro vero eleemosyna fieri potest, si velit, qui acquisivit.* Sed pactum omne contra justitiam subversionem justitiae continet. Ergo non solum lucrum expressa lege reprobatum velut simoniacum, sed lucrum omne ex pacto contra justitiam retineri nequit. Turpe vero lucrum, nec iniquum, videtur S. Th., ut superius vidimus, uno fere quaestu meretricio conclusisse.

Utrum vero aliis turpibus pactionibus quae subversionem justitiae non continent, quod scilicet acquisitum sit ex flagitio quod non sit contra justitiam, sed v. g. contra temperantiam, juste retineri queat; non habeo certi prorsus quod constituam propter oppositas de hac re doctorum magnae auctoritatis rationes et sententias. Placet tamen hanc propositionem cum clarissimo viro subjungere, nimirum praestare, ut restitutio universe praecipiatur a confessariis; tum quia dissentientibus hac super re doctorum sententiis, ad eam forte hujusmodi homines obligantur in conscientia sive naturali jure, sive positivo, tum praesertim quod hac poena digni sunt, qui ex iniquitate lucrum percipiunt, atque hoc remedio maxime indigent, ne lucro illecti ad relabendum facile inclinentur.

Quod attinet ad tertium caput dictum est materiam contractus oportere propriam esse; hoc est eam talem esse, cujus contrahendae jus adsit contrahenti. Ex quo intelligitur 1. Pro eo quod ex justitia debeatur, pretium nec accipi nec retineri posse. Itaque si quis a te pecuniam accepit, ne tibi injuram inferat, hanc retinere non potest. 2. Si agitur de officio non ex justitia, sed ex alia virtute praestando, distinctione utendum. Nam si opus non est pretio aestimabile, velut collatio sacramentorum, non potest pro ejusmodi opere

quidquam tamquam pretium accipi, ac retinere. Sed si opus in se spectatum, vel opera quae alicui praestatur per actum, quem ex aliqua hujusmodi virtute sine lucro quisquam praestare tenetur, pretio aestimari potest; alii adhuc negant pretium pro tali opere accipi posse; inter quos Molina, Salonius, Medina etc. hoc argumento: teneris operam illam gratis navare; debesque illam praestare, etsi nihil tibi detur. Ergo nequis pro ea mercedem accipere. Alii vero sentiunt probabile saltem esse ut si non licite saltem valide et sine restituendi obbligatione accipi possit. Quia reliquae virtutes a justitia distinctae restituendi obligationem non inducunt. Unde licet contra eas peccatum sit pretium accipiendo, non tamen id erit necessario restituendum. 3. Si agitur de officio et opera, quae in alterius utilitatem cedat, quam praestare quis minime teneatur; sed in qua voluntarie praestanda virtutis quemdam actum exerceat; negant etiam aliqui pro tali officio fas esse pretium accipere, ajentes peccatum esse facere quodcumque opus virtutis propter lucrum. Verum alii communius contrarium statuunt cum Molina disput. 93. ajentes pro bonis operibus ad quae quis non tenetur, cum sint supererogationis, et praesertiam pro iis, quae in aliorum commodum cedunt, accipi posse pretium, modo immoderatum non sit, atque adeo injustum quoad excessum. et modo in venditione et commutatione simonia non intercedat; ut fas erit accipere moderatum pretium pro inserviendo infirmo etc. Addendum videtur 1. Tum pretium non dari nec accipi propter ipsum actum virtutis ex objecto ejus formali; sed propter opus materiale quatenus utile. 2. Nec posse quidquam accipi pro officio, quod etsi non debetur, tamen quoties exhibetur, gratis ex natura sua est praestandum. Sic ille qui mutuatur ex pura liberalitate, nihil potest exigere, quia posito quod mutuum detur, ex justitia gratuitum esse debet.

CAPUT IV.

De conditionibus conctractum afficientibus.

Paucis hoc caput absolvemus; quippe multa ad hanc rem pertinentia superiore ex capite quod fundamenti loco positum est, nullo negotio explanari possunt.

Conditio dicitur circumstantia contractui adjecta, a cujus

positione seu existentia contrahentes valorem contractus pendere volunt. Multiplex afferri solet ejus divisio. 1. Ratione temporis conditiones sunt aut de praeterito, vel praesenti, aut de futuro. 2. Ratione materiae aliae sunt necessariae, aliae impossibiles, aliae contingentes. 3. Ratione objecti aliae honestae, vel licitae, aliae turpes. 4. Relate ad ipsum contractum aliae sunt contra naturam seu substantiam contractus, aliae inutiles etc. His positis.

1. Conditiones quae ad praesens vel praeteritum tempus referuntur, aut statim infirmant obligationem, aut omnino non differunt; ut spondeo dare decem aureos, si navis venit ex Asia, aut si jam est in portu. Nam si res ita non est, nihil valet stipulatio; si autem ita se habet, statim valet l. 3. Institut. tit. 16. §. 6. Ita etiam conditiones necessariae de futuro statim inducunt obligationem, ut ex L. *Si pupillus* 9. ff. de novation. Velut spondeo dare si cras sol orietur. Notandum tamen, ne talis conditio de futuro alioquin necessaria, accipiatur ut determinatio temporis, quo qui condictionem adjicit vult stipulationem valere; tum enim obligatio differtur quoad effectum usque ad id tempus quo eventus etsi necessarius est impletus. Aliud est etiam si conditio tametsi necessario futura, non sciretur a contrahentibus esse necessaria; tum enim contrahens rationem habet sufficientem exequutionis differendae usque ad eventum conditionis.

2. Conditiones de futuro impossibili aut turpi contractum ordinarie irritant. Ita l. 3. Instit. tit. 20. §. 11. *Si impossibilis condictio obligationibus adjiciatur, nihil valet stipulatio.* Ut si quis dixerit, dabo, si digito coelum attigeris. De turpibus autem patet ex L. 6. C. de pactis superius citata.

Dictum est *ordinarie*; eo quod conditio impossibilis et turpis pro non adjecta habeatur in contractu matrimonii; et in ultimis dispositionibus, puta haeredum institutionibus, codicillis, legatis etc. De matrimonio constat cap. *Si condictiones*: de condit. appositis ex Gregorio IX. *Condictiones appositae in matrimonio, si turpes aut impossibiles fuerint, debeant propter favorem ejus pro non adjectis haberi.* Excipiuntur tamen conditiones quae sunt contra substantiam matrimonii, ut ibidem dicitur: *Si conditiones contra substantiam conjugii inferantur, puta si alter dicat alteri: contraho tecum si generationem prolis evites, vel donec inveniam aliam honore vel facultatibus digniorem; aut si pro quaestu adulterandam*

te tradas, matrimonialis contractus quantumcumque sit favorabilis, caret effectu. Dicuntur autem hae conditiones contra substantiam matrimonii, quia tribus ejus bonis adversantur proli, fidei, sacramento, ut ajunt doctores: prima enim perimit bonum prolis; secunda, bonum sacramenti, de cujus natura est, ut sit individuum: tertia, bonum fidei, quam conjux conjugi servare debet.

De testamentis vero constat L. 3. ff. de conditionibus et demonstrat. *Obtinuit impossibiles conditiones testamento adscriptas pro nullis habendas.* Et L. 14. ff. de conditionibus institut. *Conditiones contra edicta Imperatorum, aut quae legis vicem obtinent, scriptae, vel quae contra bonos mores, vel derisoriae sunt, aut hujusmodi, quas praetores improbaverunt, pro non scriptis habentur: et perinde, ac si conditio haereditati sive legato adjecta non esset, capitur haereditas, legatumve.*

Et quidem merito jure canonico de conjugio, jure vero civili de testamentis statutum est; ne ut reliqui contractus sic isti per adjectas conditiones impossibiles vitientur. Nam in reliquis contractibus, qui sine contrahentium consensu non intelliguntur, et in quibus res sola agitur contrahentium, profecto illi qui consensum suum conditionibus impossibilibus adjiciunt, jocari aut insanire videntur, nullum verum consensum praestare; at longe secus habet in testamentis. Nam testamentum fit sine consensu haeredis, non ergo huic nocere debet conditio in quam non consensit. Aliunde testator, dum testamentum condidit censetur voluisse voluntatem suam exitum habere; non autem bona sua contra suam voluntatem aliis obvenire. Jam vero si turpis aut impossibilis condictionis ratio esset habenda; profecto non posset voluntas testatoris exitum reperire. Merito ergo praesumitur ficte conditionem addidisse: atque id revera voluisse quod in testamento scriptum est, citra ullam conditionis considerationem.

Sic etiam ubi agitur de matrimonio, contrahentes non tantum spectare debent, quod eorum interest, ut in reliquis contractibus; verum etiam, quid postulat dignitas sacramenti, quam revereri debent; quid status ipse conjugii tanti in ecclesia et republica momenti. Quare in ceteris quidem contractibus, qui conditiones impossibiles apponunt merito jocari velle videntur, quia privatum omnino inter eos negotium

geritur, e quo nil redundat offensionis in alterum, aut in res sacras vel publicas. At vero dum ad matrimonium conditiones hujusmodi apponunt, non praesumuntur jocari velle et per fictum matrimonium sacramenti hujus dignitatem turpi sacrilegio violare atque ecclesiae et reipublicae illudere. Unde censentur in matrimonium vere consensisse, atque adeo etiam illud vere contraxisse.

Verum insurgit alia dubitatio utrum saltem in foro conscientiae tale matrimonium valeat. Nam cum lex canonica, quae validum illud habet, nitatur praesumtione veri consensus; si revera consensus iste defuit, non poterit suppleri per legem; atque adeo matrimonium in foro conscientiae nullum erit. Hac de re adeo doctores dissentiunt inter se, ut septem diversas sententias Juveninus percenseat. Probabile sane nobis videtur hanc controversiam ex iisdem principiis dijudicari posse, quae ad celebrem quaestionem adhibentur de intentione ministri in conficiendis sacramentis. Censent scilicet docti gravesque Theologi dum minister consentit serio ponere, et revera serio ponit ritum externum applicando formam ad materiam, ut facit ecclesia; et simul contrariam quamdam voluntatem agitat; in eo ministro duplicem distinguendam voluntatem, primam efficacem, utpote quae habet effectum et exequutionem; alteram inefficacem, quae potius velleitas nominanda est; et quidem primam illam voluntatem efficacem esse quoque veram intentionem, utpote quae se intendit in rem ut faciendam. Ex quo concludunt ministrum illum valide conficere sacramentum; eo quod efficax ejus voluntas et intentio non tollatur per contrariam velleitatem, quam animo gerit. Eadem ratione dici posset in contrahentibus per verba de praesenti, dum adjiciunt conditionem impossibilem, duplicem quoque distingui posse voluntatem, unam efficacem, qua consentiunt perficere per verba de praesenti contractum matrimonii, alteram inefficacem seu potius velleitatem, quae refertur ad conditionem impossibilem adjectam; cum autem haec velleitas non impediat primam voluntatem quae revera est, utpote quae ad effectum perducitur, concludi posse videtur quidquid sit de contraria velleitate, fuisse nihilominus veram voluntatem et consensum, atque adeo matrimonium etiam in foro conscientiae valere.

3. Conditio de futuro contingenti honesto et licito tenet suspensam obligationem usque ad eventum. Tamen manet obli-

gatio eventus expectandi. Posita vero conditione obligatio fit absoluta. Conditiones hujus generis prout contractibus ac testamentis apponuntur, jurisconsulti dividunt in potestativas, quae sunt in haeredis potestate, ut; si Romam ibit, in casuales, quae pendent ex cursu rerum ut subest occultae dispositioni divinae providentiae; et in mixtas, quae ex utroque coalescunt. Quid porro jus de illis rebus praescribat, temporis angustiae non patiuntur, ut in eo explicando diutius immoremur.

Quaeritur autem utrum conditione adimpleta contractus sine novo consensu perfectus censeatur. Quadruplex de hac re sententia circumfertur. Prima victoriae existimantis non perfici contractum posita conditione, sed novum requiri consensum, ad quem tamen praestandum leges obligant. Altera sine novo consensu perfici contractum censet, pro qua citantur Innocentius, Panormitanus, Sylvester, Paludanus, etc. Tertia sententia consentit cum secunda quoad ceteros contractus; dissentit quoad contractum matrimonium. Nam si matrimonium sub conditione fiat, et ante conditionis eventum revocetur consensus, posita conditione non perficitur matrimonium, ut constat in eo qui per procuratorem vult matrimonium contrahere, quando enim procuratori dat facultatem contrahendi, videtur consensum praestare sub conditione, si procurator contraxerit, et tamen si revocat consensum, antequam procurator contrahat, matrimonium non valet. Si vero consensus non fuerit revocatus, plerique doctores gravissimi sentiunt posita conditione, sine novo actuali consensu contractum matrimonii perfici. Quarta sententia cum secunda etiam convenit quoad contractus qui solo consensu perficiuntur, dissentit quoad contractus qui perficiuntur traditione. Velut si promisisti rem aliquam te Cajo daturum, si crastina die pluet; interea vero pendente conditione, hanc camdem rem tradas Sempronio; illicite quidem feceris, non expectata conditione, rem alteri tradendi; valebit tamen traditio. Impleta conditione autem obstrictus manebis obligatione Cajo praebendi rem aequalem aut ejus valorem, quibus de rebus latius disputare non vacat.

4. Huc revocari potest contractus cum modo adjuncto, velut cum onere alteri contrahentium injecto; velut spondeo dare, ut mihi talem operam praestes. Modus hic non suspen-

dit contractum, sed statim perficitur, manente in altero praestandae operae obligatione.

5. Si contrahentes se obligent sanctione poenae, ut pretii solvendi ab eo qui defuerit, solvi haec pecunia debet ab eo qui sua culpa non servat contractum estque in mora notabili idque ante sententiam judicis, si exigatur. Quod si non exigitur, condonari censetur.

6. Contractus in diem certum statim obligat, exequutio tamen non urget ante diem constitutam. Si autem contractus sit in diem non certo eventuram, differtur obligatio, perinde ac in contractu conditionato.

7. In contractu disjunctivo cadente in res diversae speciei, puta promitto tibi equum vel bovem; ambae obligationi sunt obnoxiae, sed disjunctive pro arbitrio promittentis, quod si altera perit sine culpa ejus cui promissum est, altera ei obligata manet. Si autem res sint ejusdem speciei, et differant tantum penes majus et minus, velut promitto tibi sexaginta vel quinquaginta aureos; solum debetur quod minus est. Sed de his satis.

CAPUT V.

De forma contractus, seu de consensu, deque consensui adversis errore ac dolo.

Contractus forma duplex distinguitur, una intima, qua contractus vis, ratio et essentia maxime continetur, eaque in consensu posita est, altera exterior formulas complectens, quibus contractus adstringi ac velut vestiri postulant: de priore hic tantum agimus. Quaeritur vero primum utrum contractus initus aut sine voluntate contrahendi, aut sine voluntate se obligandi valeat in foro conscientiae. Casuistae non pauci negant; contra quos.

PROPOSITIO I.

Quisque sciens ac volens consentit iis verbis aut signis uti adversus alterum, quae voluntatem et obligationem more humano significant et complectuntur, ille revera contractum init et obligatione adstringitur.

Pr. 1. Quisquis sciens et volens consentit in verba aut signa quibus contrahendi voluntas et obligatio more humano significantur, ille voluntarie manifestat voluntatem contrahendi et obligationis susceptionem. Sed qui manifestat voluntarie ipsam contrahendi voluntatem, ille revera contrahit; siquidem contractus in ipsa voluntate manifestata, et acceptata consistit, atque adeo obligationem suscipit. Ergo etc.

Pr. 2. Fides ex communi hominum sensu, ex philosophorum decretis, et ex doctorum etiam nostrorum approbatione ex eo appellata est, quod fiat quod dictum est. Ergo quisquis sciens ac prudens aliquid se facturum, aut praestiturum dixit, fide ipsa tenetur illud ipsum facere, et praestare quod dixit, quidquid interius cogitaverit; sed si fide tenetur, veram obligationem habet. Ergo etc.

Jam de errore ac dolo paucis agendum. Error est actus mentis falsum pro vero approbantis. Dolus apud veteres graecos atque latinos vox est ambiguae significationis, nam et bonum dolum et malum veteres dixere. Et illum quidem pro solertia accipiebant; ut testatur Ulpianus L. *Hoc edicto* 1. ff. de dolo malo. Hujus vero, eodem teste, veram definitionem Labeo attulit, nempe *dolum malum esse omnem calliditatem, fallaciam, machinationem ad circumveniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibitam.* Nonnulli doctores haec tria sic distinguunt ut dicant calliditatem in eo esse, qui tacendo alterum circumvenit, velut si venditor sciat mercem esse alienam, aut corruptam, ac taceat: fallaciam in eo qui verbis fallit mentiendo; quae notio nititur l. *Falsus* 43. ff. de furtis §. 3. qua fallax dicitur, qui decipit dicendo se locupletem etc.: machinationem denique in eo qui verbis artificiose compositis alteri illudit.

Error porro ut et dolus alius dicitur dare caussam contractui, quo nempe sublato contrahere quis minime vellet; alius vero dicitur incidere in contractum, quo sublato nihi-

dominus contractus fieret. Prior scilicet est antecedens, posterior concomitans.

Item error et dolus alius versari dicitur circa rei substantiam, alius circa rei accidentia. Itaque si cui cervisiam pro vino tradas, error et dolus erit circa substantiam, si vinum languidius pro vino generoso erit de accidente. Error est circa substantiam contractus, si versatur circa ipsam materiam, ut si emas vitrum putans emere gemmam; si versatur circa naturam contractus, ut si consentias in contractum quem putas esse mutui et est donationis, si versatur circa id quod spectatur tamquam caussa principalis et sui ratione intenditur; quo pacto consideratio personae saepe pertinet ad substantiam in contractu donationis; quo, ut plurimum quis liberalitate uti vult erga certam personam, grati animi, aut alterius rei caussa; non autem in contractu venditionis; in quo ut plurimum venditori nihil interest, uni potius quam alteri vendere. Ad substantiam item revocatur qualitates rei, quae tanti sunt momenti, ut rem ipsam ex communi hominum existimatione diversam faciant; nam hic substantia et qualitas non solum physice sed etiam moraliter accipiuntur; ita etiam qualitas, de qua ita convenit inter contrahentes, ut ea sublata nolint valere contractum; ut si quis hac conditione vinum emit, si est certae ac determinatae regionis, et non aliter.

PROPOSITIO II.

Quoties error vel dolus versatur circa substantiam contractus, tum omnino contractus est irritus.

Probatur ratione quam affert Gratianus cap. *Quod autem* caussa 29. quaest. 1. *Consensus est duorum vel plurium sensus in idem. Qui autem errat, non sentit: non ergo consentit, idest simul cum aliis sentit.* Sed sine consensu nullus est contractus, ut ex ejus def. patet. Ergo etc. Idem constat l. *Si per errorem* 15. ff. de jurisdictione, ubi dicitur non consentire qui errant. *Quid enim tam contrarium consensui est quam error?*

Hoc porro intelligendum non solum de errore ac dolo antecedente sed etiam concomitante; nam error et ignorantia concomitans facit ut actus nec sit voluntarius, nec involun-

tarius, ut tractatu de actibus humanis dictum est. Ut autem valeat contractus non satis est eum non esse positive involuntarium, sed praeterea requiritur ut sit voluntarius. Talis autem non est, ubi adest error concomitans circa rei substantiam.

Ob. Jacob etsi non consensisset in liam sed in Rachelem ejus tamen matrimonium cum Lia valuisse.

Respondet Gratianus citato loco: *Jacob et Liam non fecit conjuges praecedens consensus, sed subsequens: nec tamen ex primo concubitu fornicarii judicantur; cum ille maritali affectu eam cognoverit, et illa uxorio affectu sibi debitum persolverit, putans lege primogenitarum et paternis imperiis se sibi jure copulatam.*

PROPOSITIO III.

Simplex error cadens in rei qualitates, etiamsi det caussam contractui, non ipsum infirmat; praebere tamen locum potest exceptioni vel actioni.

Pr. Etenim cum hujusmodi error non tollat rei cognitionem, nec tollit voluntatem de re illa contrahendi, quae contractui subjecta est. Habetur ergo verus consensus ac proinde contractus valet. Ideo Gratianus loco citato: *Error qualitatis non excludit consensum*: Utpote si quis emerit agrum, vel vineam quam putabat esse uberrimam; quamvis iste erraret in qualitate rerum, rem minus fertilem emendo, non potest tamen venditionem rescindere.

Hinc si quis uxorem ducit inopem, quam putat esse divitem, valet matrimonium; siquidem hic error circa personae qualitatem, non tollit cognitionem personae, nec adeo voluntatem ineundi cum illa individuam vitae conjunctionem. Excipi tamen debet si error sit de qualitate, quae dirimens impedimentum inferat; ut si quis contraheret cum femina, quam putat liberam esse, cum sit serva in alterius dominio posita; tunc enim non valet matrimonium. Sed etiam patet ejusmodi qualitatem, ad quam impedimentum dirimens adjectum est, pertinere ad substantiam contractus.

At licet error circa qualitatem contractum generatim non vitiet, aliquando tamen decepto competit actio ad illum rescindendum (excepto sane matrimonio propter indissolubilem

ejus nexum). Sic ille qui emit quidquam in aliquem usum, velut trabem ad fulciendum tectum, res autem propter qualitatem, circa quam erratum est, inepta et inutilis ad eum usum comperiatur, velut si trabs tabe cosumpta est, poterit emtor a judice petere, ut contractus rescindatur.

Cum vero error caussam praebens contractui, licet versetur circa rei qualitates, ex dolo alterius processit, quaestio instituitur, utrum contractus sit firmus an irritus. Et quidem in foro contentioso jurisconsulti plerique distinguunt inter contractus bonae fidei, et contractus stricti juris; ajuntque contractus bonae fidei ipso jure irritos esse in favorem decepti, ita ut si ei non expediat, possit libere a contractu discedere; si expediat, possit decipientem ad observationem obligare. Ita l. 3. §. 3. ff. pro socio: Societas si dolo malo, aut fraudandi caussa coita sit, ipso jure nullius momenti est: quia fides bona contraria est fraudi et dolo. Et l. 16. ff. de minoribus: *Si minor circumscriptus societatem coierit, vel etiam donationis caussa, nullam esse societatem, nec inter majores quidem, et ideo cessare partes praetoris.* Contractus vero stricti juris ajunt non esse ipso jure irritos, concedi tamen decepto exceptionem doli, ne cogatur adimplere contractum, aut si implevit, dari ei actionem de dolo contra decipientem, ut damnum restituat. Ita l. 36. ff. de verborum obligat. *Si quis cum aliter eum convenisset obligari, aliter per machinationem obligatus est: erit quidem subtilitati juris obstrictus, sed doli exceptione uti potest.* Sic etiam l. *dolo* 5. c. de inutilibus stipulationibus. Quare vero in foro contentioso contractus bonae fidei sint ipso jure irriti, cum dolus eis caussam dat, non tamen contractus stricti juris, non aliam rationem ait Rebellus a Conrado reddi, nisi quia ita jura disponere voluerunt; quippe ex natura rei eamdem esse rationem in utrisque. Quocirca ipse Rebellus cum Conrado et Covarruvia censet in foro conscientiae tale discrimen locum non habere, et omnes ipso jure irritos esse habendos. Ceterum cum circa hoc discrimen jurisconsulti nonnulli ab aliis dissideant, dum illi omnes contractus, quibus dolus caussam dederit, ipso jure perinde nullos, isti omnes perinde validos affirmant, ut notat Heinecius, leges autem in utramque partem proferantur, nos de hac controversia, deque legibus conciliandis ne verbum quidem faciendum putamus.

Quod attinet ad forum conscientiae probabilior nobis vi-

detur sententia mox ex Rebello exposita, quam etiam tuetur doctissimus Molina de contractibus disput. 259. cujus doctrinam breviter hic complectemur.

1. Igitur docet n. 7. contractum bonae fidei, cui dolus caussam dedit, non solum in exteriore, sed nec in foro conscientiae valere, probat autem: Quoniam sic deceptus consensurus non erat in contractum, sed per errorem consensit, illo eodem, cui se obligavit, consensum extrahente per dolum, atque injustitiam: cum ergo error involuntarium in re proposita causet, assensusque extortus sit per dolum ac injustitiam ejus, cui consentiens intendebat se per eum obligare, consequens est, ut non magis efficax sit ad obligandum, stando in foro conscientiae ac naturali, quam consensus extortus per vim et metum. Ita Molina. Et sane hic recurrit ratio firmissima, ex injuria et injustitia nullum jus decipienti acquiri posse, ergo nulla obligatio jure naturae in decepto. Idem porro valere statuit n. 16. de contractu stricti juris.

2. n. 8. Docet ex probabiliore sententia eum qui dolum adhibuit manere obligatum in conscientiae foro ad standum illi etiam ante ullam judicis sententiam, modo deceptus velit. Quippe ille suo consensu erga deceptum obligatur.

3. Fatetur tamen excipiendum esse matrimonium, cui etiamsi dolus caussam dederit, validum tamen est in foro conscientiae; miraturque Medinam contrarium docuisse. Sed, ut mihi videtur, nil ex eo concludere possunt adversarii contra nostram sententiam. Ipsi coguntur admittere discrimen inter matrimonium et reliquos omnes contractus. Nam licet dicant contractus, quibus dolus caussam dederit ipso jure non esse nullos, concedunt tamen in favorem decepti esse rescindendos; hoc tamen de matrimonio valido concedere non possunt. Ergo quam ipsi rationem peculiarem afferent ejus discriminis, ea nos utemur ad ostendendum, quemadmodum reliqui contractus quibus dolus caussam dederit jure naturae nulli sint, matrimonium autem consistat.

4. n. 10. Docet, quando dolus causam dat contractui, decipientem teneri erga deceptum de damnis omnibus tam lucri cessantis, quam damni emergentis contractum consecutis.

5. n. 11. Quando dolus adhibetur a quodam tertio, altero contrahente non conscio valere contractum, dari tamen decepto actionem adversus eum, qui dolum adhibuit. Quod

quidem facile intelligi potest ex his quae de metu in philosophia morali docuimus.

6. n. 13. Quando dolus fuit quidem a contrahente commissus, sed solum incidit in contractum, quia alter v. g. erat emturus, licet non tanto pretio, tum contractum in utroque foro valere; verum dari actionem decepto, etiamsi non ultra dimidium justi pretii sit deceptus, ad repetendum, quod ratione doli plus dedit; teneri autem deceptorem restituere, non solum quod ultra pretium rigorosum accepit, sed etiam quidquid per dolum accepit supra justum pretium, quo emtor erat revera rem emturus; quippe totum illud incrementum injuste per dolum extortum est. Atque idem quoad conscientiam valere de contractu stricti juris docet n. 17.

Atque haec quidem de errore ac dolo. Quod porro attinet ad metum, quid sentiendum sit de contractibus ex eo initis, dictum est tractatu de actibus humanis.

CAPUT VI.

Utrum contractus jure humano nullus propter defectum solemnitatum, sit etiam nullus jure conscientiae.

Quaestio locum habet in omni contractu; potissimum vero instituitur de testamentis. Constat v. g. de voluntate testatoris cum haeredem instituendi, qui scriptus est in testamento; constat nulla ipsum fraude ac dolo circumventum. Nihilominus vel indiligentia notarii, vel alio casu deest testamento una ex requisitis solemnitatibus, puta unus testis deest ex numero quem jura requirunt ad valorem. Tale testamentum proinde jure ipso declaratur nullum. Quaeritur porro utrum etiam nullum sit censendum in conscientiae foro; adeo ut successor ab intestato etsi voluntatem testatoris cognoverit, nihilominus possit haereditatem adire; et qui scriptus est haeres debeat alteri haereditatem renunciare.

Multiplex est doctorum sentiendi ratio; 1. Nonnulli docent hujusmodi contractum in foro conscientiae valere. Hanc sententiam dicunt vel ipsam naturalem aequitatem gentili philosopho suasisse. Ita quippe Plinius Secundus lib. 5. epist. ad Calvisium. *Hoc enim, si jus aspicias, irritum; si defuncti voluntates, firmum et ratum est: mihi autem defuncti voluntas*

(*vereor quam in partem jurisconsulti quod dicturus sum, accipiant*) *antiquior jure est.* Pro hac sententia laudantur S. Antoninus, Angelus, Sylvester, Navarrus, Comitolus, Medina, Tabiena etc. Altera sententia docet tales contractus prorsus irritos esse. Hanc tenet Covarruvias, Victoria, Vasquez etc. Tertia sententia media via incedit, valere scilicet ejusmodi contractus, ut possessor juste retinere possit, quod habet vi talis contractus; usque eo dum per sententiam judicis res ei adjudicetur; lata autem sententia contractum non amplius valere, et possessorem teneri restituere, quod vi ejus obtinuit. Haec est Soti sententia, Cabasutii etc.

Ut autem ex caussae constitutione omnis ambiguitas removeatur, diligenter animadvertendum non hic propositum esse utrum talis aut talis contractus sine tali aut tali solemnitate jure positivo nullus et irritus habeatur, nec ne: omnem quippe de hac re disputationem jurisconsultis ultro relinquimus; sed hoc unum agi, utrum contractus quem constat ob defectum sollemnium jure positivo nullum esse, nullus quoque jure conscientiae sit censendus.

PROPOSITIO.

Contractus qui jure positivo nulli declarantur etiam ob solum defectum solemnium, nulli quoque in foro conscientiae censendi sunt.

Pr. Enim vero dominiorum divisionem, atque translationem reipublicae legibus obnoxiam esse, superius est invictissime demonstratum. Ex quo concluditur voluntatem testatoris v. g. per se jure naturali non sufficere ad transferendum dominium in alterum, nisi ei voluntati jus gentium publicis legibus in unaquaque republica determinatum vim praebeat.

Et sane solo jure naturali fieri non potest, ut homo disponere queat de suis rebus pro eo tempore, quo non amplius est inter homines futurus, et quo proinde non amplius ejus dispositioni subesse possunt. Quemadmodum ergo nemo possidet quod possidet teste Augustino relato celebri cap. *Quo jure*, nisi jure humano, idest eo jure quod per imperatores ac reges Deus privatis attribuit; ita etiam quae quis possidet, eorum dominium nonnisi eodem jure in alios transferre

potest. Si ergo leges communis boni caussa ad hoc dominium transferendum conditionem aliquam requirant, qua deficiente nolint ac vetent dominium transferri, ea conditione deficiente profecto dominium non transferetur. Ex quo fit ut si contractus jure positivo nullus et irritus declaratur, nullum jus, nullum dominium ex eo acquiratur. Igitur etiam jure conscientiae nullus est. Siquidem conscientia vetat, ne quis aut dominium, aut jus in aliquid sibi vindicet, in quod nullum dominium revera, nullum jus habet.

Pr. 2. Nemo quippe negat, quin leges publici boni caussa contractus aliquos irritos ac nullos juste declarare valeant. At leges justae vim habent in foro conscientiae, ergo si lex contractum nullum et irritum declarat, talis erit habendus in foro conscientiae, nec quisquam eo tueri se poterit ad aliquid habendum aut possidendum.

Pr. 3. Nam etiam negari nequit, quin jus canonicum quosdam contractus in foro etiam conscientiae irritare valeat. Sic Concilium Tridentinum irrita plane fecit matrimonia clandestina, quae scilicet fiunt sine praesentia parochi et testium. Ergo idem in rebus sibi subjectis jus civile praestare poterit. Nam etiam civilibus legibus subjecti esse debent homines, *non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Quippe civilis potestas ex Dei ordinatione est; ut proinde qui potestati resistit, ordinationi Dei resistat; prout ex Apostolo edocemur.

Obj. 1. Cessante fine legis, lex quoque cessare censetur. Ideo communis est Theologorum sententia correptionis fraternae praeceptum non obligare, quo tempore nullus ex correptione fructus speratur. Atqui finis legis solemnitates ad contractus aliquos requirentis, non alius est quam praecavere fraudes, quae neglectis illis solemnibus irrepere possunt. Ergo ubi constat fraudem nullam in contractu fuisse, desinit saltem pro foro conscientiae vis legis contractum illum infirmantis, estque adeo jure conscientiae validus, quia revera non adest id, cujus praesumtione positivo jure irritus habetur.

R. Majorem propositionem esse distinguendam. Cessat lex, cum cessat finis legis universe et in omnibus, id vero conceditur. Cum cessat finis legis solum in aliquo singulari eventu, id vero negatur. Quod cum aliunde constet, non est hic uberius declarandum. Hinc patet discrimen inter praeceptum

correptionis fraternae, et legem contractus ob defectum solemnium contractus infirmantem. Praeceptum illud pro fine proximo habet non bonum commune, sed peculiare alicujus hominis, in cujus emendationem spectat. Itaque sublata emendationis spe non urget vis praecepti erga eum hominem. At vero lex ista in bonum commune spectat tamquam finem proximum, non in privati alicujus utilitatem aut commodum. Atque adeo etsi aliquo eventu finis ejus legis cessaret, non ideo vis legis infirmatur. Hinc etiam sequitur falsam esse minorem argumenti propositionem. Non enim id tantum spectat ea lex ut fraudem ipsam repellat, sed ut periculum fraudis amoveat. Quamobrem etsi peculiari aliquo eventu contractus cui desint juris solemnia nulla sit fraude inquinatus, adhuc tamen generatim constat periculum fraudis in ejusmodi contractibus generatim metuendum esse si solemnia illa praetermittantur. Cum ergo lex non tam praesumtione fraudis, quam periculo fraudis nitatur; hoc autem periculum maneat generatim, ubi etiam fraus abest; sequitur ut sublata fraude nihilomnius et finis et vis legis permaneat, sitque adeo contractus nullus et irritus habendus.

Ob. 2. Lex infirmans testamentum, in quo constat de voluntate testatoris, idque ob merum defectum solemnitatum, videtur juri naturali adversari; quippe quae irritam reddit voluntatem testatoris, qui jure naturali potest de rebus suis disponere.

R. Jus naturale non aliam praebere testatori facultatem de suis rebus disponendi, nisi secundum jura et leges, quibus bōno publico consultum est. Proinde si testatoris dispositio illis juribus est consentanea, eam jus naturale confirmabit; si adversa, eam idem jus naturale infirmabit: non quod jus naturale per se spectatum tales solemnitates requirat; sed quod jus naturale jura humana eas solemnitates propter publicam utilitatem requirentia confirmet, atque illa jura observanda esse praecipiat.

Obj. 3. Cap. *Cum esses* de Testam. vult Alexander III. validum haberi testamentum, etiamsi numerus septem aut quinque testium desit, imo tot testes exigere ait a lege Dei patrum institutis esse alienum. Praeterea cap. *Quod sicut* de electione Innocentius III validam declarat electionem, in qua non erat servata. Demum jura multa decernere videntur non esse possessorem a possessione deturbandum, nisi petitoris

caussa judicio probata fuerit, in pari vero caussa reo favendum potius quam actori; qui autem haeres est scriptus, ille possessoris ac rei personam gerit.

R. Nil ex memoratis juribus adversus nostram sententiam concludi posse; non ex rescripto Alexandri III quod ad quaestionem quam hic instituimus minime pertinet. Non enim in eo caussa versatur, utrum septem an quinque testes ad valorem testamenti desiderentur, an duo tantum vel tres: sed solum contendimus testamentum non valere, si numerus testium ad ejus valorem lege requisitus desit. Pontifex quidem duos vel tres sufficere decernit. Notant vero doctores hanc decretalem utpote directam ostiensi episcopo, pro ea regione valere, quae pontificis dominio temporali subest. Certum quod ait pontifex plures testes exigere alienum esse a divina lege, ita intelligendum est non eo exigi quidquam contra divinam legem; sed solum quod plus exigatur quam exigat lex divina. Nam etiam pontifex ipse praesentiam parochi exigit, quam lex divina minime requirit; nac tamen contra legem divinam agere censendus. Quod attinet ad cap. *Quod sicut*, ibi mentio fit de electione non irrita, sed sub certis conditionibus irritanda.

Certum, quod est diligenter considerandum, repugnat plane, ut quidquam ex juribus proferatur, quod sit sententiae nostrae adversum. Nam cum hoc unum agamus nullum esse contractum, qui juribus ipsis nullus est, profecto repugnat, ut jura non esse nullum dicant contractum, quem nullum esse decernant.

Quod additur de possessore valet in foro judiciali. Ceterum certum est possessorem non legitime possidentem teneri ad restitutionem. Quod additur de reo locum non habet in hac controversia; nam pro diversa theologorum sententia sive haeres scriptus, sive successor ab intestato personam gerit rei. In nostra sententia reus est ipse successor; petitor, haeres scriptus. Ceterum negamus utrumque hic in pari causa versari, cum non de obscuro jure agatur, sed perspicuo, quo contractus nullus declaratur.

Porro ex nostra sententia minime sequitur omnes contractus, omnesque ultimas voluntates juris solemnibus destitutas esse irritas. Non haec nostra dijudicatio est. In hoc uno stamus, conctractum in foro conscientiae nullum esse, qui nullus sit jure positivo ob defectum solemnitatum. Quod si

jura ratam quandoque habent ultimam voluntatem, licet solemnitatibus destitutam, hanc quoque in foro conscientiae vim habere dicimus.[1] Quibus autem casibus jura tales dispositiones sine consuetis solemnitatibus ratas habeant, juris utriusque doctoribus tractandum relinquimus, cum angustiae temporis in eo immorari nos non sinant.

CAPUT VII.

Utrum jusjurandum irrito contractui additum vim habeat obligandi, et contractum confirmandi.

Animadvertendum initio haec duo proposita non ad unam eamdemque quaestionem pertinere. Quippe aliud est juramentum irrito conctractui adjectum obligare: aliud vero juramentum ei contractui accedens ipsum cofirmare, seu ratum efficere. Fieri sane potest, ut juramentum vi sua obliget ob reverentiam divini nominis, licet adjiciatur ad contractum ex quo nullum jus acquiri potest ei, quocum contrahitur; tumque juramentum ex religione obligat, nec tamen contractum confirmat. Si vero contractum confirmat, tum alteri acquiritur jus ex contractu, et obligatio justitiae nascitur ex parte contrahentis vi contractus.

Hinc merito monent doctores non esse confundendum utrumque modum illum obligandi. Sunt enim utriusque insignes differentiae quas memorant. 1. Quando juramentum obligat primo modo et conctractum non confirmat, habetur sola obligatio religionis erga Deum; nulla autem obligatio justitiae adversus alterum contrahentem. Ubi vero juramento contractus confirmatur, ad obligationem religionis erga Deum accedit obligatio justitiae erga alterum contrahentem 2. Hinc in primo casu obtenta relaxatione juramenti nulla obbligatio permanet. In altero casu manet adhuc obligatio justitiae erga hominem. Quamobrem ille qui laesum se arbitratur contractu, quem juramento cofirmavit, petendo et obtinendo juramenti relaxationem, non ea relaxatione liberatur ab obligatione servandi contractum, sed solum valet ea relaxatio ne juramento impediatur experiri, num vere ex contractu teneatur. 3. Quando juramentum non confirmat contractum, potest ei satisfieri momentanea solutione, quae sola promissa est, et statim repeti, quod solutum est; secus si ex contra-

ctu confirmato verum jus alteri acquiritur. 4. Quando juramentum non confirmat contractum, nulla datur ex ejus obligatione actio in foro externo adversus jurantem; secus si confirmat. 5. Quando juramentum non confirmat contractum, ejus obligatio non transit ad haeredes jurantis, quia obligatio est mere personalis, orta ex virtute religionis, non ex justitia; quando vero confirmat, obligatio transit ad haeredes jurantis.

Jam vero juramentum adjectum contractui per se irrito, quandoque parere posse obligationem vi sua et ex religione, licet contractus irritus permaneat, constans est theologorum sententia. Contrarium tamen vel adversus Grotium ipsum adstruere studet Puffendorfius de jure naturae et gentium. L. 4. cap. 2. §. 6. cui adstipulatur Barbeyracius in notis ad eum locum; qui etiam, licet homo non aptissimus ad jocandum, theologorum moralium de hac re sententiam irridet. Verum argumentis eorum mox proferendis facile constabit illos ejus sententiae, quam refellere susceperunt, fundamenta turpiter ignorasse.

PROPOSITIO.

Jusjurandum irrito contractui adjectum, etiam quando non eum confirmat, vi sua tamen obligat, cum nimirum sine peccato potest observari.

Pr. Luculentissima doctrina D. th. 2. 2. qu. 89. art. 7. In juramento, quod praestatur de his quae per nos sunt facienda, obligatio cadit super rem, quam aliquis juramento firmavit. Tenetur enim aliquis, ut faciat verum esse id quod juravit: alioquin deest veritas juramento . . . . . . Sic ergo dicendum, quod quicumque jurat se aliquid facturum, obligatur ad id faciendum, ad hoc quod veritas impleatur: si tamen alii duo comites adsint, scilicet judicium et justitia. Ita D. Th. ubi animadvertendum deesse discretionis judicium, si res quae promittitur, non est in promittentis potestate: deesse autem justitiam, si quod promisit facere non debet; vel quia est per se malum, vel quia est boni impeditivum, ut ibidem docet. Ex quo argumentum enascitur.

Quisquis jurat, tenetur facere quoad potest, ne juramento desit veritas; secus Deum adduceret ut testem falsitatis,

quod sine gravissimo flagitio fieri nequit. Sed qui juravit aliquid se facturum quod sine peccato praestare potest, non aliter valet efficere, ne veritas desit juramento, nisi praestando quod juravit se praestiturum. Ergo id praestare omnino tenetur. Secus non faciendo quod juravit se facturum, jam voluntarie committit, ut juramentum sit falsum, et Deus ab eo adductus sit testis falsitatis. Ergo etc. Quam quidem rationem plane fugisse adversarios nostros heterodoxos mirum est.

Pr. Insuper canonum auctoritate. Cap. *Cum contingat* 28. de jurejurando, Innocentius III decernit servanda esse juramenta sine vi et dolo sponte praestita, in talibus rebus, in quibus consensus alioquin non videtur esse obligatorius, cum in alterius praejudicium non redundent, nec observata vergant in dispendium salutis aeternae. Et cap. 6. ibidem Alexander III statuit debitores qui de usurarum solutione juraverint, cogendos esse domino reddere juramentum; licet postea creditores statuat compellendos ad eas restituendas.

Neque vero inane et ridiculum commentum est, ut perperam innuit Puffendorfius §. 8. velle quemquam teneri ad momentaneam solutionem alicujus rei, hoc animo et consilio ut eam continuo vel per se vel magistratus auctoritate recuperet; par enim unumque est, ait, nihil solvere, aut quod solutum fuerit, confestim recipere. Mirum hominem jurisconsultum in tantum errorem labi potuisse. Etenim vel ipso jure communi receptum est, ne praetextu compensationis depositarum rerum quis exactione defraudetur §. 30. Institut. de actionib. et L. ult. C. de Compensationib. Idque, ut notant interpretes, jura statuerunt non sine evidenti ratione; sive quod in eo contractu qui bona fide maxime nititur, nullum prorsus apparere debeat perfidiae vestigium; sive quod finis depositi est, ut res solius custodiae caussa deposita, deponenti, cum reposcitur, omnino reddatur. Unde fit ut qui depositam apud se rem tenet sui debitoris, nihilominus eam debitori reposcenti reddere debeat, licet confestim eam repetere velit ad debiti solutionem. Partier qui rem vi occupavit compensationis praetextu nequit se tueri, sed restituere tenebitur; licet eam deinde sit legitimo judicio repetiturus. Neque vero quicquam in eo absurdi est aut ridiculi, ut aliquis ex diversis principiis teneatur aliquid solvere, et tamen illud

possit continuo repetere. Quippe ex bona fide tenetur depositarius rem depositam reddere. Itaque si qui deposuit est debitor, nihilominus huic obligationi satisfacere debet, ac restituere. Attamen cum jus habeat ad suum repetendum debitum, poterit vi ejus juris rem ipsam quam reddidit legitime repetere. Sic etiam in eo qui juravit usuras se soluturum, viget obligatio religionis erga Deum; quia solvere potest sine peccato, ut ponitur. Nihilominus creditor ex iniqua cupiditate usuras accipit ac retinet: tenetur proinde, ut justitiae satisfaciat, quod inique acceperit restituere. In quo nihil est absurdi cum in debitore obligatio solvendi, et in creditore obligatio restituendi ex diversis principiis procedant.

Quidquid porro heterodoxi illi afferunt, ut probent *Juramentum vi sua nullam parere novam obligationem propriam et peculiarem*, quae ipsa est Puffendorfii propositio, ad haec duo capita revocantur. Primo. Quotiescunque fit juramentum obligatorium, semper aliqua res subesse intelligitur, ad quam quis se obligat; adeo ut si aliter agit, expositus maneat divinae ultioni. Atqui hoc esset ridiculum, nisi revera illicitum esset aliter agere, et consequenter nisi quis jam esset obligatus ad id quod jurat. Juramentum ergo supponit obligationem jam antecedentem, nec proinde ullam parit sibi propriam et peculiarem. Hoc etiam ipsum est argumentum Puffendorfii §. 6.

Verum ut presse huic argumentationi respondeamus concedenda major, distinguenda minor. Hoc esset ridiculum, nisi revera illicitum esset aliter agere aut vi obligationis antecedentis, aut vi obligationis quae contrahitur ipso juramento, conceditur: solum vi obligationis antecedentis, negatur.

Sane hic Puffendorfius manifeste id assumit quod est in quaestione positum. Ut enim probet juramentum nullam parere propriam obligationem, evincere conatur omne juramentum validum supponere obligationem jam ipsi antecedentem; hocque argumentum affert, quia nimirum ideo est validum juramentum, quod illicitum sit aliter agere, atque juratum fuerit. Sed controversia est, utrum hoc illicitum sit sumendum ex obligatione, quae praecesserit, an ex obligatione, quae ipso juramento contrahatur. Puffendorfius vero quasi jam certum esset nullam obligationem ipso juramento

contrahi, supponit non aliter illicitum esse posse agere contra ac quis juraverit, nisi quia jam res erat illicita vi obligationis antecedentis: unde manifestum est illum concludere juramentum omne requirere antecedentem obligationem; quia supponit quod est in quaestione, per ipsum juramentum nullam contrahi obligationem. Ceterum quod per juramentum contrahatur obligatio ad rem agendam, quae antea erat plane indifferens, atque adeo vi juramenti fiat illicitum, quod antea erat licitum, patet ex ratione superius adducta, quia tenetur facere quisque, ut verum sit quod juravit, ne Deum adducat ut auctorem ac testem falsitatis.

Alterum argumentum est, quia in juramento obligatorio nihil Deo promittitur; secus nulla esset differentia inter votum et juramentum ejusmodi. Et quamvis concederetur tale juramentum vim habere voti, adhuc nihil efficeretur. Nam votum non obligat, nisi ex acceptatione Divina: quis autem praesumere potest Deum acceptare velle promissiones alioquin irritas, et de rebus quae ad divinum cultum, aut ad virtutis officia nihil pertinet.

Verum boc argumentum manifeste prodit in adversariis ignorationem fundamenti, quo nostra sententia nititur. Etenim ut juramentum obligatorium valeat, minime opus est ei vim voti attribuere. Scimus votum esse oportere de meliore bono, nec proinde votum de rebus mere et ex omni circumstantia indifferentibus valere. At juramentum obligatorium de quo agimus vim sumit, non ex promissione facta Deo; sed ex ejus nominis auctoritate appellata ad aliquid testificandum. Porro nefas est Deum adhibere ut auctorem et testem falsitatis etiam in rebus indifferentibus. Ex hoc ergo capite qui juravit se aliquid facturum tametsi natura sua indifferens, tenetur id facere, ne Deum ut testem falsitatis producere voluisse videatur.

Praeterea objici potest regula 42. juris in 6. *Accessorium naturam sequi congruit principalis.* Atqui ubi juramentum accedit ad contractum, contractus se habet ut principalis, jusjurandum ut accessorium. Ergo si contractus est irritus, irritum quoque censendum erit juramentum.

R. Regulam allatam valere, cum accessorium in eodem genere est positum atque principale. Nam quando accessorium est in alio genere positum, evadit in suo genere principale. Itaque obligatio ex contractu principalis est in ordine justi-

tiae, obligatio ex juramento principalis in ordine religionis. Quare deficiente obligatione ex contractu, quando scilicet contractus est irritus, non sequitur, ut etiam deficere debeat obligatio ex juramento.

Quod autem superius allatum est ex cap. *Cum contingat*, dubitationem aliquam atque difficultatem injicere videtur. Etenim cum dicat pontifex servanda esse juramenta sine vi et dolo praestita, innuere videtur non ea servanda, quae sive dolo sive metu praestantur. Attamen juramenta quae vi extorquentur, aliquando sine peccato praestari possunt. Ergo ex allato cap. juramentum non semper servandum, etiam cum sine peccato servari potest.

Verum non ea est mens et sententia pontificis. Juramenta quidem dolo praestita, si dolus versatur circa substantiam, irrita esse facile constat; quia deest consensus, ut ex superius dictis patet. Sed alia est ratio de juramentis vi et metu extortis; cum enim hoc juramentum sit voluntarium et sine peccato servari queat, profecto illud servandum esse momenta superius allata persuadent, nisi relaxatio obtenta fuerit. Unde cap. *Si vero* eodem titulo habeatur juramentum per metum extortum servandum esse, simul tamen absolutionis beneficio locum dari. Quare animadvertit Molina tom. 1. disput. 149. Ideo illa verba cap. *Cum contingat*, et similibus adjecta esse; quia quando nulla facta est injustitia ei, qui pactum, aut promissionem juramento confirmavit, neque publica necessitas in bonum commune postulat, ut juramentum relaxetur, sane, ut bene notat Cajetanus in 2. 2. qu. 89. art. 9., non potest praelatus in detrimentum ejus, in cujus favorem est praestitum, illud relaxare, quoniam injuriam illi faceret. Ita Molina.

Objici demum et illud potest. Tridentium concilium sess. 24. cap. 16. de reform. renunciationem novitii etiam juratam, nisi sit certis condictionibus praedita, nullam declarat. Ergo juramentum non semper observandum, etiamsi possit observari sine peccato.

R. Ex hoc decreto nil concludi adversus nostram sententiam, quae loquitur de juramentis per se validis nec irritatis: decretum autem istud probat quibusdam in casibus juramenta ab ecclesia irritari; nisi ergo expresse irritentur, certissime obstringunt.

Quod porro attinet ad ipsam relaxationem juramenti no-

tandum est duplex ejus genus a doctoribus constitui, alteram directam et proprie dictam, alteram indirectam et improprie dictam. Prima cadit super ipsam spiritalem obligationem ortam ex juramento, cujus absolutio proinde ad solam spiritalem potestatem pertinere potest. Quare directa et proprie dicta relaxatione juramentum relaxare soli possunt praelati ecclesiastici, ex potestate a Christo sibi tradita ad solvendum et condonandum suo nomine ex justa caussa id quod Deo debetur. De Lugo disp. 22. sect. 8. n. 238. Indirecta vero et improprie dicta relaxatio, quae tantum respicit obligationem contractam erga hominem ex stipulatione, et quam juramentum confirmat, potest etiam ad alios spectare, quibus jus est eam obligationem erga hominem condonandi. Et 1. quidem patet eum cui facta est jurata promissio facultatem habere condonandae promissionis, atque adeo indirecte relaxandi juramenti. Sic si alicui promisisti cum juramento te mutuum daturum, et ille tibi renunciet obligationem ejus mutui dandi, profecto non amplius teneberis mutuum dare. Ex quo 2. concludit cardinalis de Lugo eam indirectam relaxationem videri concedendam potestati saeculari quae quatenus continet voluntatem suorum subditorum potest ex justa caussa eorum nomine praestare consensum, quem ipsi praestare tenebatur. Quando ergo alicui metu injuste incusso vel per injuriam promisisti dare 100. aureos, potest procul dubio (imo debet) ille cui promisisti te ab hoc vinculo liberare, etiamsi juraveris, quia promissio et juramentum continent conditionem implicitam, nisi is, cui promittitur, remiserit: quae sicut ipse subditus poterat consentire, ut non solveres, sic superior illius potest ejus nomine concedere eamdem facultatem ne solvas, atque consequenter et indirecte tollere obligationem juramenti: ablata enim promissione, quam prescindendo a juramento, potest superior laicus irritare, corruit obligatio juramenti quae illi promissioni adhaerebat, ut notat Sanchez. Ita cardinalis De Lugo.

Hinc 3. concludunt ad eum modum indirectum posse quoque rempublicam irrita quandoque reddere sibi subditorum juramenta: non quod aliquam habeat potestatem in ipsum juramentum, sed in rem subjectam juramento, quae nimirum legum interdicto publici boni caussa illicita efficitur, atque adeo inepta, in quam juramentum cadere possit. Hoc proinde contingit maxime, cum res contractui subjecta praecipue

ac principaliter ob publicam utilitatem interdicitur; atque ita interdicitur, ut contractus sit nullus, et ejus executio sit illicita. Sic si quis alteri promitteret cum juramento arma se laturum per eam civitatem, in qua publici boni caussa interdictum esset, ne arma ferantur, hoc sane juramentum nullum esset. Licet enim arma ferre per se sit indifferens; tamen interdicto legum fit illicitum. Ac proinde non amplius potest ejus rei utpote illicitae promissio juramento confirmari; siquidem juramentum non esse debet vinculum iniquitatis. Quam ad rem facere videtur L. *Non dubium* 5. C. de legibus: *Secundum itaque praedictam regulam, qua ubicumque non servari factum lege prohibente censuimus, certum est nec stipulationem hujusmodi tenere, nec mandatum esse ullius momenti, nec Sacramentum admitti.* Et. L. *Juris gentium* ff. de pactis: *Quoties pactum a jure communi remotum est, servari hoc non oportet, nec legatum, nec jusjurandum ad hoc adactum, ne quis agat, servandum.* Atque hujus rei exempla profert Molina disput. 149. ex juribus regnorum Castellae ac Lusitaniae.

Ex his principiis dijudicari potest alterum quaestionis caput; num juramentum contractui nullo additum ita ipsum confirmet, ut praeter obligationem religionis superaddat obligationem justitiae. Nonnulli doctores universe negant, ajuntque textus superius allatos ex jure canonico recte intelligi posse de sola obligatione religionis quam juramentum affert, quoties sine peccato servari potest. Alii vero communius hanc opinionem rejiciunt, atque multis casibus, quibus accedente juramento ad contractum ipsa jura tribuunt actionem, ostendunt tum sane ex juramento convalescere quod citra juramentum infirmum fuisset: convalescente porro contractu exoriri obligationem justitiae palam est.

Ceterum hoc etiam communiter statuunt. Contractus jure naturae irritos per juramentum non convalescere. Nam cum lex naturae sit necessaria, si contractum per se irritat, non desinet irritare etiam accedente juramento. 2. Contractus injuria extortos juramento non firmari; ex quo fit, ut relaxato juramento nulla obligatio remaneat adversus alterum. 3. Nec firmari juramento contractum, qui lege positiva ob bonum commune principaliter irritatur; quia eo tum vergeret in pejorem exitum, idest in detrimentum communitatis; unde illicita redderetur ipsa executio rei juratae.

L' EDITORE

A CHI LEGGERÀ

Questo settimo Volume dell' Opere edite, ed inedite del Cardinal Gerdil, terzo della morale teologica, contiene prima a compimento del Trattato della Giustizia, e del Diritto il trattato de' contratti in ispecie, e quindi tutto il trattato de' peccati. In quello l' autore data la definizione de' particolari contratti, ne stabilisce in generale le regole, le quali perciocchè fondate sono su' principj immutabili della giustizia, nella stessa loro brevità contengono tutto ciò, che è necessario a sapersi, per distinguere i contratti leciti, ed onesti dagli illeciti, e dagl' ingiusti. Tratta però più a lungo del Mutuo, e dell' Usura, come quegli, che estimò sempre essere dovere di qualunque Professore di scegliere tra le materie da trattarsi quelle, che sono le più importanti, e di combattere gli errori più comuni, i quali recar sogliono maggior danno nel tempo, in cui scrivesi. Ora, se la cupidigia è la radice di tutti i mali; se non venne meno altre volte nelle piazze l' usura, e la frode, certo è, che da molti anni a questa parte l' usura domina e signoreggia per modo, che pochi pur troppo quelli sono, i quali facciansene coscienza: e tanto ella prevale, che non solo trova difensori ne' più famosi Giuspubblicisti Protestanti, ma ne trova eziandio, e non pochi anche fra quelli, che nati sono nel seno della Cattolica Chiesa, e che pur professano Teologia; quasichè l'industria, e il commercio, che si è in questi tempi tanto accresciuto, fatto abbia mutare natura alle cose, ovvero sia la Morale Cristiana mutabile, come lo sono i vani pensamenti de' figliuoli degli uomini. Quanto siasi in questi ultimi tempi parlato e scritto dell' usura si può vedere nel saggio Istorico sulla medesima, che trovasi distinto in tre articoli nel celebre Giornale di Parigi, intitolato l' Ami de la Religion, e du Roi (1). *Citasi nel medesimo una Dissertazione del nostro Autore, scritta contro del Puffendorf, la quale però, dice il Giornalista, di non aver veduta, nè potea egli vederla*

(1) Num. 542. 545 547.

non essendosi per anco pubblicata. Ma è d' avvertire, che il Gerdil fece bensì un Opuscolo Italiano a confutazione di uno scritto, in cui difendeasi l' usura, che gli era stato dato da esaminare, il quale Opuscolo noi daremo per Appendice alla Morale nel seguente Volume, lo scritto però confutato non dee essere del Puffendorf, quantunque ne contenga in parte gli argomenti. Oltre a quest' Opuscolo, esamina il Gerdil la questione del Mutuo, e dell' usura in questo Trattato, e la considera sotto le sue diverse relazioni col diritto divino, coll' ecclesiastico, col civile, e col naturale: e il fa in guisa, che se altri desiderasse maggiore erudizione in proposito, trovar la potrà facilmente negli Autori, che più ampiamente trattarono di questa materia: ma non sarà certamente così facile, che in loro trovi maggior precisione, ed evidenza di quella, che troverà nel Gerdil, per lo che resterà la sua mente appieno rischiarata, ad onta delle tenebre, che tentarono di spargervi que' Protestanti i quali, come dice il Gerdil ne' suoi Principj metafisici della Morale Cristiana. « ont trouvè le secret de rendre confor- « mes au droit natural les actions, que la loi Divine condamne « comme essentielment mauvaises (1) ».

Il Trattato de' Peccati è diviso in due parti. L' una dei Peccati in genere, l' altra de' Peccati in ispecie. La prima parte è suddivisa in cinque Questioni, nelle quali parla di mano in mano della natura, e delle affezioni del peccato, e delle cause intrinsiche del peccato, e dell' estrinseche; del paragone de' peccati tra loro e delle loro circostanze; delle condizioni richieste a commettere il peccato e degli effetti del peccato.

Nella seconda Parte, parlando de' peccati in ispecie, in sette distinte Questioni tratta de'sette Peccati Capitali, e de'vizi che ne derivano. In tal modo viene l' Autore a parlare de' peccati, che contrarj sono ai Precetti del Decalogo senza che faccia mestieri di farne un trattato a parte. In questi Trattati, come negli altri antecedenti, il Cardinal Gerdil fa vedere, come fra loro si connettano i principj e le conseguenze; e valsi insieme dell' autorità della scrittura, e de' Padri, in prova delle sentenze, ch' egli abbraccia, e difende. Nella scelta delle quali guardasi egli studiosamente dall' indifferenza pel sì, pel no in questioni per altro assai rilevanti, che vedesi pur troppo,

(1) Opere edite, ed inedite del Cardinal Gerdil Vol. VII. pag. 510.

come egli osserva nel suo Saggio d' Instruzione Teologica (1) *in alcuni minuti compendj, ne' quali tutto è trattato superficialmente, e da' quali parecchi si contentano di imparar senza più la morale. Guardasi però non meno dal difetto di criterio, e di raziocinio di certi altri Autori, i quali come dice più sotto* (2): « *Per trattare la morale dogmaticamente,* « *altro nón fanno, che compilare Testi di Scrittura, di Con-* « *cilj, e di Padri, e si trova talora, volendo farne un* « *rigoroso esame, che o molte di quelle Autorità non fanno* « *al caso, o che indebitamente se ne deducono conclusioni di* « *eccessivo rigore, non men nocivo per avventura alla buona* « *regola del costume, che l' estremo opposto della rilassa-* « *tezza.* »

In generale tratta egli la morale con quella ponderazione, ed accuratezza, che esige il soggetto, poichè, come egli dice (3) « *Dalle* « *dottrine, e consultazioni de' moralisti dipende in gran parte* « *il regolamento delle coscienze, e il concetto che nella molti-* « *tudine si forma del bene, e del male, rispetto a varj ogget-* « *ti essenziali; cosa per certo di somma importanza, essendovi* « *gravissimo pericolo nell' alternativa, o che il Popolo non* « *sia istrutto, o che il sia malamente* ».

(1) Vol. VII. pag. 358.
(2) Pag. 361.
(3) Pag. 358.

TRACTATUS DE JUSTITIA
ET JURE
PARTIS III.

DISPUTATIO POSTERIOR
DE CONTRACTIBUS SINGILLATIM.

DISPUTATIO POSTERIOR

De contractibus singillatim.

Mirum quantum doctores in contractibus distribuendis, ac singillatim percensendis dissentiant. Prout enim quisque certam ac peculiarem distribuendi rationem sequitur, ita plures aut pauciores contractus complectitur. Nostra quidem sententia nil opus est hoc loco exquisitiore subtilitate; aliquis tamen doctrinae ordo in partiendo servandus, ne indigesta nominum series memoriam obruat, potius quam intelligentiam juvet.

Ut autem ab his quae maxime generalia sunt ordiamur tria in contractu spectari possunt, nimirum persona seu ille quocum contrahitur, materia de qua contrahitur, et actus ipse contrahendi. Hinc primo Contractus dividi potest, ut ait Rebellus, in divinum, qui cum Deo fit per vota tam simplicia quam solemnia, et humanum, qui fit cum homine. De votis porro, utpote quae ad virtutem religionis referuntur, non est instituti nostri hoc loco disputare. Contractus qui cum homine fit dividi deinceps potest ratione materiae. Nam contractus humanus vel circa ipsum corporis bonum versatur atque ad hoc genus referuntur sponsalia et matrimonium, de quibus nec ullam disputationem suscipimus; vel circa bona externa, tumque iterum dividitur, prout diversus est actus ipse contrahendi, sive pro diversa contractus vi ac natura. Atque in hac divisione persequenda, quae nostrum institutum propius attingit, paulo jam nobis est immorandum.

Recolendum itaque contractus interdum latiore significatione, interdum strictiore accipi; tum alios innominatos esse, alios nominatos. Postremo alios consensu, alios verbis, alios scriptura, alios ipsa re perfici.

Contractus qui re perficiuntur quatuor enumerantur lib. 2. Instit. tit. 15. 1. Mutuum. 2. Commodatum. 3. Depositum. 4. Pignus. Adiungunt Doctores precarium et permutationem. Ad hanc refertur Cambium, quod est unius pecuniae cum alia pecunia permutatio.

Contractus qui consensu perficiuntur, quatuor etiam censentur Instit. tit 23. nimirum contractus emtionis ac venditionis, conctractus locationis et conductionis, societas, et mandatum. Ad hos revocantur census velut species venditionis, Emphyteusis et feudum velut quaedam rei in longum vel perpetuum tempus locationes; tametsi a proprie dicta locatione differunt.

Jam vero inter contractus latiore significatione acceptos recensentur, sive in quibus ex una tantum parte existit obligatio, ut donatio, tum stipulatio, et promissio, quae verbis perficiuntur; sive in quibus fit obligationis solutio ex consensu partium, nimirum acceptilatio et transactio. Ad stipulationem refertur fidejussio, quacum affinitatem habet aliquam assecuratio. Pariter ad stipulátionem utcumque revocari possunt sponsio ac ludus.

Praeter has contractuum species sunt et aliae quae communiter quasi contractus vocantur, quamvis earum aliquae contractus etiam soleant appellari, ut compromissum, tutela, cura, negotiorum gestio: dicuntur autem quasi contractus, quia sine consensu alterius partis obligationem ex ipsa rei natura parere intelliguntur.

Denique contractus etiam nomen a quibusdam doctoribus tribui solet ultimis voluntatibus, testamentis, donationibus mortis caussa, codicillis.

Cum autem praescriptum curriculum de singulis ejusmodi contractibus enucleatam disputationem minime complecti valeat, de mutuo et usura, tum de emtione et venditione principaliter agemus; his enim probe intellectis facilius detegentur fraudes quae in alios irrepere possunt: reliquos vero breviter ac summatim initio complectemur.

QUAESTIO I.

Breviter exponuntur memoratae contractuum Species.

§. I.

De promissione, et donatione.

Promissio est pactio qua quis data fide se alteri obligat ad aliquid ei gratuito praestandum. 1. Igitur ex eo quod

promissio pactionis rationem habet, sequitur eam acceptari oportere ut valeat; secus non erit pactio seu duorum consensus. Accedente autem debita acceptatione promittens obligantur, etiam anteaquam acceptatio ei innotuerit. 2. Promissio differt a mero proposito; nam propositum est simpliciter actus voluntatis, qui exprimi solet per verbum futuri temporis, v. g. *dabo*, *faciam*. Promissio est actus rationis imperatus a voluntate, quo homo ordinat, quid alteri praestare debeat. Quare exprimitur verbo praesentis temporis, velut: *Spondeo me tibi daturum*. 3. Dicitur ad aliquid praestandum, quo innuitur promissione non transferri dominium, sed solum jus ad rem praeberi. 4. Dicitur quis promissione obligari. Cujus obligationis vim alii ex fidelitate, alii ex justitia repugnat. Probabilius videtur eam ex justitia prodire, siquidem per promissionem acceptatam verum jus ad rem acquiritur. Unde licet gratuita promissio ex premittentis liberalitate fiat, tamen posteaquam facta est, eum obligat ex justitia. Quod autem talis promissio adjunctam vi sua habeat naturalem obligationem, etiam cum jura civilia ex ea nullam praebent actionem, haud repugnat propositioni superius constitutae, contractum nullum esse jure conscientiae, quem jura ob defectum solemnium nullum declarent. Nam ibi agitur de contractu presse accepto, cui jura ob eum defectum expresse resistunt, ipsum alioquin probatura. Quare ex eo contra naturalem obligationem ex nuda pactione prodeuntem nil concludi potest. Recensentur autem nonnullae caussae, quibus promittens liberatur obligatione promissi exsolvendi, velut si promissarius ei atrocem injuriam intulerit, si res nominatim promissa sine promittentis culpa intereat, si commutatio personarum et negotiorum supervenerit, talis, ut prudenter judicetur promittentem pro ejusmodi statu obligare se noluisse. Sed notandum ad hanc status commutationem rite dijudicandam illas tantum conditiones spectandas esse, quae sunt rei promissae extrinsecae, non quae sunt annexae. Unde qui vovit castitatem, licet postea in implendo voto tentationes graves experiatur, quas si praevidisset, non vovisset, adhuc voto tenetur.

Donatio est actus quo rei alicujus dominium gratuito in alium trasfertur. Alia est realis, qua rei traditione dominium eo ipso acquiritur donatario. Alia est verbalis, quae fit solis verbis absque rei traditione. Ut si quis in foro dicat alteri, do tibi librum in mea bibliotheca positum. Haec est velut

promissio jus ad rem tribuens. Alia est absoluta, alia cum conditione. Sic donatio inter vivos est absoluta: cum quis ita donat, ut velit statim ac sine conditione rem transire in dominium donatarii. Donatio vero caussa mortis est donatio conditionalis, qua donans tantum post mortem vult rem fieri donatarii, idque sub conditione, nisi ante mortem revocetur. Multa porro de donationibus sunt juribus constituta, quae suis ex fontibus erunt petenda.

§. II.

De deposito, commodato, precario, et mandato.

Depositum est contractus, quo res aliqua cuiquam expresse vel tacite acceptanti custodiae caussa traditur ut eam integre restituat. Dicitur *tacite* propter eos qui ad custodiam rei depositae tenentur ex officio, ut Nautae, Caupones, Stabularii, quando ipsis advertentibus deponitur l. 1. et 2. ff. Nautae, 2. Dicitur custodiae caussa, quo depositum secernitur a pignore, quod securitatis caussa traditur. Sunt autem depositarii obligationes, 1. Rem depositam servare et diligenter custodire. 2. Sine mora depositum reposcenti restituere, nisi depositum sit fisco addictum, aut furtivum, aut deponens sumtus pro rei custodia praestare recuset; si depositum reposcatur in perniciem publicam, vel sui vel aliorum, velut si furiosus ensem depositum reposcit ec. 3. Non uti re deposita nisi ex consensu vel expresso vel praesumto deponentis; secus valorem usus restituere debebit. Sunt etiam haec notanda 1. Rem depositam domino perire, si casu perit; perire autem depositario, si dolo ejus aut culpa lata perierit. L. 1. ff. Depositi 2. Hunc teneri de culpa levi, si ob custodiam stipendium acceperit, aut res deposita in ejus etiam utilitatem cedat. 3 Teneri de culpa levissima, si praecessit conventio, vel restituendi mora, vel sponte se obtulit ad custiodiam, ex Can. *Bona fide* extra de deposito; adeo ut summae diligentiae prudentem spem attulerit deponenti, qui ei proinde ut diligentissimo rem custodiendam traderit. Species depositi est sequestrum cum nempe vel auctoritate judicis, vel litigantium consensu res letigiosa committitur alteri usque eo dum lite diremta, constet cui debeatur.

Commodatum est contractus, quo res quae usu non con-

sumitur ad solum usum gratuito conceditur, ea conditione ut praestituto tempore eadem numero restitui debeat. Precarium vero, quo res utenda tamdiu conceditur, quamdiu is qui concessit, patitur. Unde non aliter differt a commodato, nisi quod quovis tempore repeti res possit. Ne autem per precarium illudere quis voluisse videatur, non debet statim repetere. Dicitur 1. Res usu non consumptibilis, quia in rebus quae usu consumuntur, non potest tradi usus juris sine dominio. 2. Proinde additur ad solum usum, quo intelligitur proprietatem rei manere penes commodantem. 3. Dicitur gratuito, quia si propter usum aliquid exigitur, fit Locatio, nec amplius manet ratio commodati. Tenetur porro qui accepit commodatum 1. Rem commodatam non adhibere, nisi ad usus concessos. 2. Curam impendere diligentem pro re commodata conservanda, atque in id sumptus ordinarios conferre, non extraordinarios qui recidere debent in commodantem. Ita qui equum commodato accepit, tenetur eum alere, non autem pro equi curatione graves sumptus perferre. 3. Si ejus in solam utilitatem cedat commodatum tenetur de culpa levissima L. 18. ff. de commodato; si par est utriusque utilitas; ex culpa levi; si denique cedat in solium commodantis utilitatem ex culpa tantum lata tenebitur ad damni restitutionem. Qui vero commodavit, tenetur rem suam non ante praestitutum tempus repetere cum damno commodatarii, nisi aequale ipsi damnum immineat. 2 Vitium rei commodatae aperire, ne illati damni sit caussa. 3. Extraordinarias impensas pro re commodata praestare.

Mandatum est contractus, quo obligatio aliquid agendi in commodum alterius gratis suscipitur. Dicitur gratis; secus fieret operae locatio. Tenetur ergo qui mandatum suscipit rem alterius diligenter atque ex ejus utilitate gerere. 2. Fines mandati non excedere. 3. Nec ullam mercedem exigere, nec occulta compensatione suos labores remunerare. Mandans porro tenetur necessaria suppeditare pro negotio gerendo ac sumptus solvere.

§. III.

De cambio.

Cambium est unius pecnniae cum alia pecunia permutatio. Primo dividitus in manuale, quod etiam minutum vocant

et locale. Cambium manuale est quo praesens pecunia unius generis cum praesenti alterius generis pecunia permutatur, ut nummus aureus pro moneta aenea. Antiquissimum est hoc cambii genus, quod qui exercent a Latinis collybistae dicti sunt, et collybus vocatur lucrum, quod ex eo percipitur. Cambium locale vel trajectitium est pecuniae praesentis permutatio cum alia in distanti loco solvenda ex literis mensarii seu campsoris, quo nomine donatur, qui cambii hoc genus multo recentius invectum, quodque Judaeis e Gallia ejectis fertur acceptum, exercet. Hoc porro dividitur in verum seu reale, quo reapse fit permutatio pecuniae, quatenus pecunia, quae campsori uno loco traditur, revera in commodum tradentis alio in loco praestatur, aliud siccum seu fictum, quo ea permutatio fingitur; velut cum campsor ipse pecuniam tradit alteri in eo ipso loco sibi restituendam, literis confictis pro loco distanti, ad quem ex tacita conditione nunquam sunt mittendae. Cambium manuale et locale reale licitum esse demonstrat plane S. Thomas Opusculo 73. de usuris cap. 13.: *Dicendum quod ars campsoria de se est justa, et est ratio, quia illud quod accipitur a campsoribus in tali permutatione monetae, non accipitur ratione pecuniae, quae de se est invendibilis, sed ratione periculi, vel interesse, ut subveniatur salariis pensionum, domorum, ministrorumque, et laboribus et expensis in arte necessaria et licita ne frustra ponant operam et sudorem suum in re licita ad utilitatem aliorum.* Quia vero non vacat latebras omnes pervestigare quas usurae iu contractu cupiditas lucri quaesivit generalia haec tantum costituemus. 1. Non licere campsori lucrum exigere, nisi quod lege aut legitima consuetudine fuerit invectum. 2. Nec ipsum quicquam exigere posse ratione dilatae solutionis, nam ut inquit D. Th. 2. 2. q. 78. art. 2. ad 7 *Expectatio pretii solvendi habet rationem mutui; unde quidquid ultra justum pretium pro hujusmodi expectatione exigitur est quasi pretium mutui, quod pertinet ad rationem usurae.* Cambium siccum atque adeo usurae labe contaminatum reputandum esse, quotiescumque fingitur futura in alio loco solutio, quae revera fiet in eodem loco.

§. IV.

De censu.

Census generatim dici potest contractus onerosus quo jus acquiritur ad percipiendam pensionem. 2. Dividitur in reservativum et consignativum. Reservativus est quo quis dato alteri dominio utili et directo alicujus rei, reservat sibi ex ea re pensionem quotannis solvendam. Sic Genes. 14. Joseph dedit Aegyptiis possessionem reservata regi pensione solvenda. Differt ab emphyteusi, quod in hac datur solum dominium utile. Contractum hunc justum esse ex eo patet, quod potest quisque rem suam donando eas omnes conditiones donationi adjicere quae juri non repugnat. Consignativus est, quando soluto pretio acquiritur jus percipiendae pensionis. Censualista dicitur vel censitor qui jus comparat, censuarius qui obligationem suscipit. Dividitur autem 2. hic census in realem, personalem, et mixtum. Realis est quo censualista emit a censuario jus percipiendae annuae pensionis ex re fructifera, velut ex agro; quae res fructifera proinde obligatur ad pensionem. In eo proinde censu obligatio rem ipsam comitatur; adeo ut transeat velut servitus realis in quemcumque res ipsa devenerit, cessetque vel ex toto vel ex parte si res fructifera aut ex toto aut ex parte pereat, vel in perpetuum infructifera evadat sine culpa censuarii. Hunc contractum esse licitum, licet olim a doctis theologis dubitatum fuerit, nunc est extra omnem controversiam positum. Siquidem ex natura sua ad justae venditionis et emtionis contractum revocatur. Etenim ut quilibet potest alteri vendere jus realis servitutis, v. g. transeundi per agrum, ita potest vendere jus percipiendae pensionis ex agro. Census personalis est qui statuitur super ipsa persona, quatenus ex ejus opera et industria jus emitur pensionis percipiendae. Mixtus qui partim in re fructifera, partim in persona constituitur. Census personalis in Germania, Gallia, et Belgio passim celebratur, multis theologis assentientibus, qui eum juri naturali minime avdersari censent, et aliunde ajunt Bullam Pii V omnem censum interdicentis; nisi inter ceteras conditiones constituatur in re fructifera, immobili, certa ac nominatim designata, non esse in illis locis receptam, atque adeo non obligare pro iisdem locis quoad

conditiones, quae sunt juris positivi. 3. Census alius est redimibilis ex parte vendentis seu censuarii, irredimibilis autem ex parte ementis seu censitoris, isque est juri et naturali et positivo consentaneus: alius est redimibilis etiam ex parte ipsiusmet censitoris; atque hanc census constitutionem vel solo spectato jure naturae periculosam in praxi fatentur, qui eam ut speculative licitam defendi posse opinantur; quare ab ea abstinendum vel ratione solius periculi etiam in locis, quibus non vigeret praedicta constitutio.

His addi potest census vitalitius, nimium emtio juris ad pensionem tota vita superstite exigendam. In eo contractus se prodit periculum damni, et spes lucri. Quare contractum sortis involvit. Contractus est ex se licitus, modo in constituenda pensione regula servetur prudenti hominum aestimationi et legitimae consuetudini consentanea, habita ratione aetatis et valetudinis ejus ad cujus vitam census emitur.

§. V.

De locatione, conductione, Emphyteusi et Feudo.

Locatio et conductio, contractus est onerosus, quo rei usus vel fructus, vel personae opera pro certo pretio vel mercede ad tempus ab uno conceditur, ab altero accipitur. Qui concedit, dicitur locator; conductor, qui accipit. Personae opera intelligitur, quam pro pretio praestant famuli, operarii etc. Ad usûm locantur domus, equus etc. Ad fructum ager, ovis etc. Qui agros conducit, colonus; qui aedes, inquilinus l. 37. ff. de acquir. posses.; qui vectigalia, publicanus l. 16. ff. de verb. Sign. Differt a venditione et emtione. 1. Quod emtione ac venditione rei dominium, locatione usus tantum et fructus conceditur. 2. Quod si pereat res emta, nondum tradita, tenetur emtor de pretio, si locata similiter perit, liber est conductor. Tenetur locator 1. Cavere ne res quam locat in pravum usum ac legibus vetitum conducatur. 2. Aperire vitium rei; secus si ex vitio grave detrimentum inferatur conductori, gravi erit in culpa. Quin etiam tenetur de damno ex culpa ejus levi consecuto, non ex casu fortuito. 3. Ex can. *Propter sterilitatem* 3. de locato, si nullus vel modicus fructus ex agro percipitur, minuendum pretium con-

ductori: *Nisi cum ubertate praecedentis vel subsequentis anni valeat sterilitas compensari.* Et generatim si res minus frugifera evadit, consulendum aequalitati. 4. Debet praestare sumtus necessarios rei reparandae et utendae, exceptis alimentis animantis, ut etiam vectigalia, et alia onera rei annexa; quia qui sentit commodum, debet sentire et onus; nisi aliter conventum sit, et ideo minus conductor pendere debeat. 5. Non potest pensionem augere ob fructum majorem ex industria conductoris provenientem. Nam sui cui cuique industria proficit. Nec potest rem locatam sine culpa conductoris retrahere ante praestitutum tempus, nisi ob casum repentinum, velut incendium ipse egeat, aut ei pernicies immineat. Conductor vero tenetur 1. Rem probe curare et custodire. 2. Ea non uti nisi ad praestitutum tempus, nisi ex caussa legibus probata. 4. Pretium solvere tempore condicto.

Emphyteusis, quae Zenonis Imperatoris lege propriam naturam habuit, graece idem sonat ac latino insitio seu implantatio, sic dicta ex eo quod ut olim agri culti publice facta Provincia pro certo vectigali annuo perpetuo locari solebant, sic inculti cencederentur ea conditione, ut qui acciperent meliores eos plantando, serendo, colendo efficerent, simul vero pro concesso agro annuam solverent pensionem. Quod jus deinceps ad privatorum etiam agros productum est. Hinc emphyteusis definitur contractus onerosus, quo res immobilis per culturam melior efficienda, quoad dominium utile alicui conceditur, cum onere pensionis realis solvendae domino directo. Cui emphyteusis conceditur dicitur emphyteuta, qui concedit Dominus directus. Pensio appellatur Canon. Differt a locatione quod in re immobili tantum constituitur, et dominium utile transfertur; a venditione et censu reservativo quod solum transfertur dominium utile, non directum et plenum. Jura autem et obligationes ex eo contractu utrinque prodeuntes, tum conditiones ei adnexae ex juribus communibus et statutis locorum petendae.

Feudum dicitur contractus quo res immobilis conceditur quoad dominium utile sub onere praestandae fidelitatis et obsequii personalis. Qui hoc modo concedit rem immobilem, dicitur dominus; qui accipit, Vasallus, aut feudatarius. Ceterum de feudorum conditionibus consulenda praesertim locorum statuta.

§. VI.

De Societate.

Societas dicitur conventio duorum vel plurium conferentium aliquid pretio aestimabile ad quaestum aut usum. Velut cum unus pecuniam, aut bona, alter operam confert et industriam. Ad justam societatem hae potissimum conditiones requiruntur. 1. Ut negotiatio in qua societas versatur licita sit. 2. Ut in omnibus inter socios aequalitas servetur, nimirum ut communes sint impensae, lucra et damna; ita ut quisque pro rata portione quam contulit lucrum reportet. damnum sustineat, sumtus suppeditet. 3. Ut pecunia quam unus e sociis contulerit maneat periculo exposita, hoc est si fortuito perierit, ejus damnum solus sustineat. 4. Proinde ut finita societate lucro ex aequalitate proportionis diviso sors ipsa si extat, ei reddatur qui contulit. Porro si nullum lucrum societas fecerit, et nihilominus alter industriam et operam contulerit aequali pretio aestimabilem, censent nonnulli sortem quae salva manserit cum eo dividendam: sed probabilius existimant alii totam ei reddendam qui contulerit. Nam uterque perinde sive pecuniam, sive industriam periculo exponere censetur; quemadmodum ergo sorte pereunte solus damnum perfert, qui contulit, sic etiam cum industria inutilis evaserit, eam totam amisisse censendus, qui eam adhibuit. Lege autem societatis utpote contractus onerosi obligatio nascitur ad societatem tali diligentia administrandam, ut ex culpa levi socii teneantur de damno importato.

§. VII.

De Sponsione, et Ludo.

Sponsio dicitur concertatio plurium de rei cujusquam veritate contendentium, proposito victori praemio. Hujusmodi contractum ex natura sua licitum esse communiter theologi docent. Requiruntur autem hae potissimum conditiones. 1. Ne sit de re turpi, legibus vetita et odiosa. 2. Ut eventus sit utrique certanti dubius et incertus, secus non haberetur aequalitas inter spem lucri, et periculum damni; atque adeo

vitiaretur hic contractus, quo spes lucri aliqua ratione emitur periculo damni. Hinc quantum ex una parte probabilitas major elucet, tantumdem de lucri sperati magnitudine decedere debet, ut res ad aequalitatem reducatur. Quod si unus se certum profitetur, et alter nihilominus vult contendere, multi censent eum hoc ipso juri suo renunciare, tumque posse alium certare, et quod lucratus fuerit retinere. Quippe videtur alter sciens ac prudens velle perdere et donationem consequenter facere. Qui vero certus est, nec admonet, consentiunt omnes eum ad injusti lucri restitutionem teneri. 3. Requiritur ut uterque eodem sensu accipiat de quo contenditur, secus nullus esset consensus.

Ludus dupliciter sumitur. 1. Ut est artificiosi oblectamenti genus ad animi vires reficiendas institutum. Ludum ejusmodi moderatum nec ulla prava circumstantia infectum ad virtutem Eutrapeliae pertinere intelligitur ex S. Th. 2. 2. q. 168. a. 2. 2. Accipitur ut est quidam contractus inter collusores quo unus periculo rei suae perdendae se exponit, spe lucrandae rei alterius similiter expositae. Triplex distinguitur: unus qui fortuna, ut vocant, regitur, alter qui industria, tertius, qui partim fortuna, partim industria. Ejusmodi ludos ex sese naturali juri non adversari ex eo probatur, quod ut quilibet potest rem suam donare, sic eam potest periculo exponere, et ex pacta conditione dominium ejus in alterum transferre. Verum et ipso solo jure naturae spectato multis de caussis illicitus ludus evadit. 1. Ratione personae si aut alienare non potest, aut eam genus ipsum ludi graviter dedeceat. 2. Ratione loci ac temporis. 3. Ratione ipsius ludi si scilicet in re quomodocumque turpi et illicita versetur. 4. Ratione periculi, non solum vitae sed etiam immoderatae faciendae jacturae, quae ludentem ad tales angustias redigat, ut debita solvere, familiam convenienter alere et instituere, aut alia officia obire nequeat. Quibus accedit periculum irae, rixae, perjurii, blasphemiae, fraudis, praetermissionis munerum, quibus vacare quis debet. 6. Ratione cupiditatis in lucrum avidius inhiantis. Et quidem quaestio a theologis instituitur, num ludus qui fit gratia lucri sit peccatum. Cabriel et Panormitanus prorsus affirmant. Et sane cum ludus ex natura sua non in lucrum sed in honestum animi remissionem pertineat, profecto qui in ludo lucrum praecipue intendit non minus in culpa esse censendus, quam qui solam voluptatem consectatur. Et quidem

si cupiditate notabilis lucrui trahatur ad ludum, sentiunt eum mortaliter peccare. Licet enim appetitio lucri ex sese non sit mala, tamen cum in ludo notabile lucrum fieri nequeat, sine gravi alterius damno, charitas vetare prorsus videtur, ne quis lucrum expetat quod cum alterius damno est necessario conjunctum, imo ex eo totum pendet.

Ludos porro qui aleae nomine continentur jura saepe prohibuerunt propter gravissimas pestes, quae in rempublicam per eos importari solent. Sic l. 2. ff. de aleatoribus: *Senatusconsultum vetuit in pecuniam ludere: praeterquam si quis certet hasta vel pilo jaciendo, vel currendo, saliendo, luctando, pugnando: quod virtutis caussa fiat.* Et l. 1. C. de aleatoribus: *Victum in alea lusu non posse conveniri, et si solverit habere repetitionem.* Clericis porro ludo aleae speciatim interdictum est can. *Clerici* 2. de vita et honestate clericorum: *Ad aleas et taxillos non ludant, nec hujusmodi ludis intersint.* Can. Porro *episcopus* distinct. 35. Alea cum ebrietate conjungitur, et quidem sive illi sive isti deservientes episcopus, presbyter, diaconus damnari seu deponi jubentur; subdiaconus autem, aut lector, aut cantor similia faciens, communione privari. Ex poenae porro gravitate colligunt gravissimi theologi mortale hoc genus esse culpae. Concilium porro Tridentinum sess. 22. c. 1. quae alias de clericorum vita et honestate, de aleis etc. a summis pontificibus et sacris conciliis sancita fuere observanda statuit. Quod autem attinet ad lucrum ludo quaesitum ex quadruplici potissimum capite iniquum illud fieri, nec adeo retineri posse aperte colligitur ex doctrina D. Th. 2. 2. qu. 32. art. 7. ad 2.: *Circa illa quae per aleas acquiruntur, videtur aliquid illicitum esse ex divino jure, scilicet quod aliquis lucretur ab his, qui rem suam alienare non possunt, sicut sunt minores et furiosi et hujusmodi, et quod aliquis trahat alium ex cupiditate lucrandi ad ludendum, et quod fraudolenter ab eo lucretur. Et in his casibus tenetur ad restitutionem.* Hinc 1. Tenetur ad restitutionem qui lucratus est a filiofamilias, ab uxore, a religioso majorem summam, quam quae prudenter judicari possit liberae ipsorum dispositioni permissa fuisse a patre, vel viro de bonis sibi obnoxiis, aut a praelato. Hinc 2. Tenetur ad restitutionem qui lucri cupiditate alium impulit ad ludendum sive vi et injusto metu, sive conviciis; sive importunis etiam precibus ex probabiliore sententia. Contra qui hoc modo fuerit

ad ludendum incitatus, si vicerit, recte lucrum potest retinere. 3. Qui per fraudem lucrum fecit: velut qui artificiose chartas componit, aut signis notat, aut suffuratur. Fraudis autem nomine non intelligitur genus illud solertiae et astutiae, quod proborum hominum consensu lege ipsa ludi permittitur, quam a se adhibitam non pudet ipsos palam fateri. Ad fraudem pertinet inaequalitas quae se prodit inter ludentes, sive propter inaequalitatem summae periculo expositae, ratione cujus ille inique lucratur, qui tantam summam vincit, quantam ipse exponere non potest aut non vult; sive propter disparem peritiae conditionem; de qua haec statuenda videntur. Si quis adeo superior est peritia, ut certam sibi victoriam merito polliceri queat, nec licite ludere nec lucrum retinere potest. Si major peritia ejusmodi est, ut nonnisi probabilem spem lucri afferat, sed utatur simulatione, fingat se imperitum, sinat alium primo vel altero jactu vincere ad eum alliciendum, tenebitur de restitutione. Si major peritia incertum adhuc relinquit exitum ludi, aut alter admonitus velit nihilominus cum longe peritiore certare, licite ludere ac partum lucrum retinere poterit. Superest quartum caput quo restitutioni obnoxium fit lucrum ludo quaesitum ex D. Thoma, cujus haec verba sequuntur: *Aliquid autem videtur esse illicitum ex jure positivo civili quod prohibet universaliter tale lucrum. Sed quia jus civile non obligat omnes, sed eos solos qui sunt his legibus subjecti, et iterum per dissuetudinem abrogari potest, ideo apud illos, qui sunt hujusmodi legibus obstricti tenentur universaliter ad restitutionem qui lucrantur, nisi forte contraria consuetudo praevaleat.*

Hinc 1. ubi leges vigent ludum non prohibentes modo, verum etiam ipsum ludi contractum irritantes, restitui debet lucrum etiam ante sententiam judicis.

Hinc 2. ubi leges ipsum contractum non prorsus irritant; sed ut romanae leges decernunt solummodo victorem condemnandum ad restituendum lucrum competente actione repetitum, non videtur victor teneri ad restitutionem ante sententiam judicis.

Hinc. 3. ubi leges ejusmodi vigent, potest qui solvit tuta conscientia solutum legitime repetere. Si autem credita pecunia lusit, disputant doctores num solvere teneatur; alii affirmant; negant alii propter hanc rationem; quod cui datur

etiam exceptio ad non solvendum. Ex l. 156. ff. de regul. juris.

§. VIII.

De contractibus accessoriis, fidejussione, assecuratione etc.

Fidejussio contractus est, quo quis alienam suscipit obligationem adeo ut principali debitore non satisfaciente, ipse pro eo satisfacere teneatur. Cum autem hic contractus, ut patet ex definit. sit accessorius, patet. I Non posse fidejussoris obligationem esse in majus aut in duriorem caussam, quam sit obligatio principalis, multo vero minus in aliam rem. 2. Non posse ipsum conveniri, nisi ante creditor a principali debitore solutionem exegerit. Excipitur tamen nisi fidejussor suo juri renunciaverit, vel si se fidejussorem negaverit, vel si principalis absens non potest conveniri, aut in territorio bonis non potiatur. 3. Teneri principalem damna resarcire quae ob culpam ipsius fidejussor tulerit. Quaeritur autem num fidejussor licite possit exigere pretium a debitore pro praestanda fidejussione. Alii negant eo quod fidejussor solvens pro principali non aliud facit quam pecuniam mutuari sibi deinde a principali reddendam; quare si quidquam exigit pro fidejussione, videtur vi mutui exigere, quod non licet. Alii affirmant ajentes eum non pro mutuo exigere, sed pro ipsa mutuandi obligatione quam suscipit, si forte contingat ut principalis debitor non solvat, quae obligatio est pretio aestimabilis.

Assecuratio est contractus, quo quis alienae rei periculum in se suscipit, obligans se se ad eam compensandam si pereat. Differt a fidejussione, quod fidejussor obligationem accessoriam suscipiat; assecurator vero incerti exitus periculum directe sibi assumat. Licet sane pro hujus periculi susceptione pretium exigere: tumque in assecuratione habetur venditio aliqua obligationis praestandi alterum indemnem pro pacto pretio. Requiritur autem ad justitiam ut aequalitas servetur inter aestimationem pretii et periculi. Quare cui constat rem suam periisse non potest ejus assecurationem oblato

pretio pacisci, aut si cui constat eam in tuto jam esse, non potest pro assecuratione quidquam exigere.

Pignus sumitur vel pro re quae cautionis caussa creditori in pugnum seu manum datur, vel pro ipsa oppignoratione seu contractu, quo ad securitatem debiti res aliqua creditori traditur post solutionem restituenda. Similiter hypotheca vi graeci vocabuli res est obligationi subjecta, vel contractus quo res ad securitatem debiti obligatur. Hoc autem interest pignus inter et hypothecam, quod pignore res non solum est obligata, sed tradita creditori, per hypotecam vero dumtaxat obligatur. Unde sequitur ut pignus constituatur in rebus mobilibus, quae tradi possunt; hypotheca in immobilibus. Creditor 1. acceptum pignus probe servare debet, ne pereat aut deterius fiat. Cumque de contractu agatur utrinque utili tenetur de culpa levi, non de levissima, multo minus vero de casu fortuito, nisi conventum fuerit, aut in sculpabili mora restituendi fuerit. 2. Non uti pignore nisi consensu oppignoratoris: fructus autem quos ex pignore vi ejus contractus perceperit, in sortem computare debet. Cetera minutatim persequi non vacat.

Transactio est pactio non gratuita de re dubia. Dicitur 1. non gratuita, quia uterque transigens ad controversiam componendam aliquid remittit de jure suo putato seu praesumpto. Dicitur 2. de re dubia; quia inique transigeret qui certus de jure alterius esset. Quod si dubium non ipso consensu partium inter se componitur, sed judicio arbitri, quem elegerint, dicitur compromissum.

§. IX.

De ultimis voluntatibus.

Ultima voluntas hic dicitur dispositio legitima, qua quis statuit quid rebus suis post mortem fieri velit. Ejus species memorantur: donatio mortis caussa de qua superius, testamentum quod l. 1. *ff.* de testam. dicitur *Voluntatis nostrae justa sententia de eo quod quis post mortem suam fieri velit.* Additur a quibusdam doctoribus cum haeredis institutione ex natura actus, idque ad testamenti differentiam a reliquis ultimis dispositionibus. Codicillus, qui dicitur minus solemnis testatorum intestatorumque voluntas. Legatum, seu *Delibatio*

haereditatis, qua testator ex eo quod universum haeredis foret, alicui quid collatum vult l. 116. ff. de leg. Ad hoc revocatur fiedeicommissum particulare jure Justinianaeo, scilicet fideicommissis legata sunt exaequata. Quibus de rebus et jura communia et constitutiones locorum consulendae.

QUAESTIO

ALTERA DE MUTUO

CAPUT I.

Mutui natura et ratio explicatur.

In mutuo explicando paullo est diligentius immorandum. Nam cum ex mutui depravatione usurae labes oriatur, patefacta mutui natura, facile detegentur fraudes quibus mutuum contaminatur, ipsaque adeo usurae iniquitas et turpitudo in aperta luce collocabitur.

Mutuum si vim spectes nominis, retributionem quamdam et reciprocationem significat, qua dato par redditur. Sic in amicitia, ut ait Cicero, mutuum esse intelligitur, cum par voluntas accipitur et redditur. Unde Varro lib. 4. de lingua latina mutuum dici ait; si datur quod reddatur. Originem vocix eo duxerunt veteres jurisconsulti, quod in contractu mutui, *ita a me tibi datur, ut ex meo tuum fiat* l. 3. Inst. tit. 15. Sed concinne fortasse magis quam vere. Alii ducunt ex mutatione, quae in mutuo semper contingit, dum non eadem res quae accepta est redditur, utpote quae usu consumitur, sed similis ejus vice restituitur. Utraque notatio nominis et interpretatio scite conciliari potest. Nam, ut animadvertit Boetius in Topic. Ciceronis: *Quod mutuum datur, ex meo fit accipientis: Atque ideo non cogitur eamdem ipsam pecuniam debitor restituere creditori, sed aliam tantum.* Quia igitur ita a me pecunia tibi datur, ut tua fiat, adeoque distrahere illam valeas, ideo non eamdem sed aliam reddere debes commutatione facta.

Jam ut mutui natura evolvatur, genus ejus, et differentia aperienda est, tum etiam caussae et effectus exponendi. Quod attinet ad genus proximum constat mutuum contractum esse re initum. Lib. 3. inst. tit. 15. *Re contrahitur obligatio*

veluti mutui datione; quo mutuum convenit cum commodato, deposito, pignore; differt autem a contractibus, qui solo consensu, aut verbis aut scriptura sine interventu rei perficiuntur. Nisi enim rem alteri tradideris, mutuum non adhuc dedisse intelligeris.

Quod vero attinet ad differentiam; ea sane petenda ex subjecta materia, et ex modo quo haec materia mutuo subjecta est, sive ut scholastice loquamur ex objecto materiali et formali. Quae sit mutui materia explicat Justinianus loco citato: *Mutui datio in iis rebus consistit quae pondere, numero, mensura constant: veluti vino, oleo, frumento, pecunia numerata, aere, argento, auro, quas res aut numerando, aut mutiendo, aut appendendo in hoc damus, ut accipientium fiant. Et quoniam nobis non eaedem res, sed aliae ejusdem naturae et qualitatis redduntur; inde etiam mutuum appellatum est, quia ita a me tibi datur, ut ex meo tuum fiat.* Diligenter porro est animadvertendum eas res, quae pondere, numero et mensura constant duas praecipue insignes notas habere, quibus ab aliis differunt. Nam primo hoc earum est peculiare, ut proprio usu et suo consumantur, vel naturali consumptione, ut patet in vino, oleo, frumento, quorum proprius et nativus usus ad praebendum alimentum est comparatus, quo usu consumuntur, et intereunt; sive consumptione civili, ut patet in pecunia, quae instituta ad permutationem faciendam, ut ad comparandum agnum pro auro, in qua permutatione usus pecuniae proprius consistit, ita autem consistit, ut ipso usu distrahatur, adeoque utenti elabatur et excidat. Nam qui utitur pecunia ad agrum comparandum, eam sane distrahit, atque adeo relate ad ipsum consumitur. Altera nota ex prima oritur, in eoque sita est, quod res ejusmodi ex naturali sui condictione usum habeant similem et promiscuum, ut proinde una intra idem genus vice alterius fungi possit, et pro ea sine detrimento substitui valeat. Sic frumentum pro frumento, oleum pro oleo, modo si ejusdem qualitatis sine deterimento facile substitui potest, pecunia pro pecunia; et proinde quia res una vices alterius fungitur, ideo res ejusmodi fungibiles appellantur. Ex quo fit ut in illis non tam corpus ipsum spectetur quam quantitas; quia diversum corpore frumentum, diversa corpore pecunia tantum prodest, modo sit eadem quantitate; unde res illae numerando, metiendo, appendendo dantur, ut non eaedem

corpore sed aliae similes eodem numero, eadem mensura, eodem pondere reddantur. Hunc autem usum promiscuum non facile habent res aliae, quae usu non consumuntur. Nam equus ab equo, bos a bove plurimum saepe differt usu et commoditate. Ut proinde unus intra idem genus non aeque vices alterius fungi possit. Cum ergo materia mutuo subjecta naturali condictione a reliquis differat, sequitur ut etiam ex natura sint petendae non pro arbitrio effingendae differentiae, quibus ejusmodi contractus a reliquis secernitur.

Objectum porro formale seu ratio, qua mutuum versatur circa sibi subjectam materiam consistit in modo, quo per mutuum res fungibiles alteri dantur cum obligatione restituendi. Qui modus etiam ex ipsa rerum natura est eruendus. Notandum itaque 1. res fungibiles multiplici ratione tradi posse cum obligatione restituendi, vel ad custodiam, idque fit in deposito; vel ad securitatem, idque locum habet in pignore; vel ad usum improprium, velut ad pompam et ostentationem; atque hoc modo etiam commodari possunt; vel denique ad usum proprium; isque modus est peculiaris mutui. Notandum autem 2. res fungibiles non posse dari ad usum proprium, quin dentur ad abusum, quo nomine significant jurisconsulti non perversum usum, sed distractionem et consumptionem qua fit ut res usu pereat; ut inquit Boetius: *Utimur iis, quae nobis utentibus permanent; iis vero abutimur, quae nobis utentibus pereunt.* Et sane, ut superius vidimus, usus proprius rerum fungibilium in earum consumptione ed distractione consistit. Notandum hinc 3. quantum mutuum differat a commodato: nam in commodato res ad utendum traditur, non ad abutendum, velut cum commodatur equus, domus etc. quae res nobis utentibus permanent; adeoque in commodato corpus ipsum et individuum restitui debet, idem equus, eadem domus. Contra in mutuo res dantur quae usu pereunt, et quarum provide non idem individuum, seu eadem species, (nam jurisconsulti speciem appellant, quod dialectici individuum, genus autem, quod iidem dialectici speciem nominant) sed in eodem genere quantitas eadem restitui debet, idque ex natura ipsa rerum fungibilium. Ex quo fit ut res fungibiles commodari nequeant nisi ad usum improprium, ut ad pompam et ostantionem; ut scilicit nobis utentibus permanere possint, atque adeo idem corpus eademque species restitui valeat.

Hinc efformari potest definitio mutui, quae partes ejus essentiales materiam et formam, seu genus et differentiam complectatur in hunc modum.

PROPOSITIO I.

Seu Definitio essentialis mutui.

Mutuum est contractus re initus, quo res fungibilis datur ad abusum, restituenda proinde non in specie sed in genere.

Pr. Nam haec definitio complecitur genus proximum mutui, dum ait esse contractum re initum, ut superius dictum est. 2. complecitur differentiam. Nam quod res fungibilis detur ad abusum, hoc differt mutuum a commodato, deposito et pignore; quod sit restituenda, hoc differt a donatione: quod sit eodem genere reddenda, a permutatione. Similiter complecitur objectum materiale scilicet res fungibiles, tum formale seu modum, quo speciatim in mutuo res fungibilis datur; ut satis patet ex superius dictis. Ergo etc.

Constituta porro mutui essentia duci ex ea quasi consectaria possunt praecipua ejus effecta et proprietates, quae naturali nexu ab essentia pendent.

Primum est per mutuum rei fungibilis dominium a dante alienari, et in accipientem transferri. Nam in rebus quae usu consumuntur usus juris a dominio sejungi nequit. Cum ergo per mutuum res fungibilis detur ad consumptionem et abusum, sequitur ut ejus dominium alienatur et in accipientem transferatur.

Alterum est, mutui obligationi ad aequalitatem satisfieri tantum reddendo eodem genere quantum acceptum est. Nam cum mutuum sit contractus re initus, tota etiam mutui obligatio re contrahitur. Adeoque tota restituendi obligatio ex ipsa re data enascitur. Atqui obligationi quae ex re data enascitur satisfit ad aequalitatem, cum tantumdem eodem genere redditur, quantum acceptum est. Ergo etc. Hinc plus exigere vi mutui quam quod datum est repugnat ejumodi aequalitati, qua obligatio utpote ex re orta rei etiam tota respondere debet. Ex quo pendet iniquitas usurae, ut postea explicabitur.

Tertium est mutuum ex natura sua contractum esse gratuitum, in gratiam accipientis natura comparatum. Nam cum ipsa natura mutui obligatio justitiae ex parte accipientis tota ex re accepta pendeat, et ei ad aequalitatem satisfaciat tantum reddendo, quantum accepit; profecto ejusmodi conctractus natura sua nihil confert in commodum et profectum mutuo dantis. Ergo natura sua mere gratuitus est in accipientis gratiam et favorem, non in mutuo dantis comparatus.

Hinc porro mutui plenior definitio ex communi theologorum sententia erui potest in hunc modum.

PROPOSITIO II.

Seu mutui definitio Theologica.

Mutuum conctractus est re initus et gratuitus, quo res fungibilis ad abusum datur, ut accipientis, fiat, inducta ex ejus parte obligatione tantumdem intra idem genus reddendi.

Definitio adeo perspicue liquet ex superius dictis, ut in ea exponenda non sit diutius immorandum.

Hinc nullo negotio refelli possunt vanae fictaeque definitiones, quas usurae patroni ad erroris sui defensionem perperam excogitarunt. Et primo quidem definitio a Salmasio tradita de usuris cap. 5. *Mutuum est quod utendum datur, ut reddatur in eodem genere, ex iis rebus quae pondere, mensura, numero constant.* Nam 1. Mutuum hic definiendum non est res quae traditur, sed contractus quo traditur. 2. Quod ponit in mutuo rem dari *ad utendum*, pervertit ipsam rationem mutui, ipsumque confundit cum commodato. Nam sane est aliquis contractus quo res fungibilis datur ad consumptionem; et hic mutui contractus vocatur. Porro consumptio rei fungibilis non merum usum constituit, sed abusum. 3. Repugnantia loquitur, dum addit, *ut reddatur in eodem genere, ex iis rebus quae constant numero* etc. nam res ejusmodi quando sunt reddendae in eodem genere, profecto acceptae sunt ad consumptionem, secus reddi possent in individuo. Ergo si per mutuum hac ratione dantur, ut reddantur in eodem genere, dantur ad consumptionem, non ergo dantur ad utendum. Huic tamen definitioni Salmasii consentit ea quam

affert Broedersen L. 1. P. 2. C. 3. *Mutuum est quodcumque proximo utendum datur, ita ut sine ullo incremento reddatur.* Cui definitioni hoc praeterea peculiare est vitium, quod cum natura ipsa rerum differat res fungibilis a non fungibilibus utramque uni eidemque speciei contractus subjiciat; cum tamen pro hac formali diversitate necesse sit conctractus differre, ut superius explicatum est.

Secundo. Altera est definitio Salmasii: *Mutuum est obligatio re contracta ad idem in genere reddendum.* Quam vitiosam patet esse sive quod mutuum obligatio dicitur, cum obligatio reddendi sit effectus mutui; sive quod non exponit quid mutuo detur, et quemadmodum detur. Quod tamen ad rectam definitionem requiri ipsemet agnoscit.

Tertio. Inepta quoque definitio est quam tradit Gallus scriptor recentior: *Mutuum est conctractus quo quis aliquid mutuo dat ad hoc ut directe, aut indirecte consumatur usu.* Sed praeterquamquod mire rem totam turbat dum in definitione ipsum idem nomen obtrudit, quod est definiendum et explicandum, ut fraus pateat ejus definitionis, diligenter est animadvertendum duplicem ab hoc auctore distingui usum rei fungibilis, unum consumptionis, quo destruitur vel distrahitur; velut cum frumento quis utitur ad victum, pecunia ad comparandas res vitae necessarias, vel ad eam sine ullo emolumento in supervacaneis prodigandam. Alter est usus incrementi, nempe quis re fungibili utitur ad quaestum faciendum, velut mercator qui frumento, vel pecunia mutuo accepta utitur ad negotiationem. Hac inducta distinctione contendit tum solum mutuum fieri, quando res fungibilis datur ad usum consumptionis, velut cum frumentum aut pecunia mutuo datur indigenti ad vitae aut status conservationem; non autem esse mutuum cum res fungibilis datur ad usum incrementi, velut cum datur diviti ad opes suas amplificandas. Cum autem usurae iniquitas in eo se prodat, quod quis e mutuo quicquam lucri vi mutui proficiat, concludit usuram quidem admitti si a paupere vel quomodocumque indigente aliquid exigatur propter rem fungibilem ad usum consumptionis datam, non autem si aliquid exigatur a divite ob pecuniam datam ad usum incrementi.

Sed perperam ea est inducta divisio. Nam usus ipse incrementi ex re fungibili non potest sejungi ab usu consumptionis; siquidem ipsum incrementum quod fit per negotia-

tionem pendet ex distractione atque adeo ex consumptione et abusu rei fungibilis. Nam qui accipit pecuniam sive ad victum comparandum, sive ad merces emendas, carius postea vendendas, perinde acceptam pecuniam distrahit. Unde quod datur in mutuo sive pauperi ad inopiam sublevandam, sive mercatori ad negotiationem faciendam, perinde datur ad abusum. Quod autem unus rem acceptam proprio suo consilio et arbitrio referat ad vitae cultum; alter ad opes exaggerandas, hoc est extrinsecum ipsi mutuo, nulloque modo afficit modum ipsum quo res fungibilis datur in mutuo. Nam mutuum per se et ex natura sua in eo consist, ut res detur ad abusum, idque est essentiale ipsi mutuo. Quod autem ex abusu quaeratur subsidium inopiae, aut instrumentum comparandi auri, ex peculiari consilio cujusque pendet, estque mutuo prorsus accidentarium, nec ipsius proinde naturam immutat. Quemadmodum natura emptionis et venditionis eadem manet, sive quis emat ad succurrendum suae necessitati, sive negotiationis caussa. Et sane ex hac distinctione sequeretur mutuum non fieri, cum pecunia datur ad abusum negotianti; quod a communi sensu abhorret, et ipsi rerum naturae respugnat; quandoquidem omnis datio pecuniae ad abusum cum obligatione tantumdem restituendi habet partes essentiales ejus contractus, qui revera datur, et cui mutui nomen est attributum.

CAPUT II.

Utrum rei mutuo datae Dominium transferatur in accipientem.

Tametsi consectario secundo superius exposito quaesito haec plane confecta videri possit; quia nihilominus usurarum patroni haud pauci acriter hanc oppugnant dominii translationem, ut mutuanti quasi dominio lucrum ex ejus pecuniae usu quaesitum vindicent; idcirco in hanc disputationem diligentius est nobis incumbendum; planeque demonstrandum per mutuum alienari pecuniam seu rem fungibilem a mutuante, ejusque dominium in accipientem transferri.

PROPOSITIO.

Res quae mutuo datur, sic alienatur ut ejus dominium et proprietas in accipientem transferatur.

Pr. 1. Legum auctoritate. Contractus omnis, quo dominium ex uno in alium transferri jura decernunt et constituunt, revera transferre dominium est censendus; ut satis patet ex his quae de bonorum divisione jure gentium inducta disputavimus. Atqui dominium rei quae mutuo datur alienari a dante, et in accipientem vi mutui transferri jura decernunt atque constituunt. Ergo etc. Minor patet l. 2. ff. de rebus creditis, ubi ex Paulli sententia dicitur: *Appellata est autem mutui datio, ab eo quod de meo tuum fit, et ideo si non fiat tuum, non nascitur obligatio.* Licet autem illa etymologia quam confirmat Justinianus Lib. 3. Instit. Tit. 15. Grammaticae fortasse legibus minus sit consentanea; ipsam tamen legis vim ac sententiam declarat, ex cujus auctoritate non ex etymologiae proprietate argumentum ducimus. Quare inepte Broedersen hoc argumentum infirmare nititur, quod valere non potuerit nisi ab ortu linguae latinae; quasi jurisconsulti ipsi ex verbi etymologia sententiam suam et jus ipsum duxissent, et non potius ad jus ipsum et sententiam ex rei natura profectam verbi etymologiam accomodare studuissent. Deinde illis vocibus, *Si non fiat tuum non nascitur obligatio*, praeclare ostenditur sic in mutuo rem fieri alterius, ut si non fiat alterius, contractus ipse mutui nec consistere nec ullam parere obligationem valeat. Quod etiam Justinianus perspicuis verbis declarat, dum ait: res quae mutuo dantur, in hoc dari, *ut accipientium fiant.* Ut proinde de legum auctoritate et sententia nulla dubitatio superesse queat.

Pr. 2. Ex ipsa mutui natura quam rei mutuatae alienatio et in alium dominii translatio necessario consequitur. Etenim haec est natura mutui ut res fungibilis detur ad abusum; atqui non potest mutuans dare jus alteri ad abutendum re fungibili quin etiam dominium concedat. Ergo etc. Pr. Mi. Nam jus abutendi est jus de re quomodocumque disponendi eamque consumendi et destruendi. Atquis jus de re quomodocumque disponendi non potest sine dominio consistere; si-

quidem dominium definitur jus de re disponendi in omnem usum lege non prohibitum. Ergo cum ille qui mutuo accipit, jus habeat de re mutuo accepta in omnem disponendi, valeatque illam invito ipso mutuante alienare, donare, vendere, legare, permutare et quomodocumque distrahere, illius quoque dominium habere censendus est.

5. Posito jure abutendi re mutuo accepta in mutuatario, proprietas ejus rei prorsus inutilis evaderet ipsi mutuanti, qui nunquam amplius potest rem illam sibi vindicare, aut ea uti, aut mutuatarium impedire, ne de illa pro arbitrio suo disponat. Ergo rei mutuo datae proprietas nulla permanere intelligitur penes mutuo dantem; ergo transit in accipientem.

4. Ex ipsa lege mutui tenetur quidem mutuatarius tantumdem reddere in eodem genere, quantum accepit; non autem reddere ipsam rem quam accepit, non idem frumentum, non eosdem nummos. Ergo qui dedit mutuo, rem datam alienavit; secus illa ipsa res ei esset restituenda; ut patet in commodato et locato, ubi idem equus qui acceptus est, debet restitui.

5. Hinc fit ut actio quae nascitur ex mutuo sit solummodo actio in personam, non autem actio in rem. Atqui tamen si res mutuo data non esset alienata, creditor haberet non actionem tantum in personam seu condictionem, sed actionem in rem seu vindicationem. Potest enim dominus rem suam vindicare. Ergo qui mutuo dedit non est amplius Dominus rei mutuo datae.

6. Hinc propterea fit etiam, ut res mutuata in bonis debitoris recenseatur, quod constat non solum L. 34: ff. de pignoribus, et L. 19. ff. de donationibus, verum etiam ex eo quod res mutuo accepta si casu fortuito perit, damnum est mutuatarii non mutuantis; secus atque accidit in commodato, et locato; in quibus res perit commodanti et locanti, si nulla culpa commodatarii et conductoris fortuito casu perit; cujus discriminis non alia subest caussa, nisi quod rei commodatae et locatae proprietas et dominium penes commodantem et locantem, non autem rei mutuatae penes mutuantem manet. Quippe fert aequitas ut res domino pereat, si fortuito eventu pereat.

Obj. 1. Lex 213. ff. de verb. significat. *Aes alienum est, quod nos aliis debemus, aes suum est, quod alii nobis debent.*

Ex qua concludi potest argumentum in hunc modum: Aes mutuo datum debetur ab eo qui accepit ei qui dedit. Sed aes quod debetur est alienum ipsi debenti, et est suum ejus cui debetur. Ergo aes mutuo datum est alienum ei qui mutuum accepit, et est aes suum ejus qui mutuo dedit. Ergo res mutuo data non alienatur a mutuante. Deinde lex 55. ff. de Solutionibus: *Qui sic solvit, ut reciperet, non liberatur, quemadmodum non alienantur nummi, qui sic dantur ut recipiantur.*

R. Usitata loquendi consuetudine aes alienum, et aes nostrum dupliciter dici, uno modo ratione juris vel obligationis; alio modo ratione proprietatis et dominii. Priore sensu vulgo dicitur bona debentis non esse sua, sed creditorum; quia revera debens obligatione adstringitur bona sua alienandi, ut creditoribus satisfaciat; et creditores jus habent solutionem repetendi ex bonis debentis. Sed tamen adhuc posteriore sensu bona debentis dicuntur sua ratione proprietatis et dominii. Nam revera domus debitoris si flagret incendio, damnum ejus est, non creditorum; quia domus adhuc possideri ab eo censetur jure proprietatis, et dominii. Quod si haec jure proprietatis non debitoris esset, sed creditoris, profecto ejus damnum sustinere creditor deberet; neque ex aliis bonis debitoris posset debitum suum pretio domus aequale repetere; quod est absurdum. Hunc duplicem sensum rite distinguit Paulus L. 39. ff. de verb. signific. *Bona intelliguntur cujusque, quae deducto aere alieno supersunt: quod enim a me jure aliquo aut actione auferri potest meum non esse censetur, sed alienum: quamvis ejus dominium ac proprietas ad me pertineat.*

Altera lex nil efficit adversus nostram sententiam: Ibi enim agitur de ficta et ludicra solutione, qua res sic solvitur, ut statim eadem recipiatur. Quamobrem etiamsi nummi *sic dantur*, hoc est ea conditione, et conventione dantur, ut statim recipiantur, nulla quoque fieri alienatio intelligi potest. Sed neque hic verum mutuum intercedit. Nam mutuo nummi dantur ad abusum, ut non iidem sed alii ejusdem valoris recipiantur.

Obj. 2. Falsum esse mutuatarium de pecunia accepta posse pro libito disponere; quippe tenetur illam reddere, proindeque non magis ejus dominus esse censendus est, quam famulus qui pecuniam sui domini in proprio usus expendit, aequalem pecuniae summam quam domi habet pro domino expensurus.

Deinde illud quoque falsum est rem mutuo acceptam semper ejus damno perire, qui accepit. Nam Exodi 22. de jumentis mutuo datis dicitur v. 15. Si quod horum perierit domino praesente, restituendi obligatione liberari eum qui accepit.

R. Quod quis teneatur tantumdem pecuniae reddere quantum mutuo accepit non obstare quo minus possit pro libito de accepta pecunia disponere; siquidem non hanc ipsam quam accepit, sed ejusdem valoris aliam restituere tenetur. Neque ad rem ullo modo pertinet quod de famulo additur. Nam famulus revera nullum jus habet pecuniam a domino acceptam in usus proprios expendendi, aliam summam relaturus. Unde famulus facto quidem sed non jure illa abutitur. At vero mutuatarius vi mutui jus acquirit abutendi atque adeo verum dominium, quod ab eo jure separari nequit. Quod si dominus facultatem concederet famulo ut pecunia sua in quemlibet usum uteretur, modo per aliam pecuniam sibi satisfaceret, ibi etiam mutuum intercederet, fieretque famulus ejus pecuniae dominus; quae si casu fortuito periret, ipsi proinde famulo periret.

Quod porro additur ex cap. 22. Exodi non magis ad rem facit. Nam ibi vox mutui pro commodato manifesto accipitur, neque mirum id videri debet, eo quod mutui et commodati voces promiscue interdum a scriptoribus sumuntur, propter quamdam affinitatem ex eo petitam, quod utrumque cedit in commodum accipientis. Ceterum ambiguitas ex contextu et tota orationis sententia facile removetur. Praeterquam quod etiam nonnullae sunt linguae, quae unam tantum vocem habent ad mutuum et commodatum designandum; qualis Gallica est quae utrumque complectitur *praestiti* vocabulo vulgariter enunciato. Nec tamen ex eo sequitur, ut qui uno vocabulo ad duo significanda utuntur, utrumque confundat; quod quotidiano prope usu adeo notum est, ut vix innuendum esse videatur.

Obj. 3. Ex Salmasio. Mutuum est obligatio; atqui alienatio et obbligatio opponuntur. Igitur mutuum non est alienatio.

R. Toto argumento falli Salmasium. Mutuum nec obligatio est nec alienatio, sed contractus utramque faciens. Deinde falsum est non posse obligationem cum alienatione consistere. Fit enim certe alienatio cum emptor rem credito emptam accipit a vendente; manet tamen in emptore obligatio pretii

solvendi. Sic etiam in mutuo. Et sane patet utrobique obligationem et alienationem non in idem; sed in diversa spectare. Fit alienatio mercis, vel rei, oritur porro obligatio pretii solvendi in venditione, vel qualis summae reddendae in mutuo.

Ob. 4. Ex eodem. Materiam mutui non esse corpus ipsum rei fungibilis, sed ipsam quantitatem, quae reddenda est. Licet autem corpus alienetur, non alienatur ipsa quantitas. Igitur cum materia mutui non alienetur manet in proprietate mutuantis, qui proinde poterit pro illius usu quidquam exigere.

R. Quantitatem cohaerere cum ipso corpore, atque adeo alienato corpore, ejus sane quantitatem alienari necesse est; nisi vero Salmasius dicat quantitatem non alienari, quia individuum tantum alienatur, non genus ipsum in quo tantumdem est reedendum; quod sane absurdum foret. Nam genus ipsum rerum nec in dominio est cujusquam, nec alienari, aut ad usum tradi potest. Neque enim vinum ipsum emitur, aut alienatur, sed hoc vinum et sic de aliis. Tametsi vero solum corpus alienari censeretur non alienata quantitate nihil hoc juvaret Salmasium. Etenim vel in ipsa locatione non quantitas locatur, sed corpus, et conductor ex locati individui usu fructum percipit. Si ergo vi mutui corpus ipsum seu individuum alienari fatetur Salmasius, iniquum erit pretium exigere a mutuatario pro usu rei seu individui mutuati; nec, quod iniquum fatetur ipse Salmasius, teneatur quisquam pro usu rei suae pretium persolvere.

Obj. 5. Ex eodem. Mutuum inter alienationis modos non numerari, sed inter obligationes, quae re contrahuntur. Ergo mutuo non fit alienatio.

R. Mutuum non esse quidem alienationem, sed alienationem efficere. Nam individuum alteri traditur consumendum atque adeo nusquam restituendum, sed cum obligatione tantumdem reddendi, quae obligatio non officit alienationi corporis traditi. Nec vero dicat Salmasius mutuum neque a Justiniano numerari inter modos acquirendi dominii. Nam nec emptio nec legatum inter hos numeratur. Traditio tamen quae caussam aut venditionis, aut legati, aut mutui adjunctam habet, recensetur inter modos alienationis.

CAPUT III.

Utrum mutuum adjecto pacto lucri ex eo percipiendi desinat esse mutuum, et in alium contractum migret.

Magni est haec quaestio momenti. Nam cum accessionem ex mutuo usurae labe purgare non satis ex sententia usurarum patroni sibi posse viderentur, eo venerunt ut negarent mutuum fieri, cum pacto pretio res fungibilis in eodem genere restituenda datur etiam ad abusum. Ex quo id consequens esse putarunt ut lucrum hujusmodi non tanquam accessio ad mutuum habendum esset, nec proinde iniquum et usura inquinatum existimandum. Igitur nobis est demonstrandum contractum mutui, quo res fungibilis datur ad abusum, vitiari quidem et injustum fieri adjecto pacto lucri percipiendi, non autem naturam ejus mutari, atque adeo tale lucrum accessionem esse ex mutuo, ac proinde usura contaminatum.

Ut autem res tota planius intelligatur, initio subruendum est firmissimum fundamentum opinionis adversariorum. Sic autem ajunt. Est sane multa quaedam affinitas commodatum inter et mutuum. Nam commodato res gratuito conceditur ad usum eadem in individuo reddenda; mutuo res fungibilis gratuito conceditur ad abusum, restituenda in genere. Jam vero quando ex commodato detrahitur conditio gratuitae concessionis, et adjicitur pactum de lucro propter eam concessionem exigendo, desinit esse commodatum et novus contractus oritur, scilicet locatum. Ita etiam detracta de mutuo conditione gratuitae concessionis, et adjecto pacto de lucro percipiendo, non amplius consistet essentia mutui; sed in alium contractum migrabit.

Verum captio haec accurata rei totius intelligentia facile solvetur. Actus quo res conceditur ad usum eadem reddenda, generatim spectatus duplicem potest habere determinationem seu differentiam, utramque licitam et legitimam; ut vel gratis res ad usum concedatur, vel pacto pretio. Prout ergo illi concessioni generaliter spectatae adjicietur una vel altera ex illis differentiis, diversa species contractus et forma exoriri debet; quarum una commodati, altera locati nomine donatur. Diligenter proinde est animadvertendum duo potissimum requiri, ut adjecta conditione contractus unius speciei in aliam

contractus speciem transeat. Primo ut utraque species sub acto aliquo morali tanquam genere contineatur, velut commodatum et locatum sub concessione usus rei suae generatim spectata; quae concessio proinde neque includit, neque excludit alterutram ex determinationibus seu differentiis, quibus commodatum et locatum constituitur, sed ex aequo potest illas recipere. Alterum est, oportere ut conditio adiecta non sit illicita; secus per talem conditionem adjectam non poterit constitui nova forma et species veri contractus moraliter accepti. Nam cum verus contractus definiatur esse consensus legitimus, profecto conventio turpis, in quam haec definitionis pars cadere nullo modo potest, contractus moraliter accepti rationem nec habere poterit. Porro quod attinet ad mutuum, cui adjiciatur pactio de lucro exigendo, facile comperietur utrumque illud deficere. Primo enim concessio rei fungibilis ad abusum restituendae in eodem genere non est velut notio quaedam generica, quae indifferenter se habeat ad duas memoratas determinationes seu, differentias , nimirum ut ea concessio sit vel gratuita, vel cum pacto de lucro exigendo. Etenim concessio rei fungibilis ad abusum vi sua seu per legitimam consequentiam excludit pactum de lucro exigendo. Siquidem concessio rei fungibilis ad abusum importat alienationem, ut ante probatum est: alienatio vero lucrum ex usu rei alienatae excludit. Ergo concessio rei fungibilis ad abusum ex natura sua involvit gratuitae concessionis determinationem. Ergo conditio de lucro exigendo ex tali concessione utpote ipsi repugnans non est apta illam determinare; atque adeo ex ejus adjectione nova species contractus oriri non potest. Sed per eam adjectionem utpote justitiae adversam (siquidem iniquum est pro usu rei alienatae atque adeo non suae velle pretium exigere) contractus qui ante erat, velut monstruosa quadam accessione vitiatur, immutata tamen ejus natura.

PROPOSITIO

Mutuum adjecto pacto de lucro exigendo non transit in alium contractum, sed manet idem contractus licet vitiatus.

Pr. 1. Contractus ex una specie non potest in aliam spe-

ciem migrare, nisi contineatur sub aliquo genere, quod sit indifferens ad utramque speciem. Atqui concessio rei fungibilis ad abusum qua natura mutui maxime continetur non est indifferens sive ad conditionem gratuitae concessionis, sive ad conditionem lucri exigendi; sed ex ejus natura, scilicet ex ipsa notione abusus involvit gratuitae concessionis conditionem; ut superius probatum est. Ergo mutuum adjecto pacto de lucro exigendo non transit in alium contractum.

Pr. 2. Quia eo adjecto pacto adhuc manent partes essentiales mutui. Manet materia, scilicet res fungibilis; manet forma, seu modus quo datur, nempe ad abusum. Sed quamdiu manent partes rei essentiales, ipsa res manet. Ergo etc. Vitiatur tamen mutuum; quia res quaelibet vitiatur per adjectionem partis naturali ei costitutioni repugnantis. Atqui pactum de adjecto lucro adversatur naturae mutui ut jam indicatum est, et inferius luculentius probabitur. Ergo etc.

Pr. 3. Fatentibus adversariis adjectum pactum non mutat naturam mutui, quod datur indigentibus. Ergo neque mutare potest ejus naturam, etiam cum datur divitibus aut mercatoribus quaestus gratia ipsum accipientibus. Etenim conditio personae, et finis operantis est quid contractui prorsus extrinsecum et accidentarium,. nec adeo valet ejus naturam mutare.

Pr. 4. Quia si mutuum adjecto pacto de lucro exigendo in alium contractum migraret, maxime in genus quoddam locationis, quod foenoris nomine donaretur, ut contendit Gerardus Noodt. de foen. et usuris l. 1. c. 6. *Sicut*, inquit, *fundi usus aut gratis aut mercede datur, et altero casu commodatum, altero locatio appellatur: sic quominus pecuniae aut frugum usus gratis aut mercede detur, nihil impedit. Nam si gratis datur, mutuum, sin mercede conceditur, foenus vocatur: neque ob id iniquum est, sed formam mutat et alius contractus fit aeque justus.* Et postea: *Est igitur, ut dixi, foenus, si jus gentium atque adeo rerum simplicitatem spectes, instar locationis: quamquam si fori romani usum ac subtilitatem, sive ut Seneca ait de benef.* l. 6. c. 5. *jurisconsultorum acutas ineptias consideres, non est locatio. Sed non quia naturalis ratio ei resistit; sed quia hi qui civilia negotia illo in foro terminarunt, locationem intra usum corporum coarctarunt, nondum intellecta utilitate locatae et conductae pecuniae.* Quid? num ex juris romani subtiliate prodiit, an potius est rerum natura constitu-

tum ut fundus proprie utendus concedi queat salva ejus substantia, fruges ad proprium usum salva substantia concedi nequeant, utpote quarum usus proprius natura ipsa rerum abusus est? Non ergo acutis ineptiis districti, sed natura duce et magistra graviter prudenterque romani jurisconsulti censuerunt posse usum fundi concedi non concesso dominio: minime vero concedi usum frugum posse, quin etiam dominum tradatur. Jam vero quis efficiet, ut natura non differat contractus, quo usus conceditur retento dominio, a contractu quo concessio usus a concessione dominii sejungi non potest? qui contractus cum natura sint diversi diversa quoque nomina postulabunt. Itaque quod romani locati nomine donarint contractum eum, quo usus conceditur retento dominio, arbitraria quidem ea potuit esse appellatio; sed non eorum arbitrio effectum est, ut peculiarem naturam haberet contractus, quem eo nomine appellandum censuerunt. Ad quem proinde nunquam natura ipsa patietur accedere contractus genus illud aliud, quo fruges conceduntur ad abusum, et a quo proinde dominii concessio sejungi non potest. Hoc quidem argumentum auctor ipse sibi objicit c. 8. his verbis: *In foenore dominium transfertur, in locatione retinetur. Probat igitur ratio locationem, foenus improbat: quia in locatione fructu ex re propria, in foenore ex aliena percipiuntur.* Argumentum vero dissolvere in hunc modum aggreditur: *Sed hanc subtilitatem, quae tota juris civilis est, non agnoscit juris gentium simplicitas. Aeque enim patitur quantitatem ac corpus locari: etsi jus civile quantitatis locationem minus ferat.* Jus civile negat locationem fieri, cum res quanta fungibilis velut frumenti mensura traditur ad abusum. Neque hic opus multa subtilitate. Liquido enim apparet nec id frumentum tradi posse ad abusum, quin ejus dominium concedatur, nec vero fieri locationem rei, quando ejus dominium alienatur. Qui ergo scriptor noster faciet, ut ea quantitas seu frumenti mensura locari posse intelligatur? negabit forte corpus ipsum frumenti alienari a mutuante? at nec negat nec negare potest. Quippe res conficitur certissimis argumentis, ut superiori capite vidimus. Huc ergo redeat oportet, nimirum ut in dante frumenti mensuram duos actus distinguat, unum quo frumenti corporis dominium transferatur, alterum quo mensura seu quantitas a corpore frumenti abstracta alienato corpore retineatur quoad dominium, et concedatur quoad usum. At quam parum con-

venit scriptorem qui totus est in exagitanda civilis juris subtilitate non vereri subtilissimam ejusmodi abstractionem, quam superius in Salmasio refutavimus, ex juris gentium simplicitate repetere! Ita porro pergit: *Id vero si est, etiam patietur jus gentium dominium locatae quantitatis transferri, eamque non in specie sed in genere restitui. Quamquam corpore locato nil necesse putet dominium tradi, velitque hoc non in genere sed specie restitui. Quia altero in casu aliter usus haberi potest, altero non potest.* Ita scilicet quaedam sunt, quorum usus salva substantia, atque adeo sine dominio concedi potest, alia secus. In his porro nihil scriptor noster affert quo alienato corpore nihilominus quantitatis abstractae dominium retineri, eamque dumtaxat locari probet. Neque enim satis est invocare ut facit juris gentium simplicitatem, et insectari civilis juris subtilitatem; dum ipse in multo inanissimam subtilitatem incidit, quam sine ullo fundamento complectitur, et tanquam fundamentum suae sententiae supponit.

Concludit porro: *Si corporis locator mercedem accipit pro usu, etsi non transferat dominium: quidni quantitatis locator, tradito dominio, mercedem pro usu ferat?* Ratio est in promptu. Verus ille corporis locator recte mercedem accipit pro usu rei, cujus dominium retinet, quaeque sua est. Fictus iste quantitatis locator haud recte mercedem accipit pro usu frumenti, quod alienavit, nec amplius suum est. Nec juvat commentitia illa quantitatis locatio, cujus dominium penes ipsum manere fingitur. Nam qui accipit frumentum et corporis dominium accipit, et corpore ipso utitur, non autem utitur abstracta illa quantitate, cujus dominium danti ab adversariis tribuitur. Non enim abstractionibus metaphysicis, sed corpore frumenti fames depellitur. Ergo quidquid sit de illa quantitate, cum qui frumentum accipit ipso corpore utatur cujus dominium accepit, illud semper constat, usum esse rei quae sua est, et non ejus qui frumentum alienavit. Perperam adeo pro illo usu quidquam exigitur.

Obj. Praeterea mutuum est contractus gratuitus. Atqui mutuum adjecto pretio desinit esse gratuitum. Ergo desinit esse mutuum.

R. Dist. maj. Mutuum est contractus natura sua gratuitus, seu qui ex natura sua postulat esse gratuitus, c. maj. Est contractus semper gratuitus ex ipso fine operantis, n. maj. Similiter dist. mi. Mutuum adjecto pretio desinit esse gratui-

tum, prout procedit ex pravo fine operantis ipsi contractui extrinseco, c. mi. Desinit esse gratuitum spectata natura sua, et fine operis seu intrinseco, n. mi.

Obj. Insuper mutuum est donatio. Atqui donatio adjecto pretio desinit esse donatio. Ergo mutuum adjecto pretio desinit esse mutuum.

R. Dist. maj. Mutuum est donatio unius rei cum obligatione alterius in eodem genere reddendae, quae quidem aptius datio dicitur, c. maj. Est donatio simplex et absoluta sine ulla obligatione ex parte accipientis, n. maj. Dist. pariter mi. Donatio adjecto pretio desinit esse pura et simplex donatio c. mi. Desinit esse vera datio, n. mi. Ex hoc sane argumento mirifice illustrari potest doctrina superius exposita. Etenim concessio seu datio rei ad abusum generaliter spectata indifferens est ad duas determinationes seu differentias, quas ex aequo recipere potest, nimirum ut datio rei fungibilis fiat sine ulla obligatione ex parte accipientis, aut cum obligatione tantumdem reddendi. Utraque haec conditio licita est. Quippe licitum est rem suam alteri dare ad abusum nulla obligatione ipsum adstringendo; licet etiam obligationem adjicere tantumdem restituendi. Si prima conditio dationi generaliter spectatae adjiciatur, ex ea differentia generi adjuncta orietur simplex et pura donatio; si adjicitur altera conditio, ex ea orietur novus contractus, qui mutui nomine donatur. Ideo vero alterutra ex illis conditionibus adjici potest, quia utraque licita est, et datio rei generaliter spectata neutram includit, aut excludit. Contra vero datio rei fungibilis ad abusum cum onere tantumdem restituendi, non potest determinari per conditionem lucri ex ea exigendi; quia ut probatum est, datio ad abusum natura sua tale lucrum excludit, et aliunde hujusmodi conditio utpote illicita non potest verum contractum constituere, qui sua natura, seu ex objecto actus esse legitimus intelligitur.

QUAESTIO III.

De usura.

CAPUT I.

De Usurarum appellationibus.

Usura, si verbi usum spectes, est pecuniae vel frugum accessio, quam creditor a debitore exigit pro usu sortis, ut ejus vim explicat vel ipse Gerardus Noodt de foenore et usuris l. 1. c. 2. Quia vero ex sacris literis praecipua petuntur argumenta, quibus usurae iniquitas et turpitudo declaratur, idcirco haebraicam et graecam vitii ejus denominationem ac notationem aperiendam sibi esse theologi duxerunt, ut adversarios in abstrusioribus hujusmodi linguis patrocinium erroris sui quaerentes facilius refellerent.

Primo itaque usura haebraice duplici vocabulo significatur *Neschech* id est morsus, et *Tharbith* id est incrementum sive superabundantia. Prius illud habetur Exodi 22. v. 25. *Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi qui habitat tecum, non urgebis eum quasi exactor, nec usuris opprimes.* Ubi Haebrei legunt: *Non eris ei ut exactor, nec inferes ei morsum.* Utrumque porro habetur Levitic. 25. nam v. 36. in haebraico textu legitur: *Ne accipias ab eo Neschech et Tharbith, id est usuram et abundantiam.* Ex quo nonnulli existimarunt eas voces unam eamdemque significare, nimirum accessionem ad sortem, ratione diversa, ut scilicet *Neschech* seu morsus usuram denotet, prout refertur ad debitorem, quem mordet; *Tharbith* vero seu incrementum, prout refertur ad creditorem, quem auget. Sed quandoquidem scriptura utramque vocem saepe conjungit, alii re tota penitius introspecta eas voces differre ostendunt, et sic differre; ut *Neschech* usuram pecuniae, *Tharbith* usuram frugum plerumque significet. Quod luculenter declaratur Levit. 25. v. 37. *Pecuniam tuam non dabis ei ad usuram, et frugum superabundantiam non exiges.* Nam quod priore loco dicitur de pecunia non danda ad usuram per vocem *Neschech*, quod posteriore de frugum superabundantia non exigenda per vocem *Tharbith* hebraice exprimitur. Hinc falsum quod nonnulli existimarunt *Neschech*

graviores usuras a pauperibus extortas, et iniquas significare; *Tharbith* moderatas, easque a divitibus exactas, nec adeo illicitas denotare, siquidem utramque sacra scriptura saepe conjungit, simulque prohibet, ut Levit. 25. Ezech. 18. 22. etc. ipsis etiam Calvino et Salmasio assentientibus, praeterquamquod hebraeis omnem usuram a fratribus exigere vetitum fuit, sive illi divites essent, sive pauperes.

Secundo duae quoque voces apud graecos reperiuntur ad usuram significandam τὸκος et πλεοναςγός. Prima idem sonat ac latine partus. Sic autem usura dicta est, quod accessio quae fit ex mutuata pecunia sit quasi partus ejus pecuniae. Quem partum contra naturam esse probe animadvertit Aristoteles. Nummus enim ad permutationes faciendas reipublicae consensu ac legibus induci ac probari potuit: at consensus hominum et lex nulli rei vim pariendi, aut fructum ferendi tribuere potest. Talis ergo partus, quo foenus e pecunia, ut foetus e pecore contingitur, contra naturam est. Altera porro vox superabundantiam significat. Sic autem adhibita videntur illa duo vocabula: ut vox τὸκος respondeat hebraicae *Neschech*, atque ad pecuniae usuram referatur; altera vero πλεοναςμὸς respondeat hebraicae *Tharbith*, atque adeo superabundantiam sive usuram ex frugibus exprimat.

Tertio latine etiam accessio illa, quae fit ex re mutuata, duplici vocabulo usurae ac foenoris notatur. Usura significat primo usum ipsum rei; sic lucis usura pro usu vitae sumitur: secundo lucrum et incrementum ex usu rei profectum; sic Cic. libro de Senect. *Terra nunquam sine usura reddit quod accepit.* Unde quemadmodum merces, quae pro vectione rependitur, dicta est vectura, sic etiam merces aut lucrum pro mutuata pecunia, usura est appellata. Ex Cic. act. 5. in Verrem animadvertendum latinos plerumque usuram singulari nomine pro usu dixisse; plurali autem usuras pro lucro seu foenore. Foenus autem dictum est a foetu, et quasi foetura quadam pecuniae, ut ait Varro lib. 3. de latino ser., quare respondet Graeco τοκος. Perperam igitur opinatus est Salmasius foenus proprie pecuniam esse creditam seu sortem; atque illo ipso loco Nonii refellitur, e quo errandi occasionem sumpsit. Tametsi negari nequeat deinceps scriptores aliquando foenus pro ipso mutuo accepisse, unde legitur Ecclesiastici 29. *Foenerare proximo tuo in tempore necessitatis illius.* Qui sensus ex contextu sermonis, ubi occurrit, eruen-

dus est. Jam licet inter usuram et foenus aliquid differre scriptores nonnulli notaverint, communi tamen usu jamdudum receptum est, ut utrumque vocabulum eadem significatione sumatur pro accessione ex re fungibili mutuata.

Nunc operae pretium est paucis perstringere varia usurarum nomina ducta ex vetere colligendarum earum ratione. Ante Justinianum usura legitima, seu civili jure non vetita dicebatur esse centesima. Sic autem est appellata quod singulis mensibus centesima pars sortis mutuanti pro usura persolveretur. Solebant enim veteres non in annos, sed in menses usuras stipulari singulis calendis solvendas. Hinc Ovidius Calendas celeres vocat, quod celerius debitoribus recurrant, ob eamque caussam tristes eas Horatius appellat L. 1. satir. 3. Et S. Ambrosius in Lib. de Tob. scribit Calendas infaustas esse factas avaritia foeneratorum. Hinc etiam Calendarium dictum est liber foenebris, quo solvendae usurae ac debitorum nomina scribebantur. Quae calendaria non solum privatorum sed etiam civitatum fuere, unde curatio calendarii, et quaestura inter personalia munera comperitur. Cum autem romani veteres asse librali uterentur, quem in duodecim uncias dividebant, ex ejus assis partibus usurae minores nomen sumpserunt. Haec porro usura assis nomine donata est, quod pro centum assibus as unus in singulos menses esset rependendus. Ex quo patet usuram, quae et centesima, et as dicta est, ei usurae respondere, quae ex vulgata hisce temporibus computandi ratione stipulatio fit de duodecim in centenarium pro unoquoque anno solvendis. Nam qui centesimam solvit in annum, atque adeo duodecim pro quolibet centenario. Hinc minores veterum usuras proclive est ad nostram rationem accommodare. Siquidem illi unciarium foenus dicebant, quo uncia seu duodecima pars assis solvebatur; idest una centesima in singulos annos: sextans usura, quae binas usuras, seu duo pro centum, quadrans, quae quartam partem assis, idest tres uncias, seu tria in centum; triens, quae quatuor, nimirum tertiam partem assis; quincunx, quae quinque; semis seu semissalis, quae dimidium assem seu sex uncias; septunx, quae septem; quae octo, bes dicebatur; nam bessem ex eo dictum quidam volunt, quasi bis trientem; dodrans, quae novem; dextans, que decem: deuns, quae undecim complectebatur. Porro Justinianus usuras moderatus est. L. *Eos* C. de usuris, qua lege pro diversitate persona-

rum usuras praescripsit. Viris illustribus usuras trientes permisit, sive quatuor in centum: argentariis et negotiatoribus bessem, seu bis trientem, id est octo in centum: ceteris semissem, seu sex in centum. His breviter praemissis ad ipsam disputationem de usura jam est aggrediendum Theologicis locis et argumentis pertractandam.

CAPUT II.

Quaestionis status exponitur.

Nec doctius nec accuratius status ipse controversiae totaque doctrinae ratio, quae nobis est contra usurarum patronos propugnanda, exponi potest, quam verbis sapientissimi pontificis Benedicti XIV de Syn. Lib. X. Cap. IV. « Omne lucrum ex mutuo, praecise ratione mutui, uti loquuntur theologi, hoc est lucri cessantis, damni emergentis, aliove extrinseco titulo remoto, usurarium, atque omni jure, naturali scilicet, divino et ecclesiastico, illicitum esse, perpetua fuit et est catholicae ecclesiae doctrina, omnium Conciliorum, patrum et thologorum unanimi consensione firmata. Huic contradixere graeci schismatici, qui, teste Guidone Carmelita in catalogo haereticorum, quodcumque lucrum ex mutuo permittunt. Graecis ex parte consensit Calvinus, qui ad cap. 18. Ezechiel. licere docuit aliquod moderatum lucrum non quidem a paupere, sed a divite praecise ratione mutui exigere. Errorem a Calvino obiter insinuatum ex professo propugnavit Carolus Molinaeus in suo tract. de usuris, ubi Num. 10. audacter affirmat usuram non esse prohibitam, *nisi inquantum est contra charitatem*... Eamdem pravam opinionem amplexatus alia ratione defendit Claudius Salmasius in duplici tractatu, altero inscripto de usuris, altero de trapezitico foenore, quibus in locis usuram, nisi charitatem laedat, ab omni culpa absolvit, eo quod sit *merces locatae pecuniae* ». Hactenus SS. Pontifex, qui continuo Heterodoxos Scriptores praecipuos recenset, qui usurae patrocinium susceperunt, Petrum Heinigium, Gerardum Noodt, Grenovium, Barbeyracium, Bohemerum. Deinde pergit his verbis: « Impiae Calvini et Molinaei opinioni non veriti sunt subscribere pauci quidam doctores catholici. Distinguunt et isti duplex

» genus mutui: unum quo pecunia, aliave res datur ad con-
» sumptionem, quod plerumque fit cum indigentibus, pecu-
» niam mutuam accipientibus, ut se suamque familiam alant,
» debita solvant, filiam nuptui tradant etc.: alterum quo da-
» tur ad negotiationem, ut cum mercatoribus fieri solet, qui
» acceptam mutuo pecuniam negotiatione augent. In primo
» casu usuram esse fatentur, quidquid exigitur ultra sortem.
» At a foenoris labe excusant lucrum, quod in secundo casu
» ex mutuo percipitur, dummodo sit moderatum, modum-
» que servet patriae legibus definitum ». Hanc porro distinctionem, quam superius ipsi coufutavimus, ait pontifex ab haereticis primum excogitatam, eamque jam praevertisse patres ecclesiae, qui uno ore absolute, atque indefinite pronunciaverunt foeneratitium quidquid ex mutuo ultra sortem exigitur.

In id ergo nobis enitendum est, ut usurae notionem ex ipsismet Sacrae scripturae locis eruamus, quibus ea damnatur; ostendamusque in lucro exacto vel separato ex mutuo positam esse vitii ejus naturam, quod jus Divinum et ecclesiasticum, ipsaque lex naturae perpetuo reprobavit, quo uno convellentur commentitiae usurae definitiones, quas ad lucrum ejusmodi honestandum patroni usurarum ex libito suo et arbitrio perperam confinxerunt. Deinde agendum de titulis mutuo extrinsecis, justamque lucri exigendi caussam praebentibus. Postremo de nonnullis contractibus ad obtegendam usurae labem honesta quadam specie comparatis.

CAPUT III.

Usurae notio et pravitas Sacrae scripurae testimoniis declaratur.

E tribus potissimum sacrae scripturae locis veram usurae definitionem erui posse notant theologi, e cap. 25. Levitici, e cap. 18. Exechielis, e cap. 6. Lucae; atque adeo ex Lege, ex Prophetis, ex Evangelio. Lex interdicit ne usura seu lucrum foeneratitium a fratribus exigatur; propheta, ne ab omnibus; evangelium spem etiam ejus et cupiditatem penitus tollit; ut animadvertit Hierony. in cap. 18. Ezech. Ex illis porro locis inter se collatis prodit usurae notio, quam accom-

modatissima definitione theologi complectuntur, quamque sequenti propositione declaraturi sumus.

PROPOSITIO

Usura Divino jure prohibita est quodcumque lucrum exactum vel separatum ex mutuo vi mutui.

Pr. 1. Levitici 25. *Si attenuatus fuerit frater tuus et infirmus manu, et susceperis eum quasi advenam et peregrinum, et vixerit tecum, ne accipias usuras ab eo, non amplius quam dedisti: time Deum tuum, ut vivere possit frater tuus apud te: pecuniam tuam non dabis ei ad usuram; et frugum superabundantiam non exiges.* Hic locus duas partes complectitur. Altera usuram vetat: *ne accipias usuras*: altera quid sit usura explicat: *non amplius quam dedisti... frugum superabundatiam non exiges.* Est igitur usura plus accipere quam datum fuerit sive de pecunia, sive de frugibus. Etsi autem hoc loco non exprimatur vox ipsa mutui, tamen aperte significatur. Siquidem mutuum est, cum pecunia et fruges dantur restituendae in eodem genere; cum ergo hic locus loquatur de pecunia et frugibus reddendis, prohibeatque ne qui dedit pecuniam plus accipiat quam dederit, et ne frugum superabundantiam exigat; perspicue ostendit usuram fieri, cum incrementum seu lucrum ex mutuo percipitur. Praeterquamquod Exodi 22. idipsum declaratur: *Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi, qui habitat tecum, non urgebis eum quasi exactor, nec usuris opprimes.* Neque ex eo quod illis locis pauperis mentio fiat, concludi potest usuram tantum erga pauperes locum habere. Nam Deuter. 23. dicitur sine ullo discrimine inter pauperem et divitem. *Non foenerabis fratri tuo ad usuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem, sed alieno.* Quocirca quae injicitur mentio pauperis in lege valet ad demonstrandam immanitatem usurae, cujus acerbitas tum maxime se prodit cum a pauperibus exigitur; non autem ex eo inferre licet legem hebraeis concessisse, ut a divitibus fratribus foenus reciperent; quod Judaeis nunquam licuisse agnoscit ipse Gerardus Noodt L. I. C. X.

Ergo constat usuram expresse lege ipsa prohibitam lucrum esse ex re mutuata sive pecunia sive frugibus exactum a fratre sive divite sive paupere.

2. Ezechielis 18. *Vir si fuerit justus et fecerit judicium et justitiam . . . . . ad usuram non commodaverit, et amplius non acceperit . . . . . hic justus est, et vita vivet.* Et infra v. 10. *Quod si genuerit filium latronem effundentem sanguinem . . . . ad usuram dantem et amplius accipientem, numquid vivet? non vivet. Quod si genuerit filium, qui videns omnia peccata patris sui, quae fecit, timuerit et non fecerit simile eis . . . . . usuram et superabundantiam non acceperit; hic non morietur in iniquitate patris sui, sed vita vivet.* Eadem est vis et potestas hujus loci, atque superiorum ad patefaciendam naturam usurae. Sed cum Hieronymo diligenter observandum hic tolli distinctionem inter fratrem, et alienum. *Quomodo*, inquit, *dicitur fratri tuo non foenerabis, alieno autem foenerabis? sed vide profectum: in principio legis a fratribus tantum foenus tollitur: in propheta ab omnibus usura prohibetur, dicente Ezechiele: pecuniam suam non dedit ad usuram.*

Ergo ex eo loco colligitur usuram, quam propheta reprobat, lucrum ex re mutuata exactum sive a fratre, sive ab alieno.

3. Lucae 6. Christus ipse homines alloquitur: *Mutuum date, nihil inde sperantes.* Hic nonnulla sunt animadvertenda. 1. Christum qui adimplere legem venerat non solvere, ipsam cupiditatem, ac spem lucri prohibuisse, ubi qui ex Judaeis in legis tantum litteram intuebantur, ipsum factum solum non animum prohiberi putabant. 2. Cum lex Judaeis vetaret foenus accipere a fratribus, non esse dubitandum, quin Christus eam legem confirmaverit vetando non solum usuram pacto contractam, sed etiam mente conceptam. 3. Cum Christus evangelica sua lege Judaicam distinctionem sustulerit fratris et alieni, volueritque omnes homines habendos esse ut fratres, utpote sanguine suo redemptos, atque ad regni coelestis haereditatem vocatos, illud quoque constare debet, vim praecepti, qua lex Mosaica vetabat usuram a fratribus accipere, non fuisse a Christo sublatam, sed sancitam fuisse et ampliatam ad omnes homines, qui sub Evangelio potiori jure fratres habendi sunt communis redemptionis jure, quam Judaei ex uno patre progeniti jure ipso humanae cognationis. Quam in rem S. Ambrosius Lib. de Tob. C. 15. *Frater autem tuus omnis fidei primum, deinde romani juris est populus.* 4. Ut post S. Th. recte advertit Tostatus in illo verbo Christi: » Mutuum date nihil inde sperantes, esse ali-

» quid pertinens ad consilium, et aliqui pertinens ad prae-
» ceptum. Dare enim mutuum interdum est consilium, in-
» terdum praeceptum. Quando quis enim est in extrema ne-
» cessitate, dare ei mutuum praeceptum est: cum vero non
» est in magna necessitate, non est praeceptum sed con-
» silium. Et tamen non sperare aliquid ex mutuo semper
» est praeceptum: ideo usura quae consistit in hoc quod
» accipitur in mutuo aliquid ultra sortem, vel speratur,
» semper est contra praeceptum, et est prohibita. »

Ergo usura Evangelio damnata lucrum est a quocumque homine ex mutuo exactum vel speratum.

OPPOSITA ARGUMENTA SOLVUNTUR.

Opponunt 1. illud Deuteron. 28. v. 12. *Foenèrabis gentibus multis, et ipse a nullo foenus accipies*: Et v. 44. *Ipse foenerabit tibi, et tu non foenerabis ei*, quibus verbis approbatam a Deo usuram conclamant.

Verum ex tota capitis serie luculentissime patet eo loco recenseri facultates, copias et ornamenta, quae Deus Judaeis legem suam colentibus erat collaturus, adeo ut ipsi pro divitiis et opibus quibus abundaturi erant, habituri quoque essent unde facile aliis mutuarentur, non ipsi ab aliis mutuum quaesituri. Contra vero si legem Dei violassent. Non ergo ibi verbum foenerari ponitur ad significandam usuram, sed ad facultatem designandam mutui dandi, vel necessitatem accipiendi pro copia vel indigentia populi.

Argumentantur 2. adversarii ex cap. 23. Deuteron., quo Deus permittit hebraeis, ut foenerentur alieno. Jam vero si usura natura sua mala esset, Deus auctor, fonsque sanctitatis minime Judaeis permisisset foenerari ab extraneis. Quod ergo Deus usuram Judaeis erga fratres prohibuerit, argumento est eam legem civili potius, quam naturali ratione in republica hebraica jussam esse.

Triplicem huic argumento responsionem afferre Theologi solent: primam ex D. Th. 2. 2. q. 78. art. 1. ad 2. Quod Judaeis prohibitum fuerit usuram accipere a fratribus suis, ex eo intelligendum esse nunquam vacare crimine, si quis a quocumque usuram accipiat. Debemus enim omnem hominem

habere ut proximum et fratrem: quare etiam psal. 14. absolute dicitur: qui pecuniam suam non dedit ad usuram, quod praecipue valet pro statu Evangelii. Quod autem ab extraneis usuram acciperent, non fuit eis concessum quasi licitum, sed permissum ad majus malum vitandum, ne scilicet Judaeis Deum colentibus usuras acciperent propter avaritiam, cui dediti erant.

Contra id responsum nil afferunt heterodoxi quod alicujus momenti esse videatur, Nam quod ajunt indignum esse sanctitate divina in ea republica nefarium aliquid tolerare Deum voluisse, prorsus alienum est. Cum enim ipsi contendant civili ratione legem de usuris ei populo jussam esse; quomodo evincent non potiore jure a nobis dici Deum, quatenus ejus reipublicae politicam administrationem constituebat, aliquod malum majoris vitandi caussa tolerasse, in quo sane nil se prodit divina sanctitate indignum? Quod vero ait Grotius in Lucam eam interpretationem a textu alienam esse, nec unquam Judaeis ita intellecta esse verba legis, quod evincere sibi videtur Josephi, et Philonis auctoritate, nullius quoque momenti est; nam nec verba legis, nec ipsum Josephi et Philonis testimonium eam interpetrationem ullo modo respuunt, sed tantum non afferunt. Deinde quomodo Grotius verba legis probabit non ita fuisse intellecta a prophetis, qui omnem indiscriminatim usuram reprobant, atque a Judaeis qui spiritum legis sequerentur, omnesque homines vel ipso humanitatis jure haberent ut proximos et fratres?

Altera est responsio D. Ambrosii, qui lib. de Tob. c. 15. alienorum nomine, adversus quos Deus Judaeis permisit foenus exercere, illos populos esse intelligendos, quos Deus ipsis delendos tradiderat.

Quis erat tunc alienigena, nisi Amalech, nisi Amorrhaeus, nisi hostes? ibi, inquit, usuram exige, cui merito nocere desideras, ... ab hoc usuram exige, quem non sit crimen occidere. Sine ferro dimicat, qui usuram flagitat etc. Sic Ambrosius.

Sed nollem dictum, respondet hoc loco Gerardus Noodt. Cur ita? *abest enim procul non a veritate tantum, sed etiam ab honestate.* Hoc opus, hic labor. Age igitur, videamus quemadmodum id scriptor ille demonstrare aggrediatur. *Apud Romanos*, inquit, *prohibitum aliquando foenus inter cives fuit: inter cives et socios latinos non fuit prohibitum, nec tamen*

quisquam dixerit, id ideo factum fuisse, ut socios latinos romani cives foenore spoliarent. Cur igitur aliud de hebraeis dicemus? Primum expedite responderet Ambrosius non eamdem fuisse romanorum civium conditionem erga populos, quos societatis jure devinctos habebant, atque fuerit habraeorum erga gentes, quas delere ac perdere jubebantur. Diversa igitur ex ea diversa conditione oriri caussa et ratio potuit permittendi foenoris, romanis quidam erga socios latinos, hebraeis autem adversus cananaeos. Deinde notat ipse Noodt ex Tacito et Appiano priscis romanis utpote agriculturae ac bellicae rei prorsus deditis foenus exitiosissimum fuisse. Ex quo satis proclive est intelligere romanos foenebre id malum, ut illud Tacitus appellat, e civitate in socios rejicere voluisse, et licet non hostili odio foenus erga istos permiserint, ut eos spoliarent, tamen ne civis civem foenore spoliaret, civibus ipsis concessisse ut spoliarent socios, ipsique horum spoliis ditescerent. Quod ergo malum majoris mali vitandi causa permiserunt romani erga socios, cur non potiori ratione putabimus ex sententia S. Thomae a Deo in hebraeis tolleratum fuisse adversus alienigenas? Sed quod romanis quomodocumque permittentibus justum nunquam esse potuit, ut civis a socio foenus exigeret, id ex sententia D. Ambrosii Deo concedente juste facere potuerunt hebraei erga gentes, quas ipsis vastandas Deus ipse tradiderat. Quod ergo ait Noodt eamdem fuisse rationem prohibendi foenoris inter hebraeos, permittendi vero erga alienos; quae fuit romanis ejus inter cives prohibendi, permittendi autem erga socios, id nulla ratione probatur, imo satis apta ratione refellitur, nec ad rem facit: Nam quaecunque fuerit caussa, qua inducerentur ipsi hebraei ad foenus exercendum cum cananaeis, illud inquirit Ambrosius cur generatim foenoris exactio illicita sit, in hebraeis erga cananaeos iniqua non fuerit; hancque rationem affert sane accommodatissimam; nempe cum Deus hebraeis cananaeos ipsos eorumque regionem addixisset, profecto ipsis jus verum concessit in opes cananaeorum; nil ergo injustum faciebant, si quod ipsis Deo concedente attributum erat, foenore ipso sibi vindicarent, et exigerent. Porro ex circumstantia temporis, quo lex Deuteronomii lata est, eruit Ambrosius alienos, qui ea memorantur, Amalecitas fuisse, Amorrhaeos etc. quos jure vel occidere licebat.

Esto, urget Noodt, *sed quae de foenore et usuris fiunt con-*

ventiones, non belli, sed pacis et commerciorum jure celebrantur. Igitur si ad expilationem spectant, et a gentium jure abhorrent, ut videtur Ambrosio, ne cum hostibus quidem fieri possunt: quia hi cum inter se contrahunt, non ut hostes agunt, sed ut homines, qui utilitatis permutatione invicem sibi consulunt, idest jure gentium utuntur. Hoc argumento funditus everti Ambrosii explicationem decernit Barbeyracius in notis ad Grot. et Puffend.

At facile telum hoc repellitur. Verum est homines cum inter se contrahunt, ut homines agere, non ut hostes, ut proinde contrahendo non jure belli, sed jure pacis et commerciorum, prout est populorum qui contrahunt legibus sancitum vel permissum, utuntur. Sed aliquando fieri potest, ut quod est civili jure commercii constitutum, sit lege naturae iniquum. Eo casu qui tali jure commercii utitur, legem quidem naturae violat, sed non rumpit civilia foedera pacis et commerciorum. Sic fatentibus adversariis foenus, quod exigitur ab indigente illicitum est, idque foenus in civitatis perniciem, non utilitatem vergere concedunt. Tamen quibus civitatibus foenoris et usurae conventio generatim permittitur, si quis foenus exigit ab indigente, velut ab eo qui mutuatur elocandae filiae caussa, censebitur quidem legem naturalem offendere, non violare civilia jura pacis et commerciorum. Eadem ratione cum inter cananaeos foenus permitteretur, licet foenus per se legi naturali adversari ponatur, minime ex hoc sequitur eos qui erga cananaeos foenus exercebant, violasse jura civilia pacis et commerciorum, quia conventione utebantur legibus horum populorum permissa et concessa. Itaque tametsi hebraeis nullam facultatem Deus fecisset foenoris ab alienis illis exigendi, tamen eo exigendo violassent illi quidem jus naturae ac divinum, non earum gentium jura pacis et commerciorum. Quod autem Deus eam ipsis facultatem fecerit, illisque cananaeorum res concesseret, ex eo factum est, ut non solum jure commerciorum, sed etiam jure naturae ab illis populis hebraei foenus exigere ac juste retinere potuerint.

Sed demus Ambrosio, pergit Noodt, *valere ejus interpetrationem pecunia peregrinis a Judaeis foenori data: quid dicet, si contra Judaeis foenori data fuerit a peregrinis? nam et hoc fieri Deus permisit.*

Hoc vero Deum nunquam permisisse dicet Ambrosius.

Nam qui superius prolatus est locus Deuter. 28. v. 44. *Ipse foenerabit tibi*; quid futurum esset Judaeis, si spreta lege in angustias et inopiam ipsi se conjecissent, demonstrat, non decernit licuisse aliis populis foenus exigere.

Ne addam nunc, addit tamen, *quod Deus jussit quidem, foenus a Judaeis dari peregrinis, sed non utique devotis ob impietatem, sed quibuscumque: generaliter enim loquitur.*

Etsi de alienis lex generaliter loquatur, dicet Ambrosius circumstantiam temporis generalem locutionem suapte natura definire, ut intelligenda sit de populis, quibuscum versari, agere, bella gerere Judaei debebant, nempe de Amalecitis, Amorraheis, aliisque ob impietatem devotis. Quod autem attinet ad reliquos populos Tyrios, Sidonios, Aegyptios usuram hebraeis licitam fuisse nunquam probabitur. Lege Deuteron. abusos esse plerosque Judaeos ut foenus cum alienis indiscriminatim exercerent, id quidem verisimile fit. Tamen quod prophetae inter Caldaeos cum populo in captivitate agentes foenus generatim improbaverint nulla facta fratris et alieni distinctione, magno argumento est sapientibus Judaeis, et qui non litera legis abuti vellent, minime persuasum fuisse licere foenus ab alienis indiscriminatim exigere, sed licuisse adversus eos alienos, quos ipsi delere ac perdere jubebantur.

Non igitur placet mihi, concludit Noodt, *Deum Judaeis foenus, idest rem turpem ac flagitiosam in peregrinorum necem permisisse:* vel loquitur auctor de permissione Divina, qua tantum toleratum fuit foenus erga quoscumque alienos, non concessum ut licitum, ex mente S. Thomae, tumque non adversatur Dei reverentiae, ut existimemus Deum in populo, cujus civilem statutum constituebat, minus malum tolerare voluisse majoris mali vitandi caussa. Maxime cum haberent prophetas et doctores, a quibus admonebantur, quod ad duritiam cordis concessum erat, non ipsam duritiam cordis immunem a culpa reddere: vel loquitur de permissione, qua ex mente S. Ambrosii licuit Judaeis foenus exercere adversus cananaeos, tumque id foenus nec turpis nec flagitiosa res fuit. Est enim foenoris iniquitas, et turpitudo eadem quae furti; quod nimirum ab alio res sua auferatur. Iam vero cum Deus judaeis res cananaeorum concessisset, ipsi exigendo foenere non alienam rem usurpabant, sed suum vindicabant. Vindicavimus, ni fallor, Ambrosii interpretationem, quam Barbeyracius praedicat argumentis Noodt sic ex omni parte

tentatam ac convulsam fuisse, ut nulla ejus instaurandae spes superesse posset.

Tertia responsio est eorum, qui usuram secundario tantum legis naturae praecepto prohiberi volunt; adeo ut sine Dei dispensatione semper sic illicita, accedente vero Divina dispensatione licita fiat. Sed videtur cum Sylvio animadvertendum, ut haec sententia tanquam probabilis admittatur, non sic esse accipiendam, quasi Deus dispensaverit, ut usura proprii nominis fuerit licita, modo ea solum extorqueretur ab alienigenis; sed sic, ut Judaei, quando mutuarent illis gentibus, lucrum ultra sortem licite ab eis exigerent, Deo, qui universorum est Dominus, illud lucrum eis donante; sicut spolia Aegyptiorum donavit Israelitis egredientibus de Aegypto. Verum hoc pacto id responsum commode ad superiora duo revocari potest.

Opponunt 3. Ex Lucae cap. 6. minime inferri posse Christum foenus prohibuisse. Nam, ut ait Noodt cap. XI., Christus eo loco non de usuris loquitur, sed de sorte ipsa quae mutuo datur. Alloquebatur enim Judaeos, divinusque ipsius sermo respiciebat ad legem Moysis, quae foenus inter Judaeos prohibebat. Non autem fiebat hic sermo Gentiles apud et Judaeos, inter quos foenus licitum erat, probante lege. Id vero confirmat ex eo quod Christus ait, peccatores peccatoribus dare mutuum, ut recipiant paria. Peccatores autem quos intelligit alios, nisi qui a stoicis stulti dicuntur, id est populus? unde Christus loquitur de mutuo quod inter Judaeos alter alteri de populo daret. Vult igitur Christus Judaeum, si mutua indigeat pecunia, a Judaeo adjuvari, sive speret sive non speret sortem recipere. Ceterum ut Christus inter Judaeos non sustulit mutuum, sic inter eos et gentiles non sustulit foenus; quia neque inter eos solvit legem, quam Moyses iis posuit ex jure gentium. Ita Noodt.

Responsio nonnullis animadversionibus constabit. 1. Non negamus eo loco Christum etiam loqui de sorte mutui danda, ejusque verbis hac de re praeceptum simul et consilium contineri, ut superius declaratum est. Verum ex eo non sequitur iisdem verbis praeceptum non contineri de usuris ex mutuo non exigendis. 2. Minime probat adversarius Christum locutum esse de mutuo dumtaxat ut fiebat inter Judaeos, quibus lege foenus prohibebatur. Nam etsi tum Judaeos alloqueretur, ipsi tamen Judaei non solum inter se invicem mu-

tuabantur, sed etiam gentibus cum foenore mutuum tribuebant. Quod ergo Christus Judeos alloquens praecipit de mutuo, referri potest ad mutuum non solum quod inter Judaeos privatim, sed et ad mutuum prout inter Judeos et Gentiles obtinebat; perperam ergo adversarius ad illud primum coercet verba Christi. 3. Quod confirmandae suae opinionis caussa affert, nimirum Christum peccatores more stoico homines dixisse de populo, ab omni specie veri prorsus abhorret. Et sane caput sextum Lucae continet sermonem Christi de Beatitudinibus, qui refertur etiam Matth. Cap. 5. Qui autem v. 32. Lucae et sequ. peccatores nominantur, sententiis respondentibus v. 45. et 46. Matth. dicuntur Publicani et Ethnici. Ex quo manifestum fit quos Lucas peccatores eo loco dicit, intelligendos esse non more stoico stultos et homines de populo, sed publicanos et ethnicos seu Gentiles. Ex quo etiam evincitur contra Noodt Christum eo sermone de mutuo Judaeos alloquutum esse, non solum ut fiebat ex praescripto legis inter Judaeos, sed et ut fieri solebat inter Judaeos et Gentiles, aut etiam inter gentiles et publicanos 4. Corruit proinde quod addit adversarium Christum non sustulisse foenus inter Judaeos et Gentiles, quod supponit probatum fuisse lege quam Christus non solvit. Etenim exceptis cananaeis, e quibus juste potuerunt Judaei foenus exigere Divina concessione, lex Moysis nusquam ipsis concessit mutuum ut licitum, sed permisit ad duritiam cordis. Quemadmodum autem Christus non solvit legem, sed implevit, cum libellum repudii ad duritiam cordis a Moyse permissum sustulit, ita non solvisse legem censendus, cum foenus permissum ad duritiam cordis penitus sustulit.

Ceterum Christus inter gentes ipsas foenus generatim sustulisse concluditur, sive quia praecepta Christi non ad solos Judaeos pertinebant, sed ad omnes, sive ex ipso contextu sermonis. Christus enim dum ait: *mutuum date nihil inde sperantes,* mutui formam et rationem praecepit diversam ab ea, qua peccatores foenerantur, ut constat ex versu superiore: *Si mutuum dederitis his, a quibus separatis recipere, quae gratia est vobis, nam et peccatores peccatoribus foenerantur, ut recipientur aequalia.* Peccatores autem hoc loco dicuntur Gentiles, ethnici scilicet et publicani. Ergo Christus illis verbis, *nihil inde sperantes*, e mutuo spem eam lucri sustulit. quod publicani et Ethnici e mutuo quaerebant. Sed lucrum

ab Ethnicis quaesitum erat lucrum foeneratitium. Ergo vel ipsam spem lucri foeneratitii Christus e mutuo penitus exclusit.

At, inquit Barbeyracius: Eo versiculo: *Verumtamen diligite inmicos vestros, benefacite, et mutuum date, nihil inde sperantes*, τὸ *nihil inde sperantes* referendum esse non tantum ad proxima verba: *mutuum date*, verum etiam ad superiora: *diligite inimicos vestros, benefacite*. Ex quo concludit Christum non prohibuisse quodcumque lucrum ex mutuo, sed generatim praecepisse diligendos inimicos, proximis benefaciendum, dandum mutuum; etiam cum non adest spes futurum, ut qui beneficium accipit, velit aut possit data opportunitate gratiam referre. De qua interpretatione quasi de mirifico invento plaudit sibi admodum Barbeyracius, miraturque nemini adhuc eam venisse in mentem.

Verum longe abest ut τὸ *nihil inde sperantes* adeo commode referri queat ad antecedentia: *diligite inimicos vestros, benefacite*; ut ad proxime superiora: *mutuum date*. Enimvero primis illis verbis praecipitur intima et sincera dilectio inimicorum, praecipitur intimus affectus beneficentiae, excludit etiam spem emolumenti capiendi; at vero affectus quo mutuum datur non excludit vi sua spem lucri reportandi. Quare dum Christus praecipit diligendos esse inimicos, et proximis benefaciendum, satis intelligitur illis praeceptis non satisfieri nisi sincere diligatur inimicus sine ulla spe, et nisi abjecta etiam omni spe benefaciat quis proximo, cum benefacere teneatur. Sed cum mutuum dari possit ex cupiditate lucri capiendi, Christus dum docuit mutuum esse dandum, adjunxit, *nihil inde sperantes*, ut ostenderet ex mutui datione lucri cupiditatem excludendam esse. Praeterea etsi concedatur τὸ *nihil inde sperantes* referendum esse ad omnia simul antecedentia, nihil profici Barbeyracius. Etenim quid sibi volet, *diligite inimicos vestros*, adjecto *nihil inde sperantes*? Non aliud sane, nisi diligendi inimici motivum minime sumendum ex spe capiendi emolumenti. Similiter quid sibi volet, *benefacite*, adjecto, *nihil inde sperantes*, nisi beneficentiae motivum neque sumendum ex ejusmodi spe? Siquidem qui ex tali motivo ducitur non exercet actum beneficentiae, cujus actus tamen pro ratione praecepti affirmativi aliquando est exercendus. Ergo similiter cum ait Christus, *mutuum date*, adjecto, *nihil inde sperantes*, declarat cum mutuum da-

tur, non esse dandum ex motivo capiendi lucri. Ergo illis verbis Christi prohibetur lucrum ex mutuo exactum et sparatum.

Opponunt 4. Videri Christum foenus approbasse Matth. 25.: *Oportuit ergo te committere pecuniam meam numulariis, et veniens ego recepissem utique quod meum est cum usura.* Et Luc. 19. *Quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, ut ego veniens cum usuris utique exegissem illam?*

Responsionem suppeditat Aug. in Psal. 57. Non undecumque datur similitudo a Scripturis, laudatur ipsa res, sed tantum inde similitudo trahitur; non enim laudavit iniquum judicem etc. Ex quo theologi merito coeludunt non ea semper probari a scriptura, unde similitudinem trahit ad instituendos mores hominum; alioquin imitandus esset villicus ille iniquitatis, qui ut sibi prospiceret, in fraudem Domini partem eorum, quae ipsi debebantur, debitoribus condonavit. Non ergo ea parabola foenus approbatur, sed sub foenoris imagine excellentior quaedam usurae species proponitur et commendatur, qua scilicet vult Deus, ut de bonis ab eo acceptis fructum feramus; unde S. Th. ad eum locum: *Dicendum*, inquit, *quod usura ibi metaphorice accipitur pro superexcrescentia bonorum spiritualium, quam exigit Deus, volens, ut in bonis acceptis ab eo semper proficiamus, quod est ad utilitatem nostram, non ejus.* Hanc duplicem usurae acceptionem jam distinxerat S. Ambr. in Psal. 36. *Quid est quod foenerat justus, non aes, non ferrum, non plumbum, sed argentum igne examinatum .... Sed foenerationem audivimus in lege reprehensam ... Duplex est foeneratio, una pecuniae, altera gratiae; deinde utramque .... tu recte divide ne pecces.*

CAPUT IV.

De Usura traditione ac legibus Ecclesiae damnata.

Lucrum e mutuo exactum vel sparatum usuram esse Dei lege vetitam cum summorum pontificum et consiliorum decretis, quibus id flagitii evellere omni tempore satagerunt, tum perpetua sanctorum patrum auctoritate constat. Quocirca in re perspicua nullo caussae detrimento brevitati consulere possumus.

Primo itaque usurae nomine perpetua ecclesiae traditione lucrum ex mutuo significatum esse probatur. Tertull. lib. 4. contra Marcionem explicans Ezechielis locum cap. 18. *Pecuniam suam foenori non dedit, et quod abundaverit non sumet, foenoris scilicet redundantiam, quod est usura.* S. Basilius in Psal. 14. *Ezechiel id in maximis malis recenset, si foenus, et quidpiam ultra sortem accipiatur.*

S. Ambros. lib. de Tob. cap. 14. *Quodcumque sorti accedit usura est.* S. Hierony in Ezechielem lib. 6. cap. 18. *Alii pro pecunia foenerata solent munuscula accipere diversi generis, et non intelligunt usuram appellari et superabundantiam, quidquid illud est, si ab eo quod dederint, plus acceperint.* S. Aug. in Psal. 36. *Usuram esse definit si plus quam dedisti expectas accipere.* Concil. Aurelian. An. 538. *Nec de praestitis beneficiis quidquam amplius quam datur, speretur.* Concil. Agathense relatum a Gratiano C. 14. Q. 3. Can. 4. *Usura est, ubi amplius requiritur, quam datur.* Ex quibus Gratianus ibidem concludit: *Ecce evidenter ostenditur, quod quidquid ultra sortem exigitur usura est.*

Secundo usuram perpetuis conciliorum ac pontificum decretis damnatam esse ut juri Divino adversam ex paucis quae prolaturi sumus, facile apparebit. Concilium Arelatense I. An. 314. Can. 12. *De ministris qui foenerantur, placuit eos juxta formam divinitus datam a communione abstineri.* Hoc canone patet usuram clericis prohiberi tanquam Divina lege vetitam; siquidem juxta formam divinitus datam prohibetur. Concil. Generale Nicaenum I. An. 325.: *Quoniam multi sub regula constituti* (idest clero adscripti *avaritiam et turpia lucra sectantur, oblitique scripturae Divinae dicentis: qui pecuniam suam non dedit ad usuram, mutuum dantes, centesimas exigunt, juste censuit sancta et magna synodus, ut si quis inventus fuerit post hanc definitionem usuras accipiens . . . dejiciatur a clero.* Concil. Carthag. I. circa annum 348. can. 13. *Abundantius episcopus Adrumetinus dixit: in nostro concilio statutum est, ut non liceat clericis foenerari: quod si et sanctitati tuae et huic concilio videatur, praesenti placito designetur. Gratus episcopus dixit: novellae suggestiones, quae vel obscurae sunt, vel sub genere latent, a nobis formam accipient. Ceterum de quibus apertissime Divina Scriptura sanxit, non ferenda sententia est, sed exequenda: proinde quod in laicis reprehendimus, id multo magis in clericis oportet praedam-*

nari. Universi dixerunt: nemo contra prophetas, nemo contra evangelia facit sine periculo. S. Leo serm. 6. de jejunio decimi mensis foenus psalmo 14. vetitum agnoscit et probat. Et Epist. 2. *Nec hoc praetereundum esse duximus, quosdam lucri turpis cupiditate captos usurariam exercere pecuniam, quod nos, non dicam in eos qui sunt in clericali officio constituti, sed in laicos cadere qui christianos se dici cupiunt, condolemus.* Alexander III. in concil. Lateran. III an. 1179. crimen usurarum utriusque testamenti pagina condemnari declarat. Urbanus III cap. *Consuluit* de usuris. *Verum quia quid in his casibus tenendum sit, ex evangelio Lucae manifeste cognoscitur, in quo dicitur: date mutuum, nihil inde sperantes, hujusmodi homines pro intentione lucri quam habent (cum omnis usura et superabundantia prohibetur in lege) judicandi sunt male agere, et ad ea quae taliter sunt accepta, restituenda, in animarum judicio efficaciter inducendi.* Clemens V in Generali concilio Viennensi an. 1311. *Siquis in illum errorem inciderit, ut pertinaciter affirmare praesumat, exercere usuras non esse peccatum, decernimus eum velut haereticum puniendum.* Quod decretum Viennensi concilio tribuit non solum S. Antoninus, sed et provinciale concilium Tarraconense an. 1329., et statuta synodalia ecclesiae Tutelensis et Ruthenensis; praeterquamquod cum ea constitutio cum reliquis Clementinis a Joanne XXII an 1317. promulgata fuerit, atque deinceps in corpus juris canonici inserta, nil interest ad auctoritatem decreti utrum Clementi V, an Joanni XXII referatur accepta. Leo X in concilio Lateran.: *Dominus noster, Luca attestante, aperte nos praecepto adstrinxit, ne ex dato mutuo quidquam ultra sortem speraremus. Est enim propria usurarum interpretatio, quando videlicet ex usura rei quae non germinat de nullo labore, nullo sumptu, nullo periculo, lucrum foenusque conquiri studetur.* Idem conficitur ex Bulla Pii V an. 1571. quae incipit: *In eam*, et ex bulla Sixti V quae incipit: *Detestabilis* an. 1586. Alexander VII. damnavit hanc propos. n. 42. *Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem, usque ad certum tempus.* Innocentius XI damnavit propos. n. 41. *Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, et nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam praesentem, quam futuram, potest creditor aliquid ultra sortem a mutuatario exigere, et eo titulo ab usura excusari.* Et propos. n. 42. *Usura non est, dum ultra*

sortem aliquid exigitur tanquam ex benevolentia et gratitudine debitum, sed solum si exigatur tanquam ex justitia debitum. Benedictus XIV. datis ad Italiae episcopos encyclicis litteris haec inter cetera declaravit » 1. Omne lucrum ex mutuo, » ratione mutui, usurarium, et illicitum esse. 2. Ad usurae » labem purgandum nullum arcessiri posse subsidium vel ex » eo quod id lucrum non excessivum et nimum, sed mo- » deratum, non magnum sed exiguum sit, vel ex eo quod » is, a quo id lucrum, solius caussa mutui, deposcitur, » non pauper, sed dives existat, nec datam sibi mutuo sum- » mam relicturus otiosam, sed ad fortunas suas amplifican- » das, vel novis coemendis praediisvol quaestuosis agitan- » dis negotiis utilissime sit impensurus. 3. Quamquam una » cum mutui contractu possint quandoque alii tituli, ut » ajunt, forte concurrere, ipsi mutuo extrinseci, e quibus » justa oriatur caussa, aliquid, ultra sortem ex mutuo de- » bitam exigendi, attamen falso et temere affirmari ejusmo- » di titulos semper reperiri, ac ubique praesto esse, ita ut » illorum ratione quotiescumque pecunia, frumentum, aliud- » ve id generis, alteri cuicumque creditur, toties semper » liceat auctarium moderatum ultra sortem integram sal- » vamque recipere ». Ita Decretum ipse suum litteris illis contentum exponit de Synodo Dioecesana Lib. X. cap. IV. N. 10.

Hinc 1. refellitur commentitia eorum interpretatio qui ajunt sive sacris litteris, sive sanctorum patrum testimoniis illud dumtaxat lucrum usurae nomine reprobari, quod aut immoderatum sit, aut a pauperibus extorqueatur.

Enimvero ut sapienter docet Benedictus XIV Antiqui testamenti pagina Deuteron. 23. Ezechiel. 18 psal. 14. omnem omnino usuram sine ullo discrimine prohibet. Pauperes autem alicubi expresse nominat vel tantum exempli caussa, quia plerumque contingit, ut illi necessitate adacti mutuum accipiant, sub obligatione immoderati etiam foenoris persolvendi, ut etiam adnotavit Grotius, vel quia usurae quae a pauperibus extorquentur, praeter propriam pravitatem, quamdam redolent saevitiam et immanitatem speciali nota et reprehensione dignam. In novo testamento Lucae 6. his verbis: *Mutuum date nihil inde sperantes*, usuram universe prohiberi concors fuit conciliorum, patrum summorumque pontificum sententia. Dicere autem, inquit Summus Pontifex, summos pontifices, et

concilia praedicti textus verum et genuinum sensum non esse assequta, quod aliquos mussitare non puduit, et temerarium, et fere haereticum est. Quippe certum et indubitatum est ecclesiam errare non posse in interpretanda Divina Scriptura, ejusque genuino sensu fidelibus aperiendo.

Quod porro attinet ad sanctos patres non absimilia reponuntur. Hi siquidem licet vehementius invehantur in usuras immoderatas et a pauperibus extortas veluti culmen sceleris in eo genere, non tamen approbant moderatas etiam a divitibus exigendas: nam praeterquamquod saepe usurae nomine damnant quamcumque superabundantiam, quodcumque emolumentum ex mutuo perceptum, praeter id quod datum fuerit, nullo discrimine quantitatis aut personarum, ut supra vidimus, aliis in locis usuram ipsam moderatam a divitibus exactam expresse reprobant. Etenim Ambrosius lib. de Tob. loquens de pecunia mutuo data homini nulla necessitate adstricto ad emendum nobile praedium, amplam domum, de pecunia negotiatori mutuata, nihilominus accessionem ex tali mutuo, quaecumque sit, usuram esse pronunciat: *Et esca usura est, et vestis usura est, et quodcumque sorti accedit, usura est: quod velis ei nomen imponas, usura est.* Similiter Hieronymus in citatum cap. Ezechielis, ut idem pontifex sapienter animadvertit, perinde ac si cum illis ipsis congrederetur, contra quos pugnamus, foenus reprobat etiam ex re percipiendum, quae ingentem fructum mutuatario attulit: *Solent argumentari ac dicere* (verba sunt Hierony.) *dedi unum modium, qui satus fecit decem modios. Nonne justum est, ut medium modium de meo plus accipiam, cum ille mea liberalitate novem et semis de meo habeat? nolite errare, inquit Apostolus, Deus non irridetur. Respondeat enim nobis breviter foenerator misericors, utrum habenti dederit, an non habenti. Si habenti, utique dare non debuerat. Sed dedit quasi non habenti. Ergo quare plus exigit quasi ab habente?*

Hinc 2. refellitur eorum calumnia, qui quod multi antiquiores canones in prohibenda usura clericorum tantum mentionem faciant, concludunt antiquo ecclesiae jure in laicis velut licitam habitam esse.

Enimvero, ut sapientissimus pontifex notat, novum non est ecclesiam severius in clericis punire delicta, quae etiam in laicis exceratur; ut expresse habetur de usura can. 13. concilii Carthagin. superius citati. *Quod in laicis reprehendi-*

tur, id multo magis in clericis oportet praedamnari. Ceterum non desunt innumeri alii canones, clericos aeque ac laicos usurarios redarguentes. Ut antiquissima Synodus Eliberatana can. 20., Leo magnus epist. 3. superius relata etc. Ubi etiam animadvertendum: Priscos illos canones, dum clerici usuram prohibent, eam interdicere *juxta formam divinitus* datam, ut concil. Arelatense: vel usuram committentes redarguere, quasi oblitos scripturae divinae dicentis, qui pecuniam suam non dedit ad usuram, ut concilium Nicaenum; quibus perspicuum fit his canonibus clericis usuram prohiberi velut sacris literis vetitam. Porro sacrae literae de omnibus universe loquuntur psal. 14. Lucae 6. etc. Ergo vel ex ipsis illis canonibus intelligitur eos usuram generatim habuisse ut divino jure vetitam, licet eum speciatim clericis interdixerint.

Hinc 3. illa facile refelluntur, quae ad minuendum pondus argumenti ducti ex patrum auctoritate proferuntur ab adversaris. 1. S. Augustinus videtur foenus inter licitos lucrandi modo percensere, dum ait: *Alius eligit sibi vitam negotiandi, alius vitam rusticandi, alius vitam foenerandi, alius vitam militandi, alius illam, alius illam.* 2. S. Basilius epist. ad Amphilochium can. 14. *Qui usuras accipit, si injustum lucrum in pauperes consumere voluerit, et ab avaritiae morbo deinceps liberari, est ad sacerdotium admittendus.* Cum ergo Basilius non praecipiat usuras ei restituendas a quo sunt exactae, lucrum illud fatetur non esse contra justitiam. 3. Lactantius Instit. c. 4. *Non dabit in usura pecuniam, hoc est enim de alienis malis lucra captare.* Quibus verbis Lactantius usuram definire videtur, lucrum ex alienis malis captatum, adeoque usuram dumtaxat vocare immoderatum lucrum a pauperibus extortum. 4. Sancti patres de usura et mutuo loquuntur secundum notionem, quam a sacris literis hauserant, quae longe differt a notione, quam jus romanum suppeditat, quamque adversarii defendere se profitentur.

Enimvero ad 1. Aug. eo loco non expendit utrum omnes illi vitae status perinde sint cum honestate conjuncti; imo aliquem iniquum esse declarat verbis proxime sequentibus: *Diversa sunt vitae, sed melior est misericordia tua super vitas nostras. Melius est quod das correctis, quam quod eligunt perversi.* Artem porro foenerandi apertissime damnat Aug. exponens illud psal. 54. Non defecit de plateis ejus usura et dolus. *Foenus*, inquit, *et professionem habet: foenus et ars vo-*

catur. Corpus dicitur, corpus quasi necessarium civitati, et de professione sua vectigal impendit, usque adeo in platea est, quod saltem abscondendum erat. Hic sane Aug. penitus praecludit adversantium effugia. Non enim de foenore loquitur, quo misere pauperes affliguntur, sed de illo moderato, quod ad negotiationem necessarium civitatibus praedicatur, quod civili jure permittente palam exercetur, et ex cujus professione vectigal impenditur.

Ad 2. Basilius perspicuis verbis eo loco usuras vocat injustum lucrum; mirum proinde adversarios ex eo loco concludere usuras non esse lucrum injustum. Et sane quod Basilius in pauperes id lucri effundendum doceat, non aliam sententiam habere potest, nisi juste nunquam retineri posse atque adeo pauperibus erogandum, ubi non occurrant ii, a quibus extortum est, non secus atque in omni re furtiva et iniquo lucro.

Ad 3. Lactantius quid usura faciat erga pauperes eo loco docet, non usuram generatim definit. Ceterum ejus definitione cap. 18. in hunc modum proponit: *Plus accipere quam dederit, injustum est.*

Ad 4. constat sacras literas, ipsosque sanctos patres quid usurae nomine damnarint aperte declarasse, scilicet accessionem quamlibet ex mutuo, ut superius vidimus. Constat etiam non alio sensu romano jure usuras acceptas esse. Et sane sancti patres dum fideles ab usurae vitio avocare studuerunt, eas profecto usuras intellexerunt, quae populorum moribus, legibus quandoque etiam non repugnantibus obtinebant. Has si quidem populi exercebant, has evellere patres studebant. Quin etiam sancti patres illis usurarum nominibus utuntur, quibus civili jure appellabatur centesimam, semissalem, trientalem, sescuplam, qua 50. in centum persolverentur. Tantum ergo abest ut sancti patres diversam huic vocabulo notionem subjecerint, ut contra constare omnino debeat, quam usuram jura tolerabant, eam ipsos iniquam universe constantissimeque docuisse.

BREVITER EXPONUNTUR CANONES NONNULLI DE USURIS.

Nunc paulisper immorandum in exponendis quibusdam canonibus, quos adversarii opponere solent.

1. Cap. *in civitate tua* tit. de usur. Alexander III declarat lucrum ex dilata solutione perceptum non esse usurarium. Atqui tamen dilata solutio vim habet mutui. Ergo ab usurae labe purgat lucrum ex mutuo perceptum. Scilicet Genuensis archiepiscopus pontifici exposuerat in ea civitate contingere, ut qui merces comparant, seu emunt, quae tunc ultra quinque libras non valent, promittant se illis, a quibus illas merces accipiunt, sex libras statuto termino soluturos. Statuit porro pontifex: *Licet contractus hujusmodi ex tali forma non possit censeri nomine usurarum; nihilominus tamen venditores peccatum incurrunt, nisi dubium sit merces illas plus minusve solutionis tempore valituras.*

Verum commode hunc locum exponere videntur nonnulli theologi ajentes in ea venditione duo spectari posse, nempe contractum ipsum, et dilationem pretii. Si contractus tantum spectetur, in eo non est usura, cum haec mutuo tantum insit. Si autem spectetur dilatio, jam usuram continet, quia dilatio solutionis, quemadmodum et anticipatio vim habet mutui, ut docet S. Th. 2. 2. qu. 78. art. 2. ad 7., et declaravit Urbanus III cap. 10. de usuris. Quare Alexandri verba sic sunt intelligenda, ut si venditionem, non solutionem spectes, contractus *ex tali forma* non sit usurarius, quamquam iniquus sit, quod non servetur aequalitas. Si autem dilationem pretii consideres, ut eam spectavit Urbanus, tunc profecto lucrum vi ejus dilationis perceptum usurarium erit. Addit vero Alexander venditores peccatum incurrere, nisi dubium sit merces plus minusve valituras tempore solutionis; quia stante hoc dubio potest venditor indemnitati suae consulere, cum fieri posset, ut differendo venditionem plus valiturae fuissent merces, quam cum vendidit. Et licet pontifex expresse non memoret hanc conditionem, scilicet venditorem asservaturum fuisse suas merces usque ad tempus solutioni praestitutum, tamen ex prima conditione facile colligitur. Ideo enim dubium illud de valore mercium tempore so-

lutionis pertinere ad quaestionem intelligitur, et justam venditori caussam praebere plus exigendi; quia supponitur eum dilaturum fuisse venditionem, usque in id tempus. Sic in pari casu eam conditionem expresse memoravit Gregorius IX cap. *Naviganti* ult. de usuris: *Si tamen ea tempore contractus non fuerat venditurus.*

2. Tres casus proferri solent quibus permittitur jure pontificio fructus rei oppignoratae non computare in sortem, quibus proinde lucrum ex mutuo probari videtur. Etenim fructus, quos quis percipit ex pignore pro re mutuata, profecto intuitu mutui percipiuntur, et accedunt ad sortem. Primus casus habetur can. 1. de usuris, quo Alexander III etsi generatim vetet, ne clerici pro pecunia mutuo data possessiones accipiant, e quibus fructus percipiant in sortem non computandos, excipit tamen: *Nisi forte ecclesiae beneficium fuerit, quod redimendum ei hoc modo de manu laici videatur.* Alter casus habetur can. 8. ibid., quo idem Alexander III rescribens abbati et fratribus S. Laurentii: *Mandamus*, inquit, *quatenus si terram ipsam, titulo pignoris detinetis, et de fructibus ejus sortem recepistis, praedictam terram clerico memorato reddatis: nisi terra ipsa de feudo sit monasterii vestri.* Cui simile est quod legitur can. 1. de feudis ex Innocentio III ad episcopum Maurianensem rescribente. Tertius casus habetur cap. 16. de usuris, quo Innocentius III declarat non esse compellendum generum ad computandos in sortem fructus possessionum, quae sibi a socero pro numerata dote pignori sunt obligatae. Ex quo concludunt in favorem ecclesiae, feudi, ac dotis usuras jure pontificio concedi, nec adeo per se malas esse.

Verum haud obscura vel implexa respondendi ratio. Nam 1. casu pontifex loqui videtur de possessione ad clerici beneficium pertinente, et a laico injuste detenta, quam proinde si laicus in pignus det ipsi clerico, poterit clericus, si hoc modo redimendum est ipsi, quod suum est, fructus ex ea possessione perceptos non computare in sortem. Quo casu nulla usura intervenit in favorem ecclesiae, sed clericus qua ratione valet, indemnitati suae consulit.

Quod attinet ad alterum casum, aliis interpretationibus praetermissis, haec sane videtur accommodatissima, videlicet dominum fundi feudalis fructus ipsius fundi feudalis a vassallo in pignus accepti facere suos, dummodo vassallum ab oneri-

bus et servitiis ratione feudi debitis eximat; hoc etiam intelligendo aequalitatem intercedere inter fructus fundi, et servitium obsequiumque ratione feudi praestandum; idque fieri ex libera inter utramque partem conventione. Cui explicationi consentaneum est quod rescribit Innocentius III ep. Maurian. *Ita videlicet, ut quamdiu fructus illos ceperis in sortem minime computandos, idem a servitio, in quo Tibi ecclesiae tuae pro feudo ipso tenetur, interim sit immunis.*

Ad 3. casum responsio suppetit ex ipso can., ubi pontifex addit: *Cum frequenter dotis fructus non sufficiant ad onera matrimonii supportanda*, non ergo hi fructus hoc loco vice usurarum sunt, sed vice compensationis onerum matrimonii, quae gener sustinet.

3. Quod attinet ad dotem opponitur can. 7. de donationibus inter virum et uxorem, quo Innocentius III concedit, ut viro ad paupertatem vergente dos uxoris pro ejus securitate tradatur mercatori, *ut de parte honesti lucri dictus vir onera possit matrimonii sustentare.* Quo casu sors ita committitur mercatori, ut ejus periculo stare debeat; secus non esset consultum securitati dotis, et tamen ex tali sorte concedit pontifex, ut lucrum honestum percipi queat. Ergo lucrum moderatum ex pecunia mutuo data mercatori ad negotiandum probat pontifex.

R. Velle quidem pontificem, ut dos mercatori committatur, quatenus ea in negotiationem conversa possit vir honestum lucrum negotiatione partum percipere; sed quod dotis periculum stet mercatori, ne leviter quidem pontifex insinuat. Ita canonem interpretantur Panormitanus, aliique doctores. Et sane vel ex ipso canone patet minime pontificem cogitasse de dote ab omni periculo eximenda. Scilicet cum vir nollet uxorem recipere, nisi dotem etiam reciperet, eaque de re quaestio mota esset, civitatis Genuensis consules pronunciaverant, ut quoniam vir ad inopiam vergere videbatur, dos ei non assignaretur, nisi cautionem idoneam de ipsa non peritura praestaret. Propterea archiepiscopus et archidiaconus ei praeceperant, ut de solvenda dote caveret, et uxorem reciperet. Haec cum fuissent exposita pontifici, respondet ipse: *Cum ergo satis possit ei modicum credi dotis, cui creditum est corpus uxoris: mandamus, quatenus dotem assignari faciatis eidem sub ea, quam potest, cautione praestare, vel saltem alicui mercatori committi, ut de parte honesti lucri*

dictus vir onera possit matrimonii sustentare: ne occasione dotis detentae, uxor a viro dimissa etc. Porro verbis illis, *cum satis possit modicum credi dotis ..... sub ea quam potest, cautione praestare,* satis ostendit pontifex non fuisse expectandum, ut de dote non peritura plena cautio haberetur, antequam persolveretur, sed voluisse ut cum aliquo etiam periculo daretur, sive illam assignando ipsi viro, sive mercatori committendo. Non aliam ergo pro dote securitatem exigit, quam quae haberi potest de pecunia propria, quam ipse mercator ad negotiationem committit.

Huc revocari potest quod de montibus pietatis objiciunt, quibus usuram mutato nomine a pontificibus approbatam heterodoxi non pauci contenderunt. Quae calumnia ut penitus elidatur, satis fuerit in medium proferre, quae de his Benedictus XIV disserit de synodo Dioeces. L. X. C. V. » Diu multumque inter theologos et canonistas olim » disputatum fuit, an usurarii essent montes pietatis Perusiae anno 1450. primum erecti, in quibus, recepto pignore, pecunia aut frumentum mutuo datur pauperibus, ea » lege, ut si praefixo tempore debitum non solvant, vendantur pignora, et ex eorum pretio mons pietatis sortem » creditam, et modicum quid ultra sortem recipiat, residuum » vero reddatur debitori. Ejusmodi montes prae ceteris impugnarunt Cajetanus et Dominicus Soto, quibus videbatur » modicum illud lucrum, ultra sortem receptum, usuram » sapere. Acriter pariter in illos invehitur cum aliis Acatholicis Carpzovius, Verum Leo X in concil. Lateran. V. » Sess. 10. Sacro approbante concilio montes praedictos licitos, atque ab omni usurae labe immunes pronunciavit: » siquidem quod ultra sortem a mutuatariis exigitur, non » caussa mutui, sed alio nomine exigitur, praecipue ut sine » montis detrimento congrua merces assignetur ministris, » qui non sine magno labore pignora custodiunt, excutiunt, » expendunt, et alia ejusdem generis multa praestant in gratiam mutuatariorum. Sicut enim si amicus unius diei intervallo a me distans mutuum a me petat, quod ad eum » mittere cogar per hominem a me conductum, et mutuum, » et mercedem, quam dedi homini, per quem mutuum misi, jure repetere possum, ita montis praefecti aliquid ultra sortem creditam exigere valent, erogandum in montis » ministrorum salarium: quemadmodum ratiocinatur Sylvius

» in 2. 2. q. 78. art. 4.; ubi alia plurima adducit argu-
» menta ad vindicandam justitiam montium pietatis. »

CAPUT V.

De usura ut lege naturali vetita.

Illud nobis est hoc capite demonstrandum usuram seu lucrum quodvis ex mutuo, ratione mutui, suapte natura iniquum esse, atque justitiae commutatricis aequabilitatem prorsus convellere quae sane vetat, ne pro una eademque re duplex compensatio exigatur, sive pretium exigatur pro re, quae nulla est, nulliusque pretii; neve utilitas, quae ex aliena re vel industria oritur, alteri praecipiatur.

Atque ut intelligatur per lucrum ex mutuo ratione mutui perceptum utroque modo jus naturae violari, pauca sunt initio animadvertenda. 1. Res omnes quae in humanum commercium veniunt, pretio aestimabiles censeri, valoremque suum sortiri, non ratione suae substantiae, sed ratione alicujus usus, qui usus sive pro majore vel minore difficultate rei comparandae, sive pro aliis circumstantiis, quae pendent ex hominum statu et opinione, facit ut res pluris, vel minoris aestimetur. Sic vilissimum animal ratione suae substantiae praestantius quiddam est, quam nobilissimum artefactum, tamen minores aestimatur, quam vel sordida vestis.

Secundo hinc sequitur, quod attinet ad rerum valorem, aliter judicandum de re, quae uno presenti usu absumitur, velut panis est, quo quis utitur ad victum, hoc ipse usu eum consumit; aliter de re, quae usum habet successivum, ex qua proinde utilitas capi potest ex praesenti usu, quin eo usu intereat, et consumatur, sed post usum superstes maneat, possitque alias utilitates praebere. Talis est equus, domus, praedium. His enim rebus postquam semel usi sumus, adhuc permanent, possuntque alios usus successivos habere. In rebus hujus secundi generis duplex valor distingui rite potest, unus prodiens ex utilitate, quam capis per usum praesentem ex equo, v. g. ad iter faciendum; alter qui respondet ipsi rei, quatenus permanendo potest habere plures usus successivos. Unde aliud est pretium equitationis, aliud pretium equi; quandoquidem praeter utilitatem quam habes ex praesenti equitatione; quae pretio aestimabilis est, potest equus alias

utilitates praebere, estque adeo pretio alio aestimabilis. In rebus vero primi generis non potest hic duplex valor distingui, nam tota utilitas quae ex earum rerum proprio usu percipitur, ipsa rei consumptione continetur; unde res ab ejus usu sejungi non potest, quod attinet ad valorem et pretium. Sic valor qui respondet usui panis, non potest sejungi a valore qui respondet ipsi pani, essetque manifeste non injustum solum, sed et absurdum et ridiculum, si quis tradendo panem pretium exigere vellet primo pro ipso pane, deinde pro usu seu commestione panis. Nam cum panis huic usui superstes non maneat ad praebendas alias utilitates, sed eo usu consumatur, alia esse nequit utilitas panis, et alia comestio panis, nec proinde alius valor pani, alius ejus usui proprio respondet.

Tertio nunc memoria repetendae duae mutui conditiones superius expositae. Prima est, mutuum in his rebus versari, quae usu proprio consumuntur, in quibus proinde non potest rei valor a valore usus dirimi. Altera est, in mutuo res eas dari ad abusum seu consumptionem. Ex quo etiam sequitur earum rerum dominium in accipientem transferri, cum obligatione tantumdem in eodem genere reddendi, ut pariter explicatum est. His positis.

PROPOSITIO.

Lucrum ex mutuo ratione mutui perceptum convellit aequalitatem justitiae commutatrici propositam, estque adeo usura contra jus naturale.

Pr. 1. Nam per id lucrum compensatio duplex pro una eademque re, vel pro re, quae nulla est, nulliusque pretii pretium exigitur; simulque utilitas ex re aliena et industria proveniens alteri praeripitur. Sed utrumque justitiae commutatrici repugnat. Ergo etc.

Primum patet ex eo quod id lucrum vel exigitur in compensationem sortis, seu rei aut pecuniae mutuo datae, tumque duplex compensatio exigitur pro una eademque re; siquidem sors ipsa seu pecunia jam ad aequalitatem compensatur per aequalem summam: vel exigitur pro usu rei vel pecuniae mutuo datae, tumque pretium exigitur pro re, quae nulla est, nulliusque pretii. Siquidem in his rebus, quae usu

praesente suo et proprio absumuntur, valor et pretium usus sejungi nullo pacto potest ex ipsius rei valore et pretio, ut superius explicatum est. Ergo etc.

Alterum etiam patet ex eo quod tota utilitas, quam quis capit ex usu rei mutuo acceptae, eam ex re sua et industria percipit; siquidem per mutuum res a dante alienatur, ejusque dominium transferetur in accipientem. Atqui velle lucrum exigere pro utilitate, quam alter percipit ex re sua, et industria, justitiae commutatrici adversatur. Ergo etc.

Prob. 2. Usuram rem exitialem et nefariam esse ex malis, quae inde proveniunt, quae copiose, graviter et erudite commemorat summus jurisconsultus Honoratus Leonardus senator Nyciensis de usuris quaest. 2. Nam, pulchre ait, triplex hominum genus potissimum avaritiae et insidiis foeneratorum obnoxium est. Hi sunt nobiles, mercatores, et agricolae, quos ut reipublicae utiles et necessarios esse certissimum est, ita intelligi potest, qui istius generis hominum evertunt civitatibus, pessime de republica mereri. Agricolas sane urbibus necessarios esse ex eo intelligitur, quod neque civitas sine agris et eorum fructibus crescere potest, neque populum suum tueri. Mercatores quoque utiles et necessarios esse ex eo intelligitur, quod per eos impletur civitas incolis, abundatque iis quae ad vitam sunt necessaria, et cives omnes variis opificiis occupantur, quae mercaturae inserviunt, et quodammodo famulantur. Interest quoque reipublicae nobiles esse viros dignos majoribus suis. Etenim qui vere nobiles sunt pro salute reipublicae excubant, obliti commodorum suorum, et vitam periculis exponunt pro principe. Sed quia rusticorum patrimonia vis grandinis et sterilitas annorum saepissime evertunt: mercatorum vero res infidae navigationes, latronum insidiae, inopina bella, institorum doctorumque perfidia, casusque alii saepe prosternunt, illos nenessitas saepe adigit pecuniam sumere foenore, et mercatores praesertim indociles, ut Horatius dicit, pauperiem pati. Quamobrem usurarum mole ac peste oppressi coguntur hi foro cedere, illi agros deserere. Nobiles etiam cum luxui et ludo indulgere soleant, et nihil pensi et moderati habere, et sua profundere, proclives sunt ad aes alienum contrahendum, ad dissolvendum difficiles. Ex quo fiat ut eorum patrimonia conspiratione creditorum in varias personas saepissime di-

strahantur, et concidant. Ita Leotardus e quo pauca haec decerpimus.

Accedunt aliae rationes magni momenti. 1. Lucrum foeneratitium civium otium ac desidiam fovet, industriam, curam extinguit, artesque reipublicae magnopere utiles minuit. Enimvero cum ex foenore lucrum tutum et quietum sine ullo labore, industria, impensa, intermissione percipiatur, malunt homines cum otio ex tali lucro vivere, quo fit ut agriculturam, mercaturam, aliasque artes negligant; quae artes cum magno reipublicae bono incrementum acciperent, si qui foenerantur mercatoribus in mercaturae partem per negotiationem aut societatem venirent, quo eorum industria plurimum acueretur, aliquidque ipsi suae operae in Reip. bonum conferrent. 2. Cum foeneratorum lucrum certum sit, debitorum autem incertum, qui scilicet ex accepta pecunia modo lucrantur, modo damna fuerunt, necesse est tandem tractu temporis divitias civitatis in foeneratorum manus venire; quod et ratio et experientia docet; nam qui foenerando semper lucratur, necesse est eorum opes tandem exhauriat, qui foenus pendendo vicissim modo in lucro sunt, mox in damno. Ex quo inaequalitas civitati noxia portenditur. 3. Qui mutuum accipiunt foenusque pendunt, ii vel indigentes sunt, eosque foenus quamtumvis moderatum opprimit, qui pecuniam sane mutuam sine foenore sperare possent, qua sese reficerent, nisi qui pecuniam habent ex foenore lucrandi occasionem facile nanciscerentur. Vel sunt aleatores et prodigi, iique oblata occasione pecuniae ad foenus accipiendae, et ingenio suo facilius indulgent, et facilius etiam patrimonia sua evertunt. Vel denique sunt negotiatores, iique si calamitas aliqua obvenerit, foenore persolvendo ad summas incitas rediguntur; si autem lucrum faciunt, cum ex eo lucro partem debeant foeneratoribus, mercium pretium augent, quod sane magnum incommodum reliquae civium multitudini affert. Sed haec minus ad nostrum institutum pertinent.

Prob. 3. Praestantissimorum inter gentiles ipsos philosophorum auctoritate, qui sane ad foenus improbandum non alia ratione quam naturali aequitate conspirare potuerunt. Plato lib. 5. De Legibus: *Nemini mutuum dare ad foenus liceto, ei qui secus faxit, neque foennus, neque sors redditor.* Aristotel. 1. Polit. c. 10. *Optima ratione omnibus odio est ra-*

tio foeneratrix, quod ex ipso nummo quaestus fiat, et non ad quod institutus est nummus usurpetur: permutationis enim gratia inventus ac institutus est: foenus autem ipsum auget ac multiplicat. M. Cato de re rustica: *Majores nostri sic habuerunt, et ita in legibus posuerunt, furem dupli condemnari, foeneratorem quadrupli oportere: quanto pejorem civem existimarint foeneratorem, quam furem, hinc licet existimare.* Cicero lib. 2. de off. cap. 25. ubi ejusdem Catonis dictum refert, qui rogatus quid foenerari expediret, respondit, quid hominem occidere? Seneca lib. 7. de benef. cap. 10. *Quid foenus et calendarium et usura, nisi humanae cupiditatis extra naturam quaesita nomina?* Adjungendus Tacitus lib. 5. Annal. *Vetus urbi foenebre malum.* Aelianus lib. 4. variar. histor. cap 3. Indos laudat, quod neque pecunias locent ad usuram, neque foenus exigant.

Obj. 1. Contractus qui cedit in utriusque contrahentis utilitatem nec justitiam nec charitatem violare censendus est. Non justitiam quippe neutri damnum affert, utrique lucrum. Non charitatem; nam qui foeneratur vellet eadem conditione iisdem in circumstantiis mutuum sibi dari. Atqui tale est mutuum, quo quis alteri pecuniam mutuatur ad negotiandum, cum pacto moderati lucri exigendi.

R. Dist. maj. Si mutua ea utilitas vi contractus et ex contractu ipso habeatur c. Si utilitas unius proveniat ex aliquo accidentario, et ipsi contractui prorsus extrinseco, dum vi contractus damnum habet n. maj. Porro qui foeneratur lucrum capit ex mutuo vi mutui; qui autem mutuum accipit, non per ipsum mutuum lucratur; sed ex negotiatione, quam est deinceps instituturus. Unde damnum habet ex ipso mutuo, vi cujus foenus persolvere cogitur; lucrum autem ei obvenit ex aliquo accidentario, ipsi mutuo extrinseco. Et sane injustus omnium consensu foret mercator, qui pluris vendere vellet frumentum, quia alter vult emere ad quaestuosam negotiationem. Etenim sive quis emat frumentum ad alendam familiam, sive ad serendos agros, sive ad debitum solvendum, sive ad negotiandum, finis hic ementis prorsus est extrinsecus contractui emptionis et venditionis; nec proinde quidquam facit ad valorem augendum vel minuendum. Ita etiam in mutuo: hinc lucrum ex mutuo prorsus injustum, atque adeo contra charitatem. Et sane qui libenter foenore mutuum accipit, ut vel necessitati suae consulat, vel quaestum amplifi-

ret, libenter quidem pecuniam accipit, non libenter foenus pendit; etenim si gratis mutuum sibi daretur, libentius acciperet. Voluntarie igitur accipit, sed eo voluntario, quod mixtum appellatur.

Obj. 2. Non teneor mutuam alteri pecuniam dare, beneficio meo eam accipit, et ex ea quaestum facit, in id quaestus pecunia mea efficaciter influit. Ergo juste possum quid accipere.

R. Eadem usurpari posse ab eo qui frumentum vendidit emptori ad quaestuosam negotiationem, velletque propter eum quaestum plus exigere ab emptore, quam fert justus valor frumenti, posset enim dicere: non tenebar vendere, beneficio meo frumentum accepit, quod ei magnas opes negotiatione attulit; ei quaestui meo frumento caussam efficacem praebui: ergo juste possum ex illo quaestu lucrum percipere: idem ergo responsum, quod attinet ad mutuum. Exceptis quibusdam casibus, de quibus non est hic quaestio, non teneris mutuari, nec etiam vendere tuum frumentum; tamen si vis mutuari, aut vendere, juste mutuari, juste vendere debes. Sicut etiam mandatum suscipere voluntatis est, diligenter administrare rem mandatam, necessitatis; ex beneficio non licet lucrum captare, nisi adsit alter titulus, quia beneficium ut beneficium si pretio aestimatur, nullum est beneficium. Sive in mutuo porro, sive in venditione pecunia tua vel frumentum caussam dat alterius quaestui, sed dum desinit esse tua, et ejus fit sive per mutuum sive per emptionem, nil ergo ex ea percipere potest.

Obj. 3. Potest alter pro mutuo juste aliquid rependere. Sed potest juste exigi, quod juste potest rependi. Ergo quod alter sine pacto juste rependeret, per pactum juste potest exigi.

R. Dist. maj. Potest alter pro mutuo juste aliquid rependere, idest honeste, et ex liberalitate c. Juste, id est ex justitia n. maj. dist. min. Sed potest juste exigi quod potest juste rependi; ex justitia concedo: juste hoc est honeste et ex pura liberalitate n. mi. et conseq.

Obj. 4. In rebus quae usu consumuntur potest dominium sejungi ab usu. Ergo iniquum non est praeter summam qua sors compensatur, aliquid pro usu ejus accipere.

R. 1. In rebus quae usu consumuntur ex communi sententia posse quidem sejungi dominium ab usu, quem facti

vocant, non autem ab usu juris. Patet autem per mutuum tradi usum juris, adeo ut mutuatarius invito mutuante possit de re mutuata ut libet disponere. Traditur ergo simul cum usu ipsum rei dominium. 2. Etsi talibus in rebus usus facti separetur a dominio, non sequitur, ut pro usu facti quidquam percipi queat: nam talis usus quo res ipsa consumitur nullum habet valorem distinctum ab ipsius rei valore, ut satis ex superius dictis intelligi potest.

Obj. 5. In pecunia ipsa usumfructum constitui posse, ut patet ex tit. toto ff. de usufructu earum rerum quae usu consumuntur. Porro iste ususfructus aestimationem habet diversam ab aestimatione sortis, haec enim spectat ad dominium, ususfructus vero ad usufructuarium. Igitur aequitati non repugnat fructum capere ex re alteri mutuo data.

R. Notum esse in rebus quae usu consumuntur usumfructum proprie constitui non posse, sed quasi usumfructum, nam ut habetur l. 2. ibid. *Senatusconsulto non id effectum, ut pecuniae ususfructus proprie esset; nec enim naturalis ratio auctoritate senatus commutari potuit sed remedio introducto coepit quasi ususfructus haberi.* Hoc porro quasi usufructu lib. 7. ibid. proprietas rerum consumptibilium ad legatarium transferri debet, qui rem non in individuo sed in valore reddit. Ex quo patet non solum discrimen ab usufructu proprie dicto, in quo non valor sed res in individuo restituitur, sed etiam in illis rebus quae usu consumuntur proprietatem ab ipso quasi usufructu non sejungi, nec discussam aestimationem habere; siquidem transit proprietas cum ipso quasi usufructu, et onus dumtaxat manet aequalem valorem reddendi.

Obj. 6. Foenerator vere acquirit dominium foenoris accepti. Ergo juste illud retinere potest.

R. Probabilissimam nobis videri sententiam negantem foeneratorem acquirere dominium usurarum; estque principiis pridem a nobis constitutis admodum consentanea. Siquidem jus ex injuria acquiri nequit injuriam inferenti. Ab hac tamen controversia hoc loco abstinendum ducimus, quae nihil ad praesens institutum pertinet. Nam qui oppositam opinionem tuentur, inter quos clarissimus cardinalis de Lugo disput. 25. sect. XI ultro fatentur id dominium perquam esse debile, atque adjunctam semper habere obligationem restituendi foenoris accepti. Putant autem voluntatem mutuatarii foenus tradentis, sufficientem caussam praebere transferendi

dominii; simul vero dominium consistere posse cum obligatione restituendi ostendunt vel ex ipsa admixtione, qua pecunia usuraria nostrae admixta in nostrum dominium transit, cum onere tamen ejus restituendae. Ex quo patet probabilissime falsum antecedens, certo falsam consequentiam argumenti esse. Hinc quaecunque objici possent ad evincendum foeneratorem acquirere lucri foeneratitii dominium, nihil evincere possunt sive admittantur sive refellantur, adversus propositionem qua juri naturali repugnare usuram constituimus.

Obj. 3. Licet a foeneratore pecuniam accipere ad usuram. Ergo licet foeneratori dare; secus qui petit induceret eum ad peccandum, nec adeo licite posset mutuum petere ad usuram.

R. Cum D. Th. 2. 2. q. 78. art. 4. Nullo modo licere inducere aliquem ad mutuandum sub usuris; licere tamen ab eo qui hoc paratus est facere et usuras exercet, mutuum accipere sub usuris propter aliquod bonum, quod est subventio suae necessitatis vel alterius. Ille proinde qui necessitate obstrictus petit ab usurario pecuniam, non consentit peccato alterius; non enim quaerit usuram, sed quaerit mutuum; ideo vero consentit solvere foenus, quia alter sine foenore mutuum dare non vult, non proinde usurario praebet occasionem foenerandi, sed mutuandi, foenerator autem ipse ex opportunitate mutui, et propria cupiditate sumit occasionem foenerandi. Neque alter tenetur necessitati suae deesse, ne foenerator accipiat occasionem peccandi; quia ordo charitatis non praecipit abstinendum ab actionibus alioquin justis et necessariis, e quibus alter pro sua malitia scandali passivi materiam quaerit. Si autem nulla esset vel levis necessitas profecto charitatis ordo postulat, ne in hac re damnum spiritale proximi negligamus, vetatque adeo mutuum petere, ne alter sua culpa in usurae crimen ultro labatur.

CAPUT VI.

De Usura ut romano jure permissa.

Romano jure antiquissimo usuras nec permissas nec toleratas fuisse discimus ex Marco Catone in proemio de re rustica; paulatim tamen cupiditas cum otio et luxu foenus in

rempublicam importavit, quod malum teterrimam perturbationum caussam fuisse testatur Tacitus in Annal. Ne autem foeneratoribus infinita esset privatos ac remp. vexandi licentia narrat idem legib. XII. Tabularum cautum esse, ne quis unciario foenore amplius exerceret, l. 6. c. 16. Unciarium foenus superius explicavimus eo recidere, ut in singulos annos unum pro centum persolvatur. Dein eodem teste foenus ad semiunciam redactum, an. v. c. 406. T. Manlio, C. Plautio consulib. Postremo vetitam penitus usuram ait Tacitus, nempe lege quam Genucius tribunus plebis ad plebem tulit an. 411. Sed avaritia multis artibus legem elusit. Nam cum socii latini non tenerentur lege Genucia, factum est, ut in eos nomina transcriberentur, et debitores libero foenore ita obruerentur, Liv. l. 30. c. 7. Hanc fraudem lex Sempronia sustulit, qua factum ut etiam socii Genucia lege tenerentur; non tamen suas artes avaritiae detrahere potuit; nam postea inductum est, ut quod foenus esset, mutato nomine foenus non videretur, aut debitores legis beneficio renunciarent. Hinc pullulantes iterum usuras cum evellere prorsus praetores non possent, coercere sategerunt, centesimas tolerando, majores improbando. Mutata vero Republica nunquam imperatores usuras intra certos limites coercere destiterunt. Eo quoque spectabat modici foenoris permissio, ut creditorum indemnitati consuleretur, qui damnum saepe patiuntur propter moram et frustrationem debitorum, ut ex jureconsulto l. 7. ff. de usuris §. 3. *Usurae non propter lucrum petentium, sed propter moram solventium infliguntur.* Denique christiani imperatores aliquando tentaverunt foenus e finibus imperii prorsus ejicere, ut Basilius Macedo, quem Leo imperator libenter imitatus fuisset, nisi necessitate publica permotus parentis sui constitutionem abrogare; moderatasque usuras permittere coactus fuisset, ut colligitur ex Novella 83. ejusdem Leonis, qua fatetur usuram juri divino contrariam esse, asseritque ideo a patre suo proscriptam fuisse, quod divina sit lege prohibita.

PROPOSITIO.

Ex juris civilis permissione non efficitur usuras quamtumvis moderatas esse licitas.

Prob. 1. Argumento ad hominem contra ipsos adversarios. Etenim civilia jura usuras permittunt non solum a divitibus et mercatoribus exactas, mutuum scilicet ad incrementum opum petentibus; verum etiam ab indigentibus, qui ex mutuo subsidium suae necessitati quaerunt. Atqui tamen fatentur adversarii lucrum ejusmodi e pauperibus exactum usurae labe contaminari. Ergo vel his ipsis fatendum est non continuo licitum fieri, quod jure civili conceditur.

Secundo praetermissa eorum opinione, qui ea lege tamquam injustus traducunt, alia suppetit expeditissima ratio explicandi, quemadmodum ex justa permissione juris non tamen justa fiat usura. Etenim leges aliae permittunt tantum ac tolerant, non approbant; aliae permittunt simul et probant. Unde S. Th. 1. 2. q. 96. art. 2. ad 3. confirmat sententiam Aug. l. 1. de lib. arbitr. *Lex ista, quae regendis civitatibus fertur, multa concedit, atque impunita relinquit, quae per divinam providentiam vindicantur: neque enim, quia non omnia facit, ideo quae facit improbanda sunt. Unde lex humana non omnia potest prohibere, quae prohibet lex naturae.* Quam sententiam S. Doctor ad permissionem usurarum accommodat 2. 2. q. 78. art. 1. ad 3. *Usuras lex humana concessit, non quasi existimans eas esse secundum justitiam, sed ne impedirentur utilitates multorum.* Et Gersonius tom. 3. p. 2. prop. 17. *Lex civilis tolerans aliquas usuras, non ideo semper dicenda est contraria legi divinae vel ecclesiasticae . . . . legislator civilis . . . agit more prudentis medici, tolerat minora mala, ut pejora vitentur. Datum est exemplum de meretricibus, et in antiqua lege de libello repudii, et de usuris dandis alieno.*

Etenim licet multo esset utilius reip. homines ita comparatos esse, ut qui divitiis abundant, eas aut liberaliter mutuari vellent indigentibus, aut ad lucrum cum labore et industria agriculturam, negotiationem, societatem, quam cum otio per foenus comparandum eas impendere; tamen quia sic multi affecti sunt, ut non tolerato foenore inutile pondus au-

ri, et argenti accumularent potius, et servarent, quam quidquam sinerent in publicum commercium venire; ideo majoris hujus mali vitandi causa expedit quandoque reip. usuras moderatas tolerare; ut earum illicio divites avari loculos suos aperiant, et nummos in publicum effundant.

Tertio tandem illud optimo jure defendi potest leges humanas usuras compensatorias approbare, non lucratorias. Nempe jura supponunt creditori ex solutionis mora lucrum impediri vel damnum importari; utrumque porro juste compensandum leges decernunt. Ne vero lites multiplicentur, ejus, aut damni dati, aut intercepti lucri probationem jura non requirunt, sed creditorum probitati atque conscientiae committunt. Id vero colligitur cum ex l. 7. ff. de usuris superius relata, tum ex eo quod id, quod interest, seu interesse, ut dicitur, si non est stipulatum, non adjudicatur creditori, nisi a die requisitionis: quippe supponunt leges ab ea dumtaxat die lucrum creditoris impediri, vel eidem damnum importari. Ergo hae leges revera praesumptione nituntur. Porro lex quae facti praesumptione nititur, facto revera non interveniente in conscientia jus minime tribuit. Unde si revera nihil est compensandum, creditor nihilpoterit praeter sortem exigere.

At, inquiunt nonnulli, nil vetat, quominus intelligamus rempublicam vi alti dominii publicae utilitatis caussa ex mutuatario in mutuantem foenoris permissi dominium transferre, quo posito juste poterit illud mutuans retinere: non secus atque vi alti dominii rei praescriptae dominium respublica ex uno in alium transfert; potestque adeo praescribens rem legitime praescriptam juste retinere ut suam. Hoc pacto intelligitur foenus honestari posse, omnique iniquitatis labe purgari.

Huic argumento, in quo vim maximam faciunt, qui ex adversariis politici juris consultissimi haberi volunt, breviter ac perspicue respondere conabimur. Posteaquam jure gentium inducta est possessionum divisio, privatorum dominia omnia, modique omnes cum acquirendi tum transferendi dominii summorum imperantium legibus subjecti atque obnoxii manserunt; nam ut juribus humanis, quae sunt jura imperatorum, possidet quisque quod possidet, ut ait Augustinus in canone, sic modi seu tituli transferendi dominii ex iisdem legibus vim accipiunt. Hinc patet duo intervenire in trasferendo dominio, nempe titulum peculiarem, qui est veluti caussa proxima, et determinatrix translationis, et reip. auctoritas, quae se habet

velut caussa generalis, vim tribuens titulo. Sic in testamento voluntas testantis praescriptis formulis manifestata caussa proxima est translationis dominii in haeredem, vel legatarios; atque adeo haeres fit dominus titulo testamenti tanquam caussa proxima, et determinatrice translationis dominii. Sed testamentum, ut valeat transferre dominium, vim accipit ex auctoritate reipublicae, respublica autem iis titulis vim tribuit, qui sunt cum aequitate naturali, et utilitate publica conjuncti. Probe igitur considerandum publicam utilitatem non esse titulum determinativum, seu caussam proximam translationis dominii, sed esse caussam finalem universalem moventem rempublicam, ut peculiari alicui titulo vim conferat transferendi dominii. Porro utilitas publica dupliciter considerari potest. Nam quaedam sunt absolute, vi sua, et per se conducibilia ad optimum statum reipublicae, eaque nunquam sunt ab aequitate naturali sejuncta, quaedam vero utilia dicuntur, quatenus majus malum dumtaxat removent, eaque in se mala esse possunt, sejunctaque a naturali aequitate. Jam vero quoties titulus prae se fert utilitatem primi generis, non est dubium, quin per talem titulum adjuncta reipublicae auctoritate dominium juste transferatur. Sic in praescriptione pertinet sane per se ad utilitatem publicam, ne dominia diu incerta maneant, atque ut titulus justae possessionis concilietur cum jure justi dominii. Est etiam ex aequitate naturali, ut qui longiore in mora fuit, ac negligentia rei suae perquirendae, ac vindicandae, quique merito praesumitur ejus rei possidendae animum et cogitationem abjecisse, praesumatur etiam illam aliis occupandam dimisisse; estque proinde ex aequitate naturali, ut ei acquiratur, qui diuturnam ejus possessionem habet cum bona fide conjunctam. Proinde voluntas reipublicae, dum usucapioni vim tribuit transferendi dominii, auctoritatem suam ei titulo adjungit, in quo et aequitatis naturalis et publicae utilitatis conjunctio cernitur. At vero longe res differt in foenore. Nam 1. foenus per se repugnat justitiae. 2. Foenus non aliter dici potest utile reipublicae, nisi quatenus utile dicitur minus malum, quo majus malum praesens removetur. 3. Ut pateat quanto intervallo titulus foenoris distet a titulo praescriptionis, vi praescriptionis dominium adjudicatur ab eo, qui aut praesumitur rem suam abjecisse, aut in mora culpabili esse negligentiae; illi autem adjudicatur, cui diuturna justa possessio cum bona fide conjuncta favet, adsistit-

que. Contra in foenore accideret, in quo dominium adjudicaretur ab eo, qui nulla est in culpa; siquidem mutui petitio per se culpa vacat, ei autem adjudicaretur, qui non alia re quam foenoris iniquitate niteretur. Nihil ergo faciunt, qui publicam utilitatem proferunt quasi caussam, qua juste acquiratur dominium foenoris. Quippe confundere videntur caussam generalem cum caussa proxima, nec intelligunt utilitatem reipublicae per se nusquam transferre dominium, nisi accedat peculiaris titulus, tanquam caussa proxima, et immediata translationis, cui ex utilitate publica voluntas reipublicae vim conferat. Si ergo titulus ille est aptus ad dominium juste transferendum, idest si per se non repugnet naturali aequitati, accedente per eum auctoritate reipublicae dominium juste transfertur. Si autem titulus ille non est caussa apta ad juste transferendum dominium, nunquam vi ejus dominium juste transferetur. Notum est enim sive in naturalibus, sive in moralibus caussam universalem nunquam effectum producere, si caussa proxima inepta est prorsus ad effecti ejus productionem. Cum itaque foenus per se repugnet naturali aequitati, nunquam potest esse caussa justae translationis dominii. Et tamen ubi agitur de foenoris dominio acquirendo etsi advocetur ab adversariis auctoritas reipublicae, tamen haec auctoritas intercedere semper supponenda est, ut mutuator dominium acquirat ejus, quod a mutuatario vi mutui plus quam sortem accepit. Cum autem hic titulus utpote adversus aequitati nunquam possit esse caussa proxima apta dominii juste transferendi, sequitur ut respublica per hunc titulum nusquam intendat juste transferre dominium; secus hic titulus justus simul et injustus foret. Atque id eo maxime valet, quod ad procurandam utilitatem illam secundi generis, quae ex foenore capi potest, respublica juste tribuere possit actionem foeneratori in foro externo, debitori autem exceptionem negare. Quod cum respublica fecit, non ex eo putanda est velle ut dominium vel juste transferatur, vel quoquomodo transferatur, ut patet in venditione iniqua, qua excessus acceptus non superet dimidium justi pretii.

Cum ergo etiam ubi agitur de foenoris dominio acquirendo praeter ipsam auctoritatem reipublicae ut utilitatem publicam, quam adversarii proferunt, oporteat, ut adsit peculiaris titulus, patet hunc titulum non alium esse, quam pactum de lucro percipiendo ex mutuo, cui pacto adversarii

supponere debent rempublicam ex publica utilitate vim conferre dominii juste transferendi. Sed cum hic titulus per se repugnet aequitati naturali, nec adeo possit esse caussa proxima apta ad juste transferendum dominium, in manifestam repugnantiam incidunt adversarii, cum supponunt rempublicam velle, ut per eum titulum dominium juste transferatur; quippe ex eo sequeretur, ut ille titulus simul justus et injustus foret.

CAPUT VII.

De titulis mutuo interdum accedentibus, justique lucri exigendi caussam praebentibus.

Usuram in eo esse, si quis aut speret aut exigat lucrum ex mutuo vi mutui, antea est omni argumentorum genere demonstratum. Sunt autem tituli aliqui ad mutuum quandoque accedentes, ipsique mutuo extrinseci, qui justam praebere caussam possunt lucri exigendi. Sunt etiam alii tituli ementiti, qui aliquid mutuo extrinsecum prae se ferre videntur; tamen penitius inspecti cum mutuo cohaerent, ipsamque adeo usuram tegunt potius et palleatam continent, quam revera excludant.

Communi theologorum sententia tres tituli recensentur legitimi lucri exigendi, damnum emergens, lucrum cessans, poena conventionalis. Damnum emergens est, quo res nostrae minuuntur, aut jus nostrum deterius fit: nam, ut ait Arist. lib. 5. Ethic. c 4., *Minus habere quam a principio damnum est*; *plus vero habere lucrum.* Damnum porro aliquando emergit ex mutuo dato, velut si alteri mutuo dedisti pecuniam domui tuae reficiendae destinatam, ex qua proinde non potes consuetum locationis pretium habere.

Lucrum cessans est, quod mutuator facturus fuisset, nisi mutuo dedisset; veluti si pecuniam mutuo dedisti, quam emendo agro destinaras, e quo uberes fructus collegisses.

Poena conventionalis est, quae mutuantis et mutuatarii conventione statuitur, quam solvere debitorem oportet, nisi praestituto tempore sortem reddiderit ob moram, et negligentiam restituendi. Haec poena quatenus mutuo contrahentium consensu suscipitur (nisi obsent jura locorum) differt

a poena legali vel judiciali, quae publica auctoritate infligitur.

PROPOSITIO I.

Damnum emergens titulus est legitimus, vi cujus honestum lucrum omnisque usurae expers percipi potest.

Pr. Ratione et auctoritate D. Th. 2. 2. q. 78. art. 2. ad 1. *Ille qui mutuum dat, potest absque peccato in pactum deducere cum eo qui mutuum accipit, recompensationem damni, per quod subtrahitur sibi aliquid, quod debet habere, hoc enim non est vendere usum pecuniae sed damnum vitare.* Et sane, qui nil exigit ex mutuo, nisi compensationem damni, jure suo utitur, nec lucrum ex mutuo vi mutui percipit. Ergo nec aliquid injustum committit, estque procul ab usurae labe.

Hinc facile intelligitur ad justam damni emergentis aestimationem aliquas conditiones requiri, quas breviter indicabimus. 1. Ut damnum sit verum, non dubium et incertum. Nam revera si nullum damnum accidit, nil compensandum occurrit. 2. Ut damnum ex mutuo tanquam caussa proficiscatur. Nam si mutuum non est vera caussa damni, iniquum profecto est, ut qui mutuum accipit, damnum compensare debeat ex alia caussa illatum. 3. Ne creditor quidquam exigat ultra compensationem; imo si lege aut legitima consuetudine sancita est compensatio facienda, ea contentum esse oportebit, licet minus habeat, quam ratio damni postulat. Nam licet jure naturali solum spectato compensationem exigere posset aequalem damno, si tamen ex publica caussa lex humana aliter decreverit, non obstante paucorum detrimento, ei parendum est ab omnibus. 4. Ut compensatio ex damno facienda mutuatario proponatur, et in pactum conferatur, neque enim resarciendi damni onus hic suscipere censetur, nisi moneatur: quippe monitus aut illud onus sponte suscipiet, aut alia via sibi prospiciet. Ex quo sequitur damni compensationem exigi non posse, nisi pactum de damno ex mutuo emergente resarciendo intervenerit.

PROPOSITIO II.

Ob lucrum cessans licite aliquid etiam exigi potest praeter sortem mutuo datam.

Pr. 1. Cap. *Naviganti* 19. de usuris, quo ab usura excusatur qui merces vendit, ut amplius, quam tunc valeant, in certo termino pro eisdem recipiat, si eas merces non erat contractus tempore venditurus; idque ob dubium, num solutionis tempore plus minusve fuerint valiturae. Itaque venditor propter spem probabilem lucri majoris faciendi differendo venditionem mercium usque ad illud tempus, si eas ante vendit, quam erat revera venditurus, potest aliquid plus accipere, quam valeant tempore venditionis. Ergo propter lucrum probabile cessans, quod lucrum probabiliter facturus fuisset, si venditionem distulisset, ut revera erat dilaturus.

Pr. 2. Ex doctrina D. Th. 2. 2. q. 62. art. 4. *Aliquis damnificatur dupliciter: uno modo quia auferur ei id, quod actu habebat, et tale damnam est semper restituendum secundum recompensationem aequalis ...... alio modo si damnificet aliquem impediendo, ne adipiscatur, quod erat in via habendi; tale damnum non oportet recompensare ex aequo, quia minus est habere aliquid in virtute, quam habere actu.... tenetur tamen aliquam recompensationem facere, secundum conditionem personarum et negotiorum.* Ergo ex D. Th. juste compensatio aliqua exigi potest propter interceptam spem lucri probabiliter futuri, idest ob lucrum cessans.

Hinc nihil efficiunt, qui damni emergentis titulum a D. Th. probatum, lucri vero cessantis rejectum putant, ex eo quod post illa, quae superiori propositione retulimus, S. Doctor haec subjiciat 2. 2. q. 78. art. 2. ad 1. *Recompensationem vero damni quod consideratur in hoc, quod pecunia non lucratur, non potest in pactum deducere; quia non debet vendere id, quod nondum habet, et potest impediri multipliciter ab habendo.* Etenim S. Doctor his verbis tantum contendit aut exigi non posse compensationem futuri lucri nec veri nec verisimilis, aut ejus lucri, quod sit verisimile compensationem non ad aequalitatem rei metiendam esse; non vero negat spei lucri verisimilis aestimationem fieri posse; quod vel

ex ipsa ratione quam affert colligi potest: *Quia non debet vendere id quod nondum habet.* Porro quod creditor nondum habet, est ipsum lucrum; non potest ergo compensationem exigere ad lucri sperati aequalitatem, sed spem et probabilitatem futuri lucri jam habet. Haec porro est pretio aestimabilis; secus ille qui dolo suo lucrum alterius intercipit, nihil ratione lucri ejus intercepti restituere teneretur; quod tamen S. Thomae apertissime repugnat.

Tertio hanc lucri futuri probabilem spem pretio aliquo aestimabilem esse, atque adeo lucri cessantis titulum legitimum esse, cum ipso communi hominum sensu intelligitur, tum efficitur ex eo, quod spes probabilis capturae piscium ex. gr. juste vendi potest ex l. *Si jactum* 12. ff. de actionibus empti, et confirmatur ex eo quod dejectio e tali spe damni rationem sortiatur, ut ex l. 2. §. 11. ff. ne quid in publico loco fiat: *Damnum pati videtur, qui commodum amittit.*

Ex his porro intelligitur lucrum cessans praeter conditiones, quae superius de damno emergente propositae sunt, requirere 1. Ut qui mutuo dat praesentem moraliter habeat opportunitatem, simulque sinceram voluntatem pecuniae in aliquem licitum quaestum conferendae, velut ad emendum praedium, vel domum, vel ad ineundam societatem etc. secus lucri faciendi certa aut probabilis spes determinata adhuc nulla occurret. 2. Requiritur, ut ratione mutui ab ea spe depellatur; atque adeo si aliam pecuniam in arca conclusam teneret praeter eam, quam prudens pater familias suis necessitatibus asservare praesumitur, possetque adeo ex illa pecunia redundante destinatum praedium emere etc., mutuum non erit proprie caussa lucri cessantis, nec adeo ullus aderit legitimus titulus. 3. Ut non mutuetur animo lucri ex mutuo percipiendi, sponte desistendo a pecunia in negotiationem conferenda, et libentius in mutuum dando, spe et animo lucri ex mutuo captandi. Secus tunc nec proprie mutuum, sed prava cupiditas caussa erit lucri cessantis. Oportet ergo ut in favorem mutuo petentis non ex animo lucri captandi ex mutuo, indicatur ad pecuniam mutuo dandam, quam sincere in alium quaestum destinarat.

PROPOSITIO III.

Poena conventionalis titulus est per se non repugnans aequitati naturali: plerumque tamen merito suspecta videri debet.

Pr. Non enim repugnat aequitati naturali, ut contrahens obliget se ad aliquid solvendum, si sua culpa non praestat conditionem, quam erga alterum contrahentem praestare debet ex conventione. Si ergo quis pecuniam mutuetur praestituto tempore reddendam, idque sincero animo pecuniae eo tempore recipiendae, potuit obligari mutuatarius ex conventione ad aliquid solvendum, nisi pecuniam reddat, idque adeo, nisi jus positivum resistat, fieri potest sola spectata naturali aequitate.

Merito tamen haec plerumque suspecta videri debet; quia plerumque accidit, ut in fraudem tegendae usurae caussa apponatur, si scilicet mutuator non ad plectendam negligentiam mutuatarii, sed lucri percipiendi animo ex mutuo ficte ad poenam aliquid solvendum proponit, nisi mutuatarius praestituto tempore restituat pecuniam, quam mavult sibi non restitui, ut ex ea lucrum captet. Hinc etiam intelligitur poenam moderatam esse oportere, qualem negligentiae solvendi par est respondere; quidquid enim excederet, in fraudem usurariam adjectum videri debet. Quod si nulla sua culpa mutuatarius sortem praestituto tempore reddere non potuit, nec ulli poenae obnoxius esse debet; quae proinde si exigatur, lucrum fiet usurarium, utpote non ex poena, quae nulla debetur, sed ex mutuo vi mutui perceptum.

CAPUT VIII.

Utrum periculum sortis justum titulum praebeat aliquid ultra sortem exigendi.

Periculum sortis in mutuo duplex distinguitur, vel enim creditor sortis periculum pacto quodam adjecto ipsi mutuo suscipit, atque debitorem liberat obligatione reddendae sortis, si fortuito pereat; vel rem suam, dum mutuatur, dubiis incertisque casibus ita exponit, ut semper maneat penes de-

bitorom obligatio ejus restituendae. Primo casu periculum juris suscipere dicitur, ita dictum, quia jus sibi et legem imponit, ne sortem repetat, si casu perit: alterum vero facti periculum vocatur, quia res tota facto non jure nititur, id vero periculum mutuo ipsi cohaeret; siquidem pro humanarum rerum conditione res mutuo data variis fortunae casibus exposita est.

Rursum periculum facti duplex distinguitur, unum ordinarium, quod oritur ex eo simpliciter, quod res in alterius manus veniat; alterum extraordinarium, quod ex peculiaribus quibusdam circumstantiis emergit, velut si mutuatarius ad inopiam ita vergat, ut existimari possit eum deinceps parem non futurum sorti restituendae; si mutuatarius periculosam imprimis navigationem, vel negotiationem suscipiat etc.

Quaeritur autem utrum periculum juris, et saltem extraordinarium periculum facti, ut nonnulli auctores contendunt, justam praebeat caussam aliquid in mutuo praeter sortem exigendi.

PROPOSITIO I.

Periculum juris per se, remota usuraria intentione, justam alicujus lucri exigendi caussam praebere potest.

Pr. Nam periculum juris suscipere idem est atque sortem ipsi debitori assecurare. Sed pro assecuratione licite aliquid exigi potest. Nam periculum, quod assecurator suscipit, ut res aliena suo damno pereat, si casu perierit, est profecto pretio aestimabile. Ergo propter periculum juris per se licite aliquid ultra sortem exigi potest. Et sane si mutuatarius ab alio acciperet assecurationem sortis, quam ei mutuo dedisti, posset ille sane conveniens pretium accipere. Ergo idem pretium poteris ipse participare, si a te mutuante assecurationem petit; non enim in assecurando deterioris te conditionis facit, quod sis mutuatus.

Dictum est autem, *per se, et remota usuraria intentione*, nam si creditor ipse assecurationis pactum eo animo adjicit, ut lucrum ex pecunia mutuata percipiat, quam verisimiliter credit non perituram, patet eum in usurae vitium incidere. Oportet ergo, ut qui mutuatur liberam relinquat mutuatario

facultatem assecurationem accipiendi, vel non accipiendi, aut ab ipso mutuante vel alio quolibet accipiendi; secus assecuratio in fraudem adjuncta erit ad lucrum ex mutuo captandum: et ne quidquam exigat praeter legitimae assecurationis pretium.

Hinc facile explicari potest Cap. *Naviganti* de usuris, quo Gregorius IX ait: *Naviganti, vel eunti ad nundinas certam mutuans pecuniae quantitatem, eo quod suscipit in se periculum, recepturus aliquid ultra sortem usurarius est censendus.* Quo Cap. videtur Gregorius usurarium declarare, qui ob periculum juris aliquid ultra sortem recipit contra superiorem propositionem. 1. Enim cum aliquis dupliciter suscipere periculum dicatur, exponendo incertis casibus pecuniam mutuatam, licet debitore restitutioni obnoxio manente, quod est periculum facti; deinde liberando ipsum debitorem onere restituendi, quod est periculum juris; posset intelligi Decretalis de suscipiente periculum facti, ex quantitate pecuniae mutuatae naviganti, vel ad nundinas eunti. 2. Etiamsi intelligatur de suscipiente periculum juris, commode referri potest ad eum, qui non mutuatur, nisi ex conditione pretii accipiendi pro susceptione periculi; adeo ut obliget mutuatarium ad sortem accipiendam cum pacto pretii solvendi pro assecuratione, quam ipse debitor negligere maluisset. 3. Proinde ait eum usurarium esse censendum, quasi dicat usurarium esse praesumendum; nisi probet periculum a se susceptum fuisse, nulla intentione tegendae usurae, quod merito decernit pontifex; secus mutuantes facile viam ad lucrum captandum ex mutuo sibi aperirent, dum pecunias iis solis mutuarentur, qui eos in assecuratores eligerent. Minime igitur opus est, ut quidam fecerunt contra omnium codicum fidem, Decretali particulam *non* inserere, ut legatur, *usurarius non est censendus.*

PROPOSITIO II.

Periculm facti nullam praebet justam caussam aliquid praeter sortem exigendi.

Pr. Quod ita continens est, et cohaerens mutuo, ut ab eo separari nequeat, nullam praebet justam caussam aliquid praeter sortem recipiendi; secus nunquam non liceret aliquid

ex mutuo ultra sortem recipere. Atque periculum facti tale est. Ex ipsa quippe mutui natura periculum istud enascitur; scilicet ex facultate, quam acquirit mutuatarius de re mutuata quomodocumque disponendi; quo uno ancipiti veluti fortunae committitur. Ergo etc.

Hinc sequitur haud satis firmam esse rationem eorum, qui periculum ordinarium fatentur quidem intrinsecum mutuo, conceduntque pro eo nil exigi posse, pericula vera extraordinaria dicunt esse mutuo extrinseca, horumque proinde caussa lucrum percipi posse. Enim vero si bene res consideretur, apparebit ad naturam mutui non magis pertinere periculum ordinarium, quam extraordinarium. Nam periculum ordinarium pertinet ad naturam mutui, estque ipsi intrinsecum; quia pecunia vi mutui ex propria custodia transfertur in alium, qui potest de illa disponere pro libito; unde fieri potest, ut amissa sorte, impar fiat ad eam reddendam. Jam vero pericula extraordinaria, quibus mutuatarius exponit sortem acceptam, perinde oriuntur ex facultate, quam vi mutui habet de illa quomodocumque abutendi. Ergo periculum tam ordinarium, quam extraordinarium differunt ex circumstantiis, quae nihil pertinent ad mutuum; sed quod attinet ad vim ipsam mutui, tam ei subesse potest extraordinarium, quam ordinarium periculum, atque adeo utrumque est ipsi perinde intrinsecum.

Praeterea si valeret adversariorum ratio, sequeretur ex indigentioribus foenus exigi posse, quod ex divitibus exigi non posset; nam pecunia indigentiori credita exponitur extraordinario periculo, non quae datur diviti. Atqui absurdum est titulum inducere, quo lucrum ex indigentibus captatum ab usura esset immune, dum idem lucrum ex divite perceptum usurarium esset. Ergo etc.

Deinde S. Th. opusc. 73. de Usuris c. 6. indiscriminatim statuit: *Ratio periculi etiam circa sortem, non tollit rationem usurae in mutuo.*

Insuper, ideo periculum facti aestimationem habere censetur, quia est veluti quoddam damnum non quidem adhuc illatum, sed timendum. Atqui haec ratio nulla est; hoc enim damnum prorsus non est diversum ab ipsa jactura sortis. Ergo qui reddit sortem tollit omne damnum circa sortem, ipsique adeo periculo satisfacit. Et sane ille, cui furto ablatus est equus in magno sane periculo versatur amittendi

equi, et tamen si fur equum restituit, hoc ipso pro equo, et pro periculo ammittendi equi satisfacit, nec requiritur, ut pro periculo, in quo alter fuit amittendi equi, quidquam solvatur. Ergo etiam mutuatarius reddendo sortem plane satisfacere est censendus et pro sorte ipsa, et pro periculo, in quo fuit mutuator sortis amittendae. Praeterquamquod juri recipiendae sortis in mutuante ex aequalitate respondet in mutuatario reddendae sortis obbligatio. Ergo praeter illam obligationem nil mutuator exigere potest; quandoquidem ea implenda obligatione juri ejus plane satisfit.

Obj. 1. Illud non est intrinsecum mutuo, quod ab eo separari potest; atqui periculum facti potest a mutuo separari, nimirum per pignora. Ergo etc.

R. Id argumentum aeque adversarios urgere, nam cum per pignus a mutuo separari queat etiam periculum ordinarium, sequeretur periculum facti ordinarium non esse intrinsecum mutuo, atque adeo justam caussam praebere aliquid exigendi praeter sortem; quod tamen ipsi minime admittunt. Deinde ut intelligatur, quid sit mutuo intrinsecum vel extrinsecum, ipsum mutuum simplex secundum se spectandum est, non adjuncta, velut pignora, quae ad ipsam mutui rationem non pertinent. Jam vero mutuo simplici secundum se spectato intrinsece cohaeret periculum facti; licet hoc periculum tolli possit per aliquod adjunctum mutuo, non pertinens ad rationem mutui. Ceterum de mutuo simplicite, et secundum se spectato jure naturali, Divino, et ecclesiastico praeceptum est gratuitum esse oportere. Ergo ratione tituli cum mutuo simplici cohaerentis nil exigi potest; secus inutile fuisset lucrum ex mutuo vetare; siquidem cum mutuo semper aliquid conjunctum esset, vi cujus licite semper ex mutuo aliquid exigeretur.

Obj. Praeterea ob periculum licite in contractu assecurationis aliquid exigi posse. 2. Mercatorem ob periculum in transferendis mercibus juste illas carius vendere. 3. Etiam in fidejussione concedi, ut ob periculum aliquid exigatur. Ergo periculum jacturae faciendae est pretio aestimabile; ergo etiam in mutuo ratione periculi percipi pretium poterit.

R. Ad 1. In assecuratione nihil esse, quo periculi susceptio compensetur, praeterquam lucrum, quod vi assecurationis percipitur, nam si res assecurata casu pereat, assecurantis damno perit. At vero in mutuo periculum amittendae

sortis compensationem justam habet in ipsa obligatione, qua debitor obstringitur, sortis reddendae, licet casu pereat. Unde cum semper ipsi sors reddi debeat, nihil est quod praeterea exigere juste possit.

Ad 2. Etiam mercator in transferendis mercibus solus periculum sustinet; neque enim quisquam obligatur jacturam quam facit resarcire, si casu merces suae pereunt: merito igitur merces cum tali periculo importatae communiter pluris aestimantur; potestque adeo juste mercator pro illa aestimatione suas pluris vendere. At in mutuo debitor semper manet obstrictus erga creditorem, ut superius dictum est.

Ad 3. Quandoquidem fidejussor videtur aliquo modo mutuari principali pecuniam quam pro eo solvit creditor; siquidem ejus reddendae obligatione obstrictus manet principalis erga fidejussorem, qui solverit; multorum est sententia nil posse fidejussionis titulo exigi, nihilominus qui lucrum aliquod fidejussori concedunt, possunt hoc pacto ejus caussam a caussa mutuantis dirimere, nimirum fidejussor obligationum suscipit, qua solvere forte tenebitur, quo tempore pecuniam suam nec mutuo dare vellet, nec in rem frugiferam insumere; quo tempore vellet ex. gr. pecunia uti in splendidos sumptus, in lautiorem cultum, ad pompam, ad convivia, quibus rebus abstinere debebit solvendo pro principali. Ex quo concludi posset fidejussorem aliquid exigere posse pro obligatione, quam suscipit alienandae pecuniae, quo tempore ipsi gravis et molesta ea futura est alienatio; minime vero propter periculum amittendae suae pecuniae, stante obligatione in principali ejus pecuniam ipsi reddendae.

Hinc potiore jure alii nonnulli tituli rejiciendi sunt, quos ad obtegendam usurae pravitatem callida cupiditas excogitavit. 1. Ab omni ratione alienum est lucrum ex mutuo exigere, hoc praetextu, quod pecunia numerata pretiosior sit numeranda. Nam expresse hic titulus damnatus est ab Innocent. XI. Prop. 41. Praeterquamquod secluso damno emergente vel lucro cessante numerata pecunia non potest esse pretiosior numeranda, nisi aut ratione sui, quod manifeste absurdum est, aut ratione periculi; sed periculum nullam praebet caussam aliquid ultra sortem exigendi, ut probatum est. Ergo etc. Deinde id ridiculum videtur esse commentum; nam si mutuator numerando praesentem pecuniam plus aliquid exigere potest a mutuatario, quia praesens pecunia pre-

tiosior est futura sibi reddenda, poterit mutuatarius reddendo, atque adeo numerando pecuniam mutuatori minus solvere quam accepit; quia pecunia praesens, quam restituit, pretiosior est praeterita, quam accepit.

2. Neque obligatio, quam mutuans suscipit non repetendae pecuniae ante certum tempus, legitimus est titulus auctarii exigendi, ut constat ex Propos. 42. damnata ab Alex. VII. Et revera dilatio solutionis usque in id tempus secluso damno emergente vel lucro cessante, neque ratione sui, neque ratione periculi offert quidquam pretio aestimabile, et compensandum.

3. Neque instar legitimi tituli haberi potest labor ordinarius in numeranda pecunia, utpote mutuandi officio natura cohaerens; nec moeror animi, quo quis afficitur ex privatione pecuniae, qui titulus si probus esset, profecto quo quisque est avarior, eo justius et amplius lucrum ex mutuo percipere posset; utpote qui orbaret sese majore laetitia in suo thesauro intuendo, suisque nummis contrectandis.

Hinc etiam intelligi potest, quibus pactis in mutuo adjectis usurae vitium admisceatur, nec ne. 1. Si mutuatarius liberaliter donare aliquid vult mutuatori, gratiae referendae caussa, recte facit mutuatarius donando; nec male facit mutuator accipiendo. At si pacto quovis vel expresso vel tacito aliquid exigit mutuator liberalitatis aut gratiae praetextu, aut si solum spe lucri ex mutuatarii liberalitate proficiscendi ductus mutuetur, usurae se labe contaminat. Est enim usura lucrum aut exactum aut speratum ex mutuo vi mutui.

2. Tametsi mutuator propter officium mutuandi a mutuatario amicitiae affectum requirere et expectare possit; quandoquidem affectus ipse amicitiae res est longe pretiosior, quam ut omni auro aestimari valeat; tamen amicitia praetextu nullam specialem obligationem mutuatario imponere potest ex earum genere, quae muneris ab obsequio vel a manu, vel a lingua nomine donantur. quia quodcumque hujusmodi onus pretio est aestimabile, ut proinde lucrum ex mutuo exigat quisque tale onus mutuatario imponit, itaque usuram facit, qui mutuatur conditione adjecta, ut mutuatarius ipsi remutuetur etc.

3. Nulla tamen est usura, si mutuando exigas a mutuatario, quod aliunde vel ex justitia vel ex charitate debet.

Non enim ei novum onus imponis, sed ad praestandum potius debitum officium juvas.

4. Cum usura sit per se mala nullo vel necessitatis vel pietatis praetextu honestari potest, non ideo proinde excusandae viduae, aliaeque miserabiles personae etc., quae dicunt, non aliunde sibi suppetere, quo vivant, quam pusillum peculium foenerando: sed admonendae, ut alio quovis modo licet parcius, tamen honestum lucrum, et criminis expers quaerant; in eoque ex charitate, quantum fieri potest, adjuvandae.

CAPUT IX.

De contractu trino.

Contractus trini nomine intelligitur contractus societatis adjectis duabus aliis pactionibus, una qua sors periculo eximitur, altera quae certum lucrum minus pro incerto majore definit. Rem docte ac dilucide exponit Benedictus XIV de Synodo dioces. L. X. c. VII. Titius init contractum societatis cum Sempronio mercatore, cui mille aureos tradit, e quibus probabiliter sperat se centum et triginta lucraturum: sed ametuens Titius, ne una cum sperato lucro etiam capitale amittat, alium contractum init cum eodem Sempronio, cui condonet sexaginta aureos sperati lucri, ut qualiscumque sit futurus negotiationis exitus, ipsi caveat de securitate capitalis mille aureorum: rursusque secum reputans Titius, melius sibi fore aliquod moderatum lucrum, sed certum habere, quam pinguius sed incertum expectare, tertium contractum cum eodem Sempronio init, quo eidem remittit alios viginti aureos sperati lucri, ut quinquaginta residuos ei solvat, sive negotiatio bene, sive male succedat. Obstringitur itaque hisce contractibus Sempronius ad reddendum Titio intra certum tempus integram sortem, idest summam mille aureorum salvam, et quinquaginta insuper aureorum incrementum.

Hic porro, pergit pontifex, est trinus ille contractus, quem celebrem fecit exorta inter Dominicum Sotum, et Martinum Navarrum discordia. Putabat nimirum Navarrus tres praedictos contractus simul et cum eadem persona tuta conscientia iniri posse, Manuali c. 17. n. 254. de Justitia lib. 6. q. 6.

a. 2. Sotus ex adverso asserebat trium illorum contractuum conjunctionem degenerare in mutuum foeneratitium, et societatis leges, quae lucri damnique communionem exposcunt, evertere. Sic exposita caussae constitutione pauca notanda videntur. 1. Tres contractus cum diversis personis initos licitos esse: potes enim societatem cum Titio coire; deinde cum Sempronio contractum assecurationis inire, qui sortis periculum in se suscipiat; deinde cui voles spem futuri lucri vendere justo pretio difficultas est proinde de illis contractibus cum una eademque persona initis. 2. Aliud esse tres contractus cum una eademque persona, divisim et ex intervallo inire, adeo ut dum societatem inis, veram societatem inire intendas, necdum cogitatione occupes duas alias pactiones ei adjiciendas: aliud esse triplicem illum contractum inire non solum cum eadem persona, verum etiam simul, unaque triplicis contractus ineundi intentione. Prima enim ratio multo proprius ad usurae dolum accedere videtur, quam altera. Et licet multis argumentis evinci videatur verendum omnino esse, ne tres illi contractus etiam divisim accepti degenerent in mutuum foeneratitium, nos *tamen*, inquit doctissimus ipse Jacobus Gaitte, de usuraria pravitate trium contractuum quaest. 2. cap. 1. *Hac ipsa de re adversariis controversiam facere ac litem movere nolumus, si res sine dolo et fraude, sed sincero ac bono animo fiat.* 3. Notandum ex sapientissimo pontifice Num. IV. Sixti V Constitutione, ad quem controversia illa Sotum inter et Navarrum delata fuerat, caussam nondum finitam esse: quippe posteriores theologi ea constitutione illas tantum societates reprobatas fuisse contendunt, quae in se injustae et usurariae essent, qualis est, qua sortis et lucri periculum in socium rejicitur vi centractus societatis, non autem vi duplicis pactionis adjunctae, ut in contractu trino. 4. Opinioni trinum contractum defendenti nullam hactenus censuram injustam esse. Caussa delata est ad Sixtum V Pont. Max. qui diligenter quaestione discussa duplicis securitatis pactionem societati adjectam usurariam pronunciavit. Et tamen, rursum ait pontifex, nondum caussa finita est. Siquidem plures et non obscuri nominis posteriores theologi trinum contractum ab omni usurae reatu absolvunt, et licite etiam nunc fieri posse defendunt, neque his negotium facessit contraria Constitutio Sixti V. Ajunt enim cardinales Toletum, et sanctae Severinae, quibus concinnandae constitutio-

nis cura fuerat a pontifice commissa, testatos esse patri Stephano Tuccio societatis Jesu, Sixti mentem fuisse, damnare dumtaxat conventiones et pacta, quae in se injusta, illicita, et usuraria forent, non quae omni usura vacare probarentur. At ante legem a Sixto latam, pergunt praefati doctores, injusta et usuraria erat societas, in qua periculum capitalis et lucri rejicitur in alium socium, virtute solius contractus societatis; non autem quae vi duorum, qui societati superadduntur, contractuum, unum socium securum reddit capitalis, et alicujus partis lucri: hic quippe hanc securitatem emit ab altero socio, qui libere et sponte ad eam se obligat, et tanquam praestitae cautionis pretium assequitur illud longe majus lucrum, quod primus ex collata in negotiationem pecunia probabiliter sperare posset. Ita pariter sensisse addunt celebrem romanae rotae auditorem *Joannem Baptistam Coccinum in una romana societatis* 3. Junii 1602 cujus sententiam idem sacrae rotae tribunal constanter tenuit, pluribusque confirmavit decisionibus, quibus ratum habuit contractum trinum. 5. Minus tamen videri hanc opinionem Sixtinae constitutioni congruere. 6. Contractum trinum vel assentientibus ejusdem patronis periculosum esse quoad usum. 7. Sapientissime plerosque episcopos in suis synodis dioecesanis ab eo ineundo populos dehortari. His positis.

PROPOSITIO.

Trinum contractum inire cum una eademque persona, praesertim simul et semel, minime licitum. esse videtur.

Pr. 1. Hac generali ratione. Minime licitum est sequi opinionem simul et minus probabilem et minus tutam, ut tractatu de actibus humanis demonstravimus. Atqui opinionem trinum contractum propugnantem constat esse minus probabilem simul et minus tutam. Nam. 1. ipsis fatentibus probabilistis opinio est minus probabilis, quae minus constitutionibus congruere videtur. Atqui ex Benedicto XIV haec opinio revera minus congruere videtur Sixtinae constitutioni. Ergo jam est minus probabilis. 2. Minus tutam esse patet, ex eo quod periculosam eam quoad usum ipsi ejus patroni fateri cogantur. Igitur etc.

Pr. 2. Quia contractus trinus aperte degenerat in mutuum foeneratitium. Enimvero qui pecuniam conferens in societatem periculum sortis et minoris lucri rejicit in socium, nullam societatem init, verumque mutuum contrahit. Non init societatem, quandoquidem societas vi sua postulat lucri, periculi, ac damni communionem. Verum mutuum facit; quandoquidem tradit pecuniam alienando a se illius dominium, idque in alterum transferendo, cum obligatione sortis reddendae. Quippe pecuniam sic accipit socius, ut quocumque casu ipsius damno pereat; lucrum vero exigere pro pecunia sic tradita mutuum est foeneratitium. Ergo etc. Neque valet quod primo contractu pecunia conferatur in societatem, adeo ut socius videatur teneri eam in negotiationem, et non aliter eam insumere; nam hoc primum pactum per duo sequentia irritum evadit: posteaquam enim socius cavit de periculo sortis, et lucri, nihil interest conferentis pecuniam, in quemcumque usum insumatur ab accipiente, et modo ipsi sors reddatur cum lucro nullum potest alteri impedimentum afferre, quo minus pro libito disponat de pecunia. Ergo accipiens pecuniam dominium ejus acquirit, fitque adeo mutuum, idque foeneratitium.

Pr. 3. Quia contractus trini praetextu omnes de usuris leges eludi facile possunt. Approbatur enim a Navarro hic contrahendi modus, ut ibidem innuit pontifex, ut scilicet petenti mutuum respondere quilibet possit: nolo mutuum dare sed societatem tecum inire hoc pacto, ut me de sorte securum facias, et ob majus lucrum, quod ex negotiatione probabiliter spero eventurum, aliquod minus, sed certum mihi tradendum promittas. Longe porro aliter sensit Gregorius IX cap. *Naviganti*, quo declarat usurarium censendum, qui naviganti vel eunti ad nundinas pecuniam mutuam tradens, pro eo quod suscipit in se periculum, recipit aliquid ultra sortem. Nam sane usurarius est censendus, qui non aliter pecuniam dare vult mercatori, quam subeundo ejus pecuniae periculum, ut saltem hoc praetextu aliquid lucri percipiat; ut praedictum textum expendentes adnotarunt S. Antoninus, Sylvester, Molina, Gonzales; multo magis usurarius est, qui non aliter vult societatem inire, quam rejecto in socium sortis periculo, et accepta insuper ab eo securitate alicujus lucri.

Obj. 1. Tres memoratos contractus licitos esse, si cum

diversis personis fiant. Ergo etiam liciti censendi sunt, cum una eademque persona initi; siquidem quod ad justitiae rationem attinet, nihil interest utrum cum uno, an cum diversis fiant, modo servetur aequalitas inter datum et acceptum. 2. Totam aequalitatem contractus in eo consistere, ut aequalia sint commoda et incommoda, quae contrahenti apponuntur. Haec autem aequalitas in trino contractu habebitur, si major pars lucri, quae socio conceditur, periculum exaequet, quod suscipit, quod sane fieri potest. 3. Negant per trinum contractum pecuniae dominium transferri in socium, atque adeo societatem tolli per adjectas pactiones: neque enim commodatum tollitur adjecto pacto justae assecurationis rei commodae; nec ideo res commodata transit in dominium accipientis.

R. Ad 1. Tres illos contractus, dum ineuntur cum diversis, tres esse contractus divisos ac separatos. Porro ii contractus ut divisi ac separati liciti sunt. Secus est, quando ineuntur cum una eademque persona; tunc enim simul conflantur, et una pactio superveniens antecedentem convellit, atque labefactat; ut proinde revera non tres contractus justi seorsum ac liciti ineantur, sed per ambages trium pactionum unum mutuum foeneratitium contrahatur. Mirum autem videri non debet, si tria, quae dum in sua natura manent divisa et consistentia, licita sunt, eadem illicita fiant, cum simul conflantur, sicque conflantur, ut mixtione sua naturam amittant. Sic in naturalibus accidere interdum videmus, ut liquores duo, qui perspicui sunt ac pellucidi, quamdiu divisi manent, statim atque confunduntur, obscurescere incipiant. Id vero accidit in trino contractu. Licitus est contractus societatis; licitus est contractus assecurationis sortis; licita venditio spei majoris lucri, itaque illi tres contractus liciti erunt, quamdiu manebunt, et consistent, quando scilicet cum diversis personis ineantur. At si cum eadem persona fiunt, mutuo veluti conflictu pugnant inter se: societas abit, sors assecurata fit verum mutuum: venditio vero spei majoris lucri evadit in pactum de lucro exigendo ex mutuo, foenus proinde ex illis conflatis contractibus emergit.

Ad 2. Non aliter adversarii aequalitatem defendere possunt inter commoda et incommoda, quae per contractum trinum socio apponuntur, quam supponendo verum manere contractum societatis. Etenim si nulla esset societas, sed verum

mutuum, profecto aequalitas inter commoda, et incommoda vi contractus non subsisteret. Etenim qui pecuniam acciperet praeter obligationem ejus reddendae, qua satisfacit ad aequalitatem pro jure mutui, obstrictus teneretur onere foenoris persolvendi; quod est praeter aequalitatem. Commodum autem, quod percepturus est ex pecunia accepta, non vi contractus percipitur, sed vi operae, et industriae ipsi mutuo prorsus extrinsecae. Atqui revera in contractu trino nulla societas est, sed verum mutuum, ut superius probatum est. Ergo in eo contractu aequalitatem commoda inter et incommoda, quae apponuntur contrahenti, nulla ratione tueri adversari possunt.

Ad 3. Per assecurationem rei commodatae non tollitur commodatum, nec transfertur dominium; quia natura et notio commodati non excludit pactum adjectum, quo commodatarius juste in se periculum suscipiat rei commodatae; quae tamen, quamdiu penes commodatarium est, manere intelligitur in dominio commodantis; siquidem de ea non potest commodatarius disponere, nisi in usum sibi concessum a commodante. Unde commodatum vi sua nec includit nec excludit tale pactum. At vero societatis natura, et notio penitus excludit pactum assecurationis sortis: siquidem per assecurationem tollitur communio lucri, periculi, ac damni; quae ad essentiam et naturam societatis pertinet. Quis autem non videat societatem eo perimi, quo natura ejus et essentia destruitur?

De pacto legis commissoriae.

Generalis est haec regula de pignoribus, dominium pignoris manere penes debitorem. Etenim pignus securitatis tantum caussa creditori traditur. Hinc colligitur. 1. Si pignus res est frugifera, fructus esse ipsiusmet debitoris, nam res domino suo fructificat. 2. Si fructus a creditore accipiuntur, computandos esse in sortem, deducta compensatione laboris, et sumptuum, quos ad colendam rem frugiferam insumit. 3. Si res in pignus tradita usu atteritur, ut vestis, creditorem ea utentem concedente debitore valorem usus in sortem computare debere; secus lucrum exiget ex mutuo. 4. Si debitor praestituto tempore non solvit, vendi posse pignus forma legibus praescripta, ut ex pretio valorem sortis creditor reci-

piat. 5. Nullum onus imponi posse debitori quoad pignus, quo ex conventione creditorem inter et debitorem non sit liberum debitori pignus aut retrahere solvendo, aut non cuilibet voluerit, vendere; modo caveat creditori de sorte: nam illud onus vi mutui imponeretur, fieretque adeo conventio usuraria.

Hinc etiam intelligi nullo negotio potest, quid sit sentiendum de pacto legis commissoriae, de quo docte Leotardus qu. 69. et 70. Neque vero hic agitur de lege commissoria, quae in venditionibus interdum adhibetur; et ita concipitur, ut ad diem pretio non soluto res committatur venditori, idest redeat ad venditorem, et sit inempta, quod pactum in venditione per se et seclusa omni fraude licitum, ac validum doctores passim concedunt. Dicitur autem lex commissoria, quia vi ejus pacti si emptor praestituto tempore non solvit, cadit in commissum, adeo ut committi res venditori, et ad eum redire debeat. Cum autem eo loco lex sumatur pro conventione, clarissimus Faber putavit absurde a pragmaticis appellari pactum legis commissoriae, quasi quis diceret pactum pacti commissorii, tamen recte ex Cujacio Leotardus eam nominis rationem defendit. Licet enim, inquit, hoc loco lex significet pactum, non male tamen dicitur pactum legi commissorie, sicut pactum conditionis, actio conditionis, conventio pacti etc.

Pactum itaque legis commissoriae in pignoribus locum habere dicitur, cum datur pignus ea lege, ut si debitor intra statutum tempus non solvit, pignus pro debito fiat creditoris, aut ipsi creditori obligatum maneat; adeo ut non amplius sit in potestate debitoris pignus recuperandi, etiamsi pecuniam debitam solvere sit paratus.

Pactum hoc reprobatum fuit l. ult. C. de pactis pignorum ex Constantino: *Quoniam inter alias captiones praecipue commissoriae pignorum legis crescit asperitas, placet infirmari eam et in posterum omnem ejus memoriam aboleri.* Et cap. *Significante* de pignoribus Innocentio III *Cum igitur pactum legis commissoriae sit in pignoribus improbatum:* ubi etiam casus ejus rei expressus refertur. Ratione quoque demonstratur id pactum usuraria pravitate contaminari. Nam qui mutuatur pignore hac lege accepto, vel retinet pignus saepe majoris valoris, quam res mutuata; vel imponit onus debitori,

quo deserere cogitur dominium rei suae. Sed utrumque ad usuram pertinet, ut supra dictum est. Ergo etc.

Quid vero si pactum ejusmodi fuerit, ut debitore ad statutum tempus non solvente, pignus maneat non pro debito, sed ut venditum, nec pretio aliquo determinato, sed justo pretio boni viri arbitrio? Id pactum licitum doctores nonnulli defendunt, alii congruentius sane rejiciunt. Siquidem et hoc pacto imponitur debitori onus praeter obligationem reddendae sortis. Sapienter proinde doctissimus Leotardus q. 71. n. 91.: Si haec pactio, inquit, foenoris suspicione aliquando carere posset, tum sane esset, cum id agitur, ut pignus emptum intelligatur justo pretio, sed hoc etiam casu pactio foenoris suspicione laborat, quia lucrum est adducere alium ad res suas vendendas etiam justo pretio. Denique licet aliis negotiis, et commerciis poena interdum licite adjiciatur, tamen in pignoribus generaliter prohibita est L. ult. C. de pact. pig, ut quae semper asperitatem creditoris contineat, qui pactis vulgaribus contentus esse debet ». Hactenus Leotardus.

Demum pauca hic de usurarum restitutione perstringenda nobis supersunt, quandoquidem de restitutione aliquantum latius nobis erit post dicendum, si tempus suppetet. 1. Constat foeneratorem teneri ad restituendum foenus acceptum. 2. Ex sola usura mentali restituendi obligationem in foro animae oriri; ut ex Cap. *Consuluit* 10. de usuris. Quod proinde accidit sive cum spe lucri adductus quisque mutuatur, nullo etiam pacto interveniente, sive cum mutuans accipit ut lucrum sibi ratione mutui debitum, quod ipsi tribuitur a mutuatario etiam ex pura liberalitate. Si vero mutuatarius ut debitum daret, quod mutuans bona fide acciperet ut liberaliter sibi datum, non esset iste usurarius, nec manente bona fide ad restitutionem tenetur. 3. Tenetur usurarius compensare, quod propter foenus exactum minus habet mutuatarius ratione damni emergentis et lucri cessantis, quippe caussa est ejus damni. 4. Si lucrum usurarium re frugifera constat, non solum rem, sed et fructus ex ea perceptos, aut quos Dominus percepisset, restituere tenetur, deductis tamen sumptibus, aut necessariis ad rei conservationem, qui externo foro ipsi conceduntur, sed etiam utilibus, quorum in foro conscientiae compensationem ipsi debet mutuatarius relinquere ex aequitate naturali. 5. Si res per foenus accepta non est per se frugifera, sed sola industria usurarii fructus attulerit, non

erunt restituendi fructus ex industria profecti. Sic si usurarius ex pecunia usuraria quaestuosam negotiationem instituit, pecuniam quam usura extorsit, reddere debebit, non opes negotiationem partas. 6. Haeres bona usuris extorta reddere tenetur. Si plures sunt haeredes, ex jure communi non in solidum, sed pro rata acceptae haereditatis obligantur. 7. Onus id restitutionis faciendae non transit ad donatarios, et legatarios particulares, nisi quando haerede non solvente ipsa haereditas impar est solvendo. 8. Non tamen foro animae tenetur haeres ultra vires haereditatis, nam aequitas non patitur, ut qui delicto cooperati non sunt, plus restituant, quam acceperunt. Excipitur, si haeredes inventarium non confecerint, tunc enim jura praesumunt ampliorem haereditatem fuisse, et haeredes obligant ultra vires haereditatis, quam obligationem post latam sententiam conoscientiam adstringere multi existimant. De reliquis ad hac rem pertinentibus silere nos cogunt angustiae temporis.

QUAESTIO IV.

De Emptione et Venditione.

» Origo emendi, vendendique a permutationibus coepit: » olim enim non ita erat nummus: neque aliud merx, aliud » pretium vocabatur: sed unusquisque secundum necessitatem » temporum, ac rerum utilibus inutilia permutabat, quando » plerumque evenit, ut quod alteri superest, alteri desit: » sed quia non semper, nec facile concurrebat, ut, cum tu » haberes quod ego desiderarem, invicem haberem quod tu » accipere velles, electa materia est, cujus publica ac per» petua astimatio difficultatibus permutationum, aequalitate » quantitatis subveniret, eaque materia forma publica per» cussa, usum dominiumque non tam ex substantia praebet, » quam ex quantitate: nec ultra merx utrumque, sed alte» rum pretium vocatur ». Ita Paulus L. 1. ff. De contrahenda emptione. De hoc itaque contractu jam nobis agendum, qui auctore Molina disput. 336. n. 6. facilius intelligitur, ac explicatur, quam plene atque exacte definiatur.

CAPUT I.

Quid sit emptio et venditio.

Si pecuniam dem, ut rem accipiam, emptio, et venditio est. L. 5. ff. de praescriptis verbis. Unde venditio satis apte dici potest pactum de merce pro certo pretio tradenda; emptio pactum de certo pretio pro merce tradendo. Utraque porro, prout conjuncte sumitur, definitur contractus onerosus consensu constans de re pro certo pretio tradenda. Dicitur contractus onerosus, quia, ut patet, obligationem ex utraque parte inducit, scilicet in venditore tradendae mercis, pretii vero tradendi in emptore, quo differt a donatione, vel promissione gratuita. 2. Dicitur consensu constare, nam ut legitur Instit. de empti. et vendit. *Emptio et venditio contrahitur, simul atque de pretio convenerit.* Estque adeo contractus bonae fidei, nam ut praeced. tit. dicitur de oblig. ex cons. *In his contractibus alter alteri obligatur in id, quod alterum alteri ex aequo et bono praestare oportet.* Hinc differt a mutuo, commodato etc. 3. Dicitur de pretio pro merce tradendo, quo differt a permutatione, qua merx pro merce, et a cambio, quo pecunia ut pecunia est, pro pecunia traditur. 4. Certum esse pretium oportet, quare non perficitur venditio, si unus vendere se dicat, quanti alter aestimaverit, sed stat contractus, sub conditione; quousque ille qui nominatus est, pretium definierit; ita tit. 24. de emption. et vendit. 5. Cum mercis nomine non tantum res mobiles, sed quidquid est pretio aestimabile communiter intelligatur, velut actiones ipsae, ac jura, et ususfructus, difficultas exoritur, quemadmodum venditio a locatione differat. Nam in locatione pretium datur pro usu. Igitur usus ipse pretio vendi potest; utrobique perinde usus pro pretio comparabitur, nec unus contractus ab altero differet. Difficultatem egregie solvit cardinalis de Lugo, ex eo maxime, quod in locatione usus conceditur pro pensione successive percipienda, per venditionem vero jus ad usum conceditur pro uno pretio simul constituto.

Cum autem sola conventione de merce pro pretio tradenda emptio et vendditio efficiatur, liquet 1. Per solam venditionem, antequam res sit tradita (nisi ubi aliter jura sta-

tuant) non transferri dominium, sed solum jus ad rem. Siquidem aliud est convenire de dominio rei tradendo, aliud est ipsum dominium actu tradere. Quamdiu ergo contractus est solum de re in alterius dominium transferenda, nondum intelligitur ejus dominio mancipata. Itaque dominium rei venditae manet penes venditorem, usque eo dum tradita fuerit emptori, cum obligatione tamen ejus tradendae; ad emptorem vero transit jus rei recipiendae, cum obligatione pretii solvendi, nisi solutum statim fuerit.

2. *Periculum rei venditae*, certae nimirum ac determinatae, *statim ad emptorem pertinet.* Itaque si domus vendita incendio consumpta fuerit, emptoris damnum est, cui necesse est, licet rem non fuerit nactus, pretium solvere: Tit. 24. §. 2. de empt. et vendit. Non tamen propterea evertitur generalis regula ex aequitate naturali profecta, rem quamlibet suo domino perire. Nam hoc speciali jure constitutum esse doctores animadvertunt. Sed nec in eo jura videntur a naturali aequitate recessisse. Enim vero cum emptio, et venditio contractus sit onerosus, obligationem ex utraque parte inducens, profecto aequitas postulare videtur, ut alter obligatione sua non solvatur, quamdiu alter obligationi suae non deest; porro venditor obligationem contraxit rei tradendae; nec ei obligationi deest, si res, quamdiu penes ipsum est, fortuito non sua culpa perit. Cum ergo hic, quantum in ipso fuit, susceptae obligationi non defuerit; emptor autem susceperit obligationem pretii solvendi, ea sane obligatione, quam praestare potest, adstrictus adhuc esse intelligitur. Peribit autem res damno venditoris, si ita conventum fuit, si fisco res addicta sit, si culpa ejus, aut mora in tradendo perierit; quae mora in caussa fuerit, ut penes venditorem perierit, non peritura penes emptorem: secus si ex aequo peritura fuisset apud emptorem, ut probat Molina Disp. 366. num. 13.

3. Sed ut rei venditae nondum traditae periculum ad emptorem pertinet, ita etiam et incrementum, et commodum, quod ei rei contigerit. Nam *commodum esse debet, cujus periculum est*, tit. 24. §. 3. Hinc fructus qui dicuntur pendentes tempore venditionis pertinent ad emptorem; quod vero attinet ad fructus post venditionem exortos, sed ante traditionem et acceptum pretium, eos quoque deductis expensis ad emptorem pertinere probabilior sententia videtur.

4. Dictum est autem rei venditae periculum certae ac determinatae pertinere ad emptorem. Secus si res vendita fuerit ad mensuram, seu indeterminate, ut cum quis ex quodam acervo frumenti decem modios indeterminate contrahit, vel decem oves indetérminate quoque ex aliquo grege. Tunc enim periculum relabitur in venditorem, adeo ut si ex acervo decem modii, vel decem oves ex grege periérint, emptor jus habeat ad totidem alia ex eodem acervo vel grege. Ratio est quia ejusmodi venditio revera fit sub conditione, ut in singulos modios, quos admensus fuerit venditor, aut in singula corpora, quae adnumeraverit, pretium solvatur. Quapropter quamdiu non est facta admensio, vel ponderatio, vel numeratio, nec res proinde certa facta fuerit ac determinata, nondum perfecta venditio censetur. Si vero totum acervum, vel totum gregem emas, quandoquidem res est certa, et determinata, periculum ad te pertinebit; nisi dolus intercesserit venditoris.

5. Denique quod attinet ad venditionem suspensam ex conditione de futuro contingente, si res perit conditione pendente, damnum est venditoris. Si vero crescat tantum, aut minuatur, commodum, vel incommodum pertinet ad emptorem. Nam impleta conditione contractus fit absolutus; atque adeo tunc quocumque statu sit meliore, aut deteriore, pertinet ad emptorem.

Jam cum tria in venditione et emptione occurrant, merx, pretium, et consensus, dicendum deinceps de rebus, quae vendi possunt, de pretio, deque fraudibus, quibus error obtrudi contra consensus rationem potest, demum de personis quibus licita aut illicita est negotiatio.

CAPUT II.

De rebus quae vendi nec ne possunt.

Generatim et seclusa omni lege vendi possunt quaecumque sunt pretio aestimabilia, eoque nomine in commercium humanum veniunt; nec solum res corporales mobiles, et immobiles, verum etiam actiones, et jura, credita, chirographa; nec solum res praesentes, sed et sola spe futurae, ut jactus retis, animantia venatione capienda, partus futurus pecoris etc. Est autem discrimen, quod cum venditur partus pe-

coris, venditio est conditionalis, nempe si partus sequatur; quare non sequuto partu, nec tenetur emptor de pretio: cum vero venditur venatio vel piscatio, venditur absolute spes, ac pretium debetur, etiamsi nihil captum fuerit: modo ne venator, vel piscator fraudem fecerit. Cum vero suas operas quis alteri concedit pro successivo pretio, non est venditio, sed locatio. Verum si jus ad omnes operas perpetuum uno simul ac semel constituto pretio alteri concederet, esset venditio: quo casu vendere quis se se censeretur: qua de re quemadmodum nec ne liceat, non hic disputandum sumimus.

Vendi proinde non possunt 1. Quae ratione materiae non sunt aestimabilia, ut res sacrae, ac spirituales, quae omne pretium vincunt: flagitia, quae sunt infra omne pretium: res extinctae, et non existentes dum venduntur ut existentes, ut si quis domum totam dirutam vendat. Item nec vendi possunt res furtivae, de quarum emptione, et venditione multa traduntur a doctoribus scitu necessaria, quae praescripto curriculo comprehendere non possumus. 2. Vendi non possunt ratione legis quaecumqne juribus prohibentur ne veneant. 3. Nec licite vendi possunt quae scandalum, aut damnum allatura sunt; de his postremis paulo latius nobis agendum. Doctrinam porro D. Th, ut a Sylvio exposita est, in medium proferemus.

1. Vendere res, quibus emptores uti non possunt absque peccato, peccatum est. Etenim ea vendendo praebet quis emptoribus directam peccandi occasionem; idem sentiendum de rebus, quae ex natura sua, sive ex forma sua, et institutione ad peccati actum sunt destinatae. Sic non licet paganis idola vendere, vestes sacerdotales Judaeis.

2. Vendere res, quibus emptores ut plurimum male utuntur, non licet, nisi certo scias emptorem hic et nunc ad bonum usum emere, tunc enim cessat ratio mali; hac de causa indiscriminatim vendere non licet venena et alia, quibus ad homicidia, vel alia facinora homines abuti solent; homini tamen probatae fidei licet res venenatas vendere, quibus pro arte sua, vel studio ad bonum usum indigere potest.

3. Vendere res quibus potest aliquis bene vel male uti, dum certo, vel probabiliter praevidetur emptorem eis ad peccandum abusurum, peccatum est. Quare non licet aut vinum

se inebriaturis vendere, aut cibos violaturis jejunium, aut pigmenta iis, qui sciuntur emere ad lasciviam; addit vero Sylvius, *nisi venditor habeat caussam rationabilem, ob quam possit negligere peccatum proximi.* Quemadmodum intelligi potest ex eo quod peccatum non est mutuum rationabili de caussa, ut superius vidimus, ad usuram accipere. Ceterum adjungit idem Sylvius, ad superioris propositionis veritatem non esse necesse, ut scrupulose venditores inquirant de intentione emptorum, sed uti viderint ipsos esse tales, de quibus non habeant caussam male suspicandi, posse illis vendere; secus si justam habeant caussam verendi, ne re vendita sint ad peccatum abusuri. Ex quo concludit, venditores rerum indifferentium, qui parati sunt quibusve emptoribus sive ad bonum, sive ad malum usuris eas vendere, esse in malo statu, nec sacramentaliter absolvendos, nisi vel officium dimittant, vel proponant non vendere illis, quos probabiliter ac prudenter judicabunt, ejusmodi rebus vel per, se vel per alios, ad mortale usuros; nisi forte caussa quaedam rationabilis supervenerit, ob quam licitum sit eis vendere.

CAPUT III.

De justo pretio in emptione et venditione servando.

Justum pretium dicitur, quod rei valorem in ordinem ad usus humanos exaequat. Duplex distinguitur, unum legitimum, ita dictum, quod principis lege, et auctoritate taxetur; alterum est vulgare, ita dictum, quod ex communi hominum praesertim intelligentium pendeat. Cum autem commune hominum judicium etiam peritorum in re aliqua aestimanda non in uno puncto seu limite convenire soleat, sed aliquantum ultra citraque excurrat, hinc triplex pretium vulgare justum assignatur, supremum, medium, et infimum. Sic si rem aliquam pluribus peritis aestimandam proponas, alter ad decem v. g., ad octo alter est aestimaturus: illud ergo dicetur pretium summum, istud infimum; quod inter utrumque versatur, pretium medium. Vix autem generalis et constans regula afferri potest, qua intervallum illud metiamur, quo supremum pretium distat ab infimo. Molina, Lessius, aliique prudenter animadvertunt minus in minore summa esse oportere, majus in majore. Velut si rei cujusquam

pretium medium statuatur decem nummorum, supremum pertingere potuit ad undecim cum dimidio, infimum ad octo cum dimidio delabi. Si vero ejus rei pretium medium sit centum nummorum, infimum usque ad nonaginta quinque subsistet, summum ad centum quinque abibit. Sed hic jam supponitur consitutum pretium medium, ut deinceps judicari possit de latitudine inter supremum et infimum; cum potius ex distantia utriusque constituta, medium accipi tantum posse videatur. Quamobrem eo revertendum videtur, ut diligenti circumspectione adhibita, inspiciatur quanti plurimi, et quanti minimi ex communi hominum sensu et usu, atque ex prudentum et peritorum judicio res valere possit, tumque pretium supremum, et infimum pro diversitate rerum, et circumstantiarum habebitur; atque medium inter utrumque locabitur. Ceterum ubi agitur de vulgari pretio, triplex illud, quod in eo distinguitur, supremum, medium et infimum, intra justitiae limites consistit. Nam cum id pretium non sit natura circumscriptum, sed ex prudenti hominum aestimatione pendeat, haec autem prudens aestimatio utpote quae ex multis, diversisque circumstantiis petitur, haerere in puncto nequeat, sed ad triplex illud pretii genus accommodetur, hinc fit, ut quodvis ex illis pretiis justum censeatur.

PROPOSITIO.

Iniquum est rem pluris vendere aut minoris emere, quam ferat justum pretium.

Pr. 1. Ratione D. Th. 2. 2. q. 77. art. 1. Emptio et venditio est introducta pro communi utilitate utriusque, dum scilicet unus indiget re alterius, et e converso. Quod autem pro communi utilitate inductum est, non debet esse magis in gravamen unius, quam alterius, et ideo debet secundum aequalitatem rei inter eos contractus institui. Quantitas autem rei, quam in usum hominis venit, mensuratur secundum pretium datum, ad quod est inventum numisma. Et ideo si pretium vel excedat quantitatem valoris rei, vel e converso res excedat pretium, tolletur justitiae aequalitas, et ideo carius vendere, vel vilius emere rem, quam valeat, est secundum se injustum et illicitum.

Obj. 1. Jus canonicum videtur probare deceptionem, quae

fit infra medium justi pretii, cap. *Cum dilecti* de emptione, quo Alexander III. irritavit sententiam, quae resciderat venditionem minus dimidio justi pretii factam. 2. Idem jure civili habetur. Nam l. 16. ff. de minoribus dicitur: *Pomponius ait, in pretio emptionis et venditionis naturaliter licere contrahentibus se circumvenire.* 3. Qui acquirit per contractum jure validum, sed lege civili prohibitum, non tenetur ante sententiam judicis restituere; sicut qui acquirit pecuniam per ludum alearum. Ergo multo minus tenebitur vendens, aut emens restituere, quod per contractum jure civili permissum acquisierit. 4. Volenti et consentienti non fit injuria. Ergo emptori danti plus quam res valeat, non fit injuria.

R. ad 1. Pontifex non approbat deceptionem intra medium justi pretii; sed ait emptoris arbitrio esse supplere justum pretium, aut venditionem rescindere. Quod ergo irritaverit sententiam, quae resciderat venditionem minus dimidio justi pretii factam, non est quia judicaret illam venditionem esse justam, sed quia sciebat eam posse reduci ad aequalitatem justitiae absque rescissione contractus: quae recissio fieri non debet, quando fraudator paratus est satisfacere ad aequalitatem. Ita Sylvius.

Ad 2. Quod legibus illis dicitur licere emptori et venditori de praetio se circumvenire, commode intelligi potest intra latitudinem justi pretii. Si vero agatur de circumventione ultra justum pretium aut supremum aut infimum, dicendum vocem *licere* accipi pro eo, quod jure civili non punitur, nec irritatur, aut prohibetur. Porro eam lesionem quae intra dimidium justi pretii subsistit, leges humanae non puniunt, quia cum in communitate multi sint imperfecti, non omnia, quae prave fiunt, per legem humanam puniri possunt, Divino tamen judicio punienda; nec contractus ex tali laesione vitiosos rescindunt, ad vitandas lites. Ceterum quando leges ob laesionem ultra dimidium justi restitutionem concedunt, totum ipsum excessum supra justum pretium restitui jubent, quod argumento est, eas ut iniquum lucrum habere, quidquid justum pretium excedat. Hic ergo excessus quilibet utpote iniquus, est in conscientia restituendus, etiam cum leges actionem non praebent.

Ad 3. Aperta est ratio discriminis, nam qui seclusa fraude lucratur per contractum validum, et solum irritandum, quia prohibitum, ejus lucrum non est iniquum, nec justitiae

commutatrici repugnans. At qui pluris vendit, aut viliores emit quam ferat justum pretium, convellit aequalitatem justitiae commutantis.

Ad 4. In eo qui pluris emit, vel vilioris vendit, consensus non est simpliciter ac perfecte voluntarius, sed secundum quid; etenim ideo vilioris vendit, aut pluris emit, quia improbitate alterius non potest aliter quod sibi opus est comparare, igitur ei fit injuria.

Quaeritur autem utrum qui vendit mercem convento pretio infimo, vel medio, possit sine onere restitutionis fallere emptorem metiendo, vel ponderando, ita ut merces quam tradit, pro quantitatis imminutione revera majore pretio, tametsi justo, veluti summo vendita fuerit.

R. Non posse; nullum enim habet justum titulum retinendi quod superat pretium conventum. Facta quippe conventione aufertur alteri quod suum est ipso invito.

Quia vero duplex justum pretium distinguitur, unum legitimum, alterum vulgare, illud notandum, in pretio legitimo non accipi posse aliquam latitudinem; quippe lege est circumscriptum, et definitum. Quare variare ipsum non licet, sive quia legi principis in conscientia est obediendum, sive ob ipsum punitionis periculum. Cum autem pretium lege taxatum merces communes, atque adeo communis bonitatis complectatur, quaeritur utrum res a communi bonitate insigniter deficiens, aut eam insigniter excedens, pretio lege taxato subesse debeat. Et quidem rem longe deteriorem taxa non comprehendi doctores fatentur; quod attinet vero ad rem praestantioris admodum bonitatis, licet non desint qui putent eam pluris vendi posse; tamen alii eam sententiam minime sequendam in praxi docent, propter pericula scandali, aut punitionis, inde obortura.

Quaeritur vero utrum quantilibet vendere liceat res nonnullas, quae nec pretium legale habent, nec vulgare habere videntur. Ejus generis censentur, quae curiositate magis, quam usu aestimantur, velut gemmae, aut lapides rariores maculis artificium quoddam praeferentibus distincti ac variati, animantes longe advectae, vel quibus aliquid singulare inest, tabulae, et statuae antiquae.

Affirmant auctores non pauci, hac ratione quod cum res hujusmodi non sit usibus humanis necessariae, et nec pretium legitimum, nec vulgare habeant, earum aestimatio non

aliunde peti potest, quam ex contrahentium judicio, et arbitrio; eo vel maxime quod cum nulla necessitate quis compelli, et urgeri censeatur ad res ejusmodi emendas, censetur donare velle, quod alter exigit. Alii tamen verius negant. Nam cujuscumque tandem rei, quae venalis sit, praetium aliquod esse oportet; idque pretium ex unius alteriusve affectu privato, et arbitrio repetere non satis ex aequitate esse videtur. Cicero ipse act. 2. in Verrem lib. 4. Etsi statuas summo artificio, summaque nobilitate quas Verres ficta emptione minimo pretio a Siculis abstulerat, non pro magno aestimare se ad suam rationem et usum significat, tamen in illis vendendis emendisque spectari oportere demonstrat, quanti haec eorum judicio, qui studiosi sunt harum rerum aestimentur, quanti venire soleant, quanti palam et libere venire possint. Itaque cum non desint homines, qui rebus student raritate insignibus, ex communi horum judicio vulgare aliquod pretium exurgit. Cum ergo justa quaedam aestimatio spectatis circumstantiis fieri possit, non licebit res eas quantilibet, sed ex prudenti et justa aestimatione venire.

CAPUT IV.

Quibus de caussis vulgare prĕtium rerum augeatur vel minuatur.

Quaecumque communem mercis aestimationem augent vel minuunt, ea quoque censentur vulgare mercis pretium, quod ex ea aestimatione pendet, augere, vel minuere. Censentur autem a doctoribus 1. Mercis penuria vel copia, et emptorum copia vel paucitas. Nam merx eo pluris aestimatur, quo et rarior est, et a pluribus exquiritur. Vilescit vero, si magna ejus mercis copia supersit, et pauci requirant. Unde ad nundinarum finem solent merces vilescere.

2. Pecuniae raritas, aut abundantia major pretium minuit vel auget, quia communis aestimatio per comparationem ad pecuniam fieri solet.

3. Modus ipse vendendi, quem conferre ad pretium augendum, vel minuendum probant doctores ex eo quod, res quae minutim venduntur propter laboris diuturnitatem, et majores expensas pluris vendi soleant, quam quae magna quantitate venduntur. Huc refertur auctio, seu modus ven-

dendi sub hasta. Nam res quae hoc modo venuent, modo majore, modo minore pretio venduntur, prout est emptorum copia, vel paucitas, et contendentium major minorve alacritas, et fervor. Sentiunt porro graves doctores seposita omni fraude pretium illud justum fieri, quod ultimum intra praefixum tempus offertur, idque ob generalem consuetudinem, quam et publicae potestatis, et contrahentium implicitus consensus firmare videntur. Fraudes vero quae restituendi obligationem inducunt hae censentur potissimum; si venditor celet occultos rei defectus; si fictos emptores emittat, qui bona fide licitantes ad majus pretium adigant, ut res pluris vendatur, quam valet; si licitantes impediat, ne accedant; si emptores monopolio factò conveniant, ne majus pretium quam inter se conventum quisque offerat; si res dolo exponatur, quo tempore vel nulli sunt emptores, vel qui viliori pretio cedant etc.

4. Conditio mercatoris ob pericula, expensas, labores, quos perfert dum officio vacat, quod est ex utilitate reipublicae, et interea negligit alias lucrandi occasiones. Non tamen propterea justum pretium sive legitimum sive vulgare potest excedere; quia ejus tituli ratio habetur in pretii vulgaris aestimatione, et legitimi taxatione. Si autem venditor mercaturam non facit, et mercem sibi parum utilem aut commodam offerat ultro emere volentibus, ultroneam ejusmodi mercem minori pretio, quam a mercatore emere licebit; maxime, si emens ea non opus habet, emitque ultro rogatus in gratiam vendentis; potest tamen ejusmodi venditor tanti vendere quanti mercator juste venderet; potest enim justum pretium exigere.

5. Communis affectus civitatis alicujus vel populi, ut facit ad rei aestimationem, sic valet ad ejus pretium augendum vel contra. Sic apud Aethiopes et Indos magni aestimari solent, atque adeo magno sunt pretio, quae inter europaeos parvi aestimantur.

6. Ipsa mercis insignis bonitas vulgare illius pretium, auget, ut ejusdem pravitas pretium minuit.

Quaeres jam. 1. Utrum pro ementis necessitate vel magno desiderio rei alicujus habendae, vel utilitate quam ex ea percepturus est, licet pluris vendere.

R. Id prorsus iniquum esse, nam ut docet S. Th. 2. 2. q. 77. art. 1. Si aliquis multum juvetur ex re alterius, quam accepit, ille vero qui vendit, non damnificatur carendo re

illa, non debet eam supervendere; quia utilitas, quae alteri accrescit, non est ex venditione, sed ex conditione ementis. Nullus autem debet vendere alteri, quod non est suum, licet possit ei vendere damnum quod patitur. Ita S. Th. Idem porro valet de affectu privato, seu desiderio ementis, ac potiori jure de necessitate qua tenetur rei habendae.

Quaeres 2. Utrum a vendente inopia et necessitate compulso ad rem vendendam, liceat rem minoris emere quam justum pretium ferat.

R. Non licere ex alterius inopia iniqui lucri captandi occasionem sumere, prorsus autem iniquum est rem minores emere ob eam caussam, quod qui vendit inopia cogitur ad vendendum. Siquidem convellitur aequalitas justitiae postulantis ut pretium merci commensuretur, et ex acerbitate charitati humanitatique repugnante convellitur. Non licet itaque a paupere infra justum pretium emere quod tibi sit utile, quodque ipse deinceps pluris vendas. Eo tamen casu licere potest minoris emere, quando emptor nullo modo re sibi oblata opus haberet, nec eam esset empturus, sed cum suo etiam incommodo emit, ut necessitati alterius prout potest subveniat; ad eum modum, quo indigentium operas, qui aliter sibi consulere non possunt, interdum viliori pretio conducimus, non nostri commodi et profectus caussa, sed ut ipsis auxilio simus.

Quaeres 3. Utrum privatus affectus quo venditor mercem aliquam suam prosequitur, velut tabellam pictam, equum etc. justam ipsi caussam praebeat rem supra justum pretium vendendi.

R. Non deesse theologos, qui putent ex speciali rationabili affectu, ut ajunt, quo quis rem aliquam suam prosequitur, velut si eam ab insigni viro donatam habuerit, licere pluris vendere; modo tamen 1. Emptorem moneat quanti affectus caussa pluris vendere velit, et pretium non sit immoderatum. 2. Ne ipse mercem vendendam sponte offerat. Verum alii probabilius videntur sentire privatum illum affectum nil conferre ad rei pretium. Etenim pretia non ex particulari affectu, sed ex communi judicio taxanda sunt, ut innuitur L. *Pretia rerum* 63. ad leg. Falcid. Cum ergo nulla sit ratio metiendi specialis affectus privati, neque vis ejus et quantitas communi judicio definiri possit, neque ex eo repeti poterit pretii aestimatio. Praeterquamquod quae ratio est haec

affectio, ut quod vendere nobis pretio justo, velut decem nummorum, propter affectum in rem, quae tibi amici benevolentiam et gratam recordationem refert ac renovat; non detrectes affectu illo seposito viginti nummis vendere, si tibi offerantur? Profecto parum virium habet affectus, quem vincit aliquanto majoris pecuniae cupiditas. Ergo cum affectum pretio isto aestimas, hoc ipso te parum illo affectu teneri ostendis; ergo injustus es, si propter affuctum, quem tam exigui pretii habes ut eum velis cum pecunia commutare, aliquod pretium exigis.

CAPUT V.

De aliis titulis pretium augentibus vel minuentibus.

1. Damnum emergens, et lucrum cessans si ex venditione tanquam propria caussa oriatur, majoris pretii justae compensationis caussa exigendi licitam facultatem praebere communiter sentiunt doctores, idem sentiendum de labore ac sumptu ex ipsa venditione profecto quibus de titulis revocanda ea sunt, quae de iisdem ut in mutuo locum habent, dicta sunt: consulendi etiam doctores circa conditiones peculiares in praxi observandas, ut titulus iste valeat.

2. Quod attinet ad pericula, molestias, expensas, labores, quae in importandis ac transferendis mercibus mercatores subeunt, ea tantum in justi pretii aestimationem veniunt, quae sunt communia. Nam si quis plus periculi, laboris, vel damni subierit, aut majores sumptus fecerit, quam alii ordinarie soleant, non ideo poterit pretium augere: sicut non tenetur minuere, si ordinarias expensas non fecerit; minus laboris, et periculi subierit. Nam nec infortunium, aut difficultas, nec industria, vel prospera fortuna unius communem mutat aestimationem, quae petitur a communiter contingentibus.

Quaeritur autem 1. Utrum ratione dilatae solutionis liceat pluris vendere.

R. 1. Licite posse vendi supremo pretio vulgari, fide habita ementi, quod infimo pretio venditum esset numerata pecunia. Cum enim non excedatur justum pretium, nulla fit injuria.

R. 2. Non licere ratione ipsius dilatae solutionis ultra

justum pretium vendere. Nam ut ait S. Th. 2. 2. q. 78. art. 2. ad 7. *Hujusmodi expectatio pretii solvendi habet rationem mutui: unde quidquid ultra justum pretium pro hujusmodi expectatione exigitur, est quasi pretium mutui, quod pertinet ad rationem usurae.* Si vero dilationis occasione damnum emergens, vel lucrum cessans oriatur, vi ejus tituli compensatio justa exigi poterit. Cavendum vero, ne lucrum cessans vana excusatione obtrudatur, ut notat Bannes in 2. 2. q. 77. a 4. dub. 5. *Multi ex negotiatoribus dicunt, quod poterant pecunia praesenti amplius negotiari, et amplius lucrari. Haec excusatio nulla est, quando ipse negotiator habet tantam copiam mercium, quod partim debeat vendere ad creditum, partim parata pecunia: vel etiam tantam habet copiam pecuniae, quam non erat impensurus totam in negotiationes suas, sed semper servat aliquid in deposito.* Addunt doctores monendum emptorem, ubi titulus hic legitime habetur; ne scilicet pluris emat ab uno ratione hujus tituli, quod minoris emisset ab altero.

Quaeres 2. Num ratione periculi dilatam solutionem consequentis plus aliquid exigi valeat.

R. Aliam esse rationem periculi venditionem praecedentis in comparandis, transferendis et conservandis mercibus, de quo superius, aliam periculi venditionem crediti ratione consequentis. Probabilior sane videtur sententia ratione periculi pecuniae creditae nihil ultra justum pretium exigi posse. Nam expectatio pretii solvendi auctore S. Th. habet rationem mutui: periculum ergo inde consequens habet rationem periculi facti mutuo cohaerentis, vi cujus nil exigi potest. Quod confirmari potest ex cap. *Naviganti* de usuris, superius exposito. Poterit ergo venditor huic periculo per fidejussionem vel pignus cavere, aut non vendere.

Si vero venditor dilationem solutionis concedat ementi, usque ad tempus quo probabile est mercem plus valituram, et revera fuisset venditionem in id usque tempus dilaturus, nisi in gratiam ementis anticipato tempore venderet, poterit lucri cessantis titulo plus exigere, detractis oneribus pro re conservanda, ut ex superioribus intelligitur.

Quaeres 3. Utrum et quemadmodum credita et alias actiones liceat vendere ac emere.

R. 1. Fraudem esse si creditor pretio ordinario vendat creditum, dum novit debitorem parem non esse integre

solvendo, nam vendere debitum non liquidum exigendum pro liquido, perinde est ac si mercem corruptam vendas pro integra.

R. 2. Debita exigenda non liquida, seu incertae ac difficilis solutionis posse minoris emi propter damna emergentia, labores, lites, aliasque expensas, tantumdemque proinde de pretio aequivalente detrahi posse, quanti haec aestimantur. Quin etiam nonnulli doctores valere id censent, licet emptor propter quasdam peculiares circumstantias expeditam habeat facultatem debiti exigendi, quod esset communiter difficilis solutionis, nisi vero difficultas ex impedimentis ab emptore positis oriretur. Quia tum revera ex communi aestimatione minus valet, qua justum pretium definitur. Alii tamen dissentiunt.

R. 3. Debita exigenda si sint liquida non posse minoris emi, quam sit summa ipsa exigenda, secluso quovis alio justo titulo; nam jus certum et liquidum ad percipiendos centum aureos, tanti valet quam centum aurei, ut patet in mutuo. Et licet l. 204. ff. de regul. jur. dicatur minus esse habere actionem quam rem, non ex eo inferri potest minoris valoris actionem hujusmodi esse, quam rem ipsam, sed cum actio sit ad rem habendam comparata; qui solum habet actionem, ille minus habet, quia nondum habet id, ad quod habendum actio est instituta. Quod autem actio certa et liquida moralem habeat aestimationem, quantam res ipsa, patet ex L. 15. ibid. Is qui actionem habet ad rem recuperandam, rem ipsam habere videtur.

Hinc multo potiore jure constare omnino debet chirographa seu schedulas quae principis edicto vim monetae obtinent non posse minores emi, aut cum minore numerata pecunia commutari. Nam pretium autoritate suprema constitutum est pretium legale, quod a privatis perverti nullo modo potest. Proinde chirographum quod edicto principis centum nummos valet, tanti revera valet quanti centum nummi auctoritate pariter suprema percussi. Qui ergo minoris emit chirographum, quam sit ejus pretium legale, minoris emit quod plus valet, atque adeo convellit justitiae commutantis aequalitatem et restitutione tenetur. Praetextus autem, quibus nonnulli abutuntur ducti ex dilata solutione vel periculo, quam sint inanes ex eo patet manifestissime, quod iisdem usura omnis perinde honestari posset. Quod autem campsores per-

mutando chirographa lucrum moderatum percipiant, non ex eo fit, quod minor sit valor chirographi, quemadmodum nil detrahitur de valore pecuniae, quando campsor pro permutanda pecunia lucrum aliquod facit, sed id lucrum proficiscitur perinde ex titulis, quos antea vidimus campsoribus adesse.

Quaeres. 4. num Mercator sciens brevi futuram mercis alicujus abundantem copiam in civitate, interea mercem eam communi pretio vendere possit, an futuram eam copiam civibus indicare.

Elegantissimam hac de re disputationem refert Tullius lib. 3. de Officiis inter Diogenem Babilonium Stoicum et discipulum ejus Antipatrum. Scilicet Antipater, cui Tullius est assensus, non aperti, non simplicis, non ingenui, non justi, non viri boni existimabat esse, celare homines, quod iis adsit commoditatis et copiae. Pro eadem sentiendi ratione proferuntur Bartolus, Ledina, Corradus, Merbesius. Nobis constitutum est, non quidem ad stoicum Diogenem redire; sed a D. Thomae sententia minime discedere, qui 2. 2. q. 77. art. 3. ad 4. quaestionem solvit in hunc modum: Vitium rei facit rem in praesenti esse minoris valoris, quam videatur. Sed in casu praemisso in futurum res expectatur esse minoris valoris per superventum negotiatorum, qui ab emtoribus ignorantur. Unde venditor, qui vendit rem secundum pretium quod invenit, non videtur contra justitiam facere, si quod futurum est, non exponat. Si tamen exponeret vel de pretio subtraheret abundatioris esset virtutis; quamvis ad hoc non videatur teneri ex justitiae debito.

CAPUT V.

De Monopoliis.

Monopolium vox graeca est solitarium vendendi genus significans, quo nimirum solus unus, aut plures per modum unius merces aliquas excluso omni alio venditore negotiantur ac divendunt. Monopolium autem interdum autoritate publica constituitur, estque privilegium a principe alicui vel aliquibus concessum, quo jus acquirunt, ut soli certas merces divendant, aut alicujus efficiendi artefacti potestate polleant. Porro

non est dubium quin monopolium ejusmodi ad utilitatem publicam interdum conducat, possitque adeo justa de caussa privilegium ejusmodi concedere; hoc proinde qui utuntur, tuta conscientia uti possunt, nisi per fraudem et dolum id surripuerint, aut inique illo abutantur.

Aliquando vero monopolium privatorum avaritia inducitur, estque conspiratio, qua unus vel plures ex condicto efficiunt, ut ipsi soli aliquam mercem, quo libuerit pretio divendant. Quatuor ejusmodi praecipui a doctoribus recensentur. 1. Conspirando inter se ne minoris vendant. 2. Efficiendo ut ipsi soli aliquam mercem vendant. 3. Certas merces coemendo et coacervando, velut omne triticum tempore messis, ut aucto pretio tum vendere incipiant. 4. Impediendo, ne aliunde merces importentur in civitatem.

Cum autem privata monopolia grave damnum Reip. ac privatis afferant, non videtur esse dubitandum, quin vehementer charitati ac justitiae repugnent.

1. Itaque cum mercatores conspirant de merce nonnisi certo pretio vendenda, atque hoc pacto cogunt emptores illo pretio emere, certum est apud omnes, si pretium illud summum justum excedat, peccare illos contra justitiam atque teneri de restitutione. Idemque valet si minis vel dolo alios prohibent ne minoris vendant. Ejusdem rationis est conspiratio, qua mercatores in emenda merce aliqua conveniunt, ne nisi certo pretio emant; ut nimirum alii res suas velut fruges ad comparandam pecuniam cogantur eo pretio vendere, quod ipsis ementibus placuerit. Quando vero conspirant in pretio justo summo, etsi quidam putent eos non peccare contra justitiam, probabilius tamen videtur eos adhuc non tantum contra charitatem, sed etiam contra justitiam peccare. Nam etsi cuilibet privatim liceat vendere res suas pretio summo, non tamen potest citra justitiae violationem conspiratione facta jus aliorum praepedire, quo possent emere pretio medio vel infimo. Et ea communis est sententia.

2. Peccant pariter contra justitiam atque ad restitutionem tenentur ex communiore, qui conspirando pretio vili colligunt merces, easque asservant, ut cum rariores videri coeperint, augeatur earum pretium, et alii cogantur ab iis emere majore pretio. Potest tamen mercator privatim merces suas servare in id usque tempus, quo vendentur carius.

Quia sic nulli facit injuriam, nec impedit, quo minus quisque apud alios emat, quo pretio poterit.

3. Peccant contra justitiam, atque ad restitutionem tenentur, qui vi aut dolo mercium importationem impediunt.

Quaeritur autem utrum mercator, qui non conspiravit in monopolium, possit eo pretio vendere, quod per monopolium auctum est.

R. Antequam ipsi monopolium innotuerit, id ei licitum esse. Posteaquam autem de monopolio rescivit, non amplius posse. Nam antea excusandus ratione ignorantiae, qui merces vendidit eo pretio quod justum videbatur. Posteaquam autem ei compertum est id pretium auctum esse, quia vi monopolii merces in speciem decreverint, cum tamen earum copia eadem maneat, sed penes eos, qui monopolium exercent collecta fuerit, nonnisi pretio vendere potest, quod ratione illius copiae justum censeatur.

Ad monopolii peccatum etiam pertinet, quod opifices conspirent, ne opus ab uno inchoatum alter perficiat; item quando artem Reip. necessariam aut percommodam ut ait Sylvius, vel nolunt docere, vel nonnisi ea conditione, ut non communicetur aliis, nisi filio vel nepoti.

CAPUT VI.

De vitio mercium quatenus in venditione aperiendo.

Triplex ratio vitii aut defectus in merce consideratur. Primus versatur circa rei speciem vel sustantiam, cum res una pro alia, vitrum pro gemma obtruditur. Alter circa quantitatem, puta si vendas mensura deficiente. Tertius circa qualitatem, velut si animal infirmum vendis ut sanum. Vitium insuper aliud est manifestum, aliud occultum. Item aliud est noxium, quo ementi periculum vel damnum creatur; aliud quod licet nec periculum nec damnum afferat, tamen ab emendo emptorem deterruisset, si cognitum ei fuisset; aliud quo res non inutilis redditur ad communes usus, tametsi aliquanto inde sit deterior. His posititis.

Generalis est conclusio D. Th. 2. 2. q. 77. a 2. vendere aut emere rem unam pro alia, vel non in debita mensura, ac rei qualitate illicitum est.

Hinc. 1. Si vendas rem pro re, vitrum pro gemma, non solum injusta sed plane nulla est venditio jure naturae. Nam defuit consensus ex ementis errore circa substantiam. Idem valet si tum emas quam gemmam esse agnoscis, ab homine illam pro vitro vel re vili vendente. At perinde ad restitutionem teneris.

Cum vero emptor ac venditor perinde ignorant naturam ac pretium rei, atque ita contrahunt, ut uterque in aequalem spem veniat lucri faciendi, et in aequale periculum faciendae jacturae, tum si contigerit ut venditor pluris vendiderit, aut emptor minoris emerit, censent doctores justitiam haud violari.

Hinc 2. Si venditor interrogetur de vitiis mercis, tenetur manifestare omnia occulta, quamvis mercem nec inutilem, nec damnosam reddant. Etenim dolum committere censetur, cum interrogatus non respondet sincere. Qui proinde dolus si fuerit antecedens, venditio saltem rescindibilis est. Si autem fuerit incidens, seu talis ut vitio cognito, adhuc emptor fuisset empturus, sed non tanti, venditor tenetur tantum de pretio restituere, quantum ille minoris juste emisset.

Hinc 3. Licet venditor non teneatur generatim loquendo monere emptorem de vitiis manifestis, quae ultro censentur incurrere in oculos, tamen si animadvertit vitium emptorem fugere, eo quod sit hebes, parum solers ac diligens, vel fidit venditori, tenetur indicare vitium alioquin manifestum. Quibus autem casibus non tenetur vitium manifestum prodere, semper tamen pretium minuere tenetur pro ratione vitii.

Hinc 4. Si mercis vitium occultum eam noxiam reddit, periculosam, vel etiam notabiliter minus utilem ad finem emptoris, tenetur venditor, si conscius vitii, manifestare illud emptori etiam non interroganti. Alias tenebitur pretium restituere et compensare damna, quorum ipse injusta fuit causa. Dictum est autem, si vitium ei notum fuit; nam si inculpabiliter ignoravit, tenebitur quidem vitio cognito aut contractum rescindere, aut excessum pretii restituere, non tamen alia damna inde secuta compensare; cum nulla adsit culpa lata aut levis.

Hinc 5. Venditor non interrogatus de vitio occulto rei, quod rem nec noxiam, nec periculosam, nec notabiliter inu-

tilem reddat, non tenetur aperire vitium occultum; tenetur tamen minuere pretium pro ratione vitii. Si autem praevideret rem ab emptore revendendam esse pluris quam justo pretio ob latens vitium, deberet monere; quia qui exponit rem venalem, providere debet, ne alii inde damna patiantur.

Hinc 6., ut notat Sylvius conclus. 8., peccant qui vinum aqua miscent, illudque tanti vendunt ac si esset purum. Quod si sic dilutum aeque vel melius sapiat emptori, etiam tunc est diminuendum de pretio; per accidens enim est, quod aeque sit gratum, cum alioquin non sit revera tanti aestimabile. Sed quaestio, inquit, manet de illis, qui rebus suis praestantibus ita miscent viliores, ut non sint minus bonae, quam quae ab aliis venduntur, atque ita vendunt illas pretio currente, vel etiam taxato per rempub. Respondet autem ejusmodi mercatores non videri obnoxios restitutioni, modo haec duo serventur; quod istae merces vere non fiant deteriores, quam quae ejusdem generis passim venduntur; et quod non excedatur vulgare earum pretium: sic enim nullum damnum importari videtur. Ab omni tamen peccato eos excusari non est dicendum. Tum quia non sincere agunt, sed fallunt emptores: tum quia sic adulterare merces in republica est odiosum. Si autem merces ita permixtas vendant velut puras, pretio nimium majore quam vendantur aliae, similes quidem, sed quae merito praesumuntur esse mixtae, et pro mixtis emuntur, manifesta est injustitia. Reliqua persequi, quae ad hoc contractus genus pertinent, non sinunt angustiae temporis.

CAPUT VII.

De pactis quibusdam et quaestionibus ad venditionem pertinentibus.

Generalis regula est, quotiescumque in venditione pretium merci ex aequo respondet, nullum onus alterutri contrahenti adjici posse, nisi aliunde justa compensatione levetur. Nam posteaquam emptor justum pretium pro merce, aut venditor aequalis valoris mercem pro pretio pactus est, si alterutri imponitur aliquod onus pretio aestimabile, jam cogitur dare plus quam valeat valor mercis, aut plusquam pre-

tio ex aequo respondeat. Quod est contra aequalitatem justitiae.

Quaeritur autem 1. Utrum venditioni adjicere liceat pactum retrovenditionis.

R. Id pactum spectari posse, ut additur in commodum aut venditoris tantum, aut emptoris, aut utriusque. Deinde quatenus ei pacto adjicitur aliqua temporis determinatio, velut si venditori fiat facultas redimendi usque ad certum tempus, quo elapso redimere amplius nequeat. Tandem quatenus additur determinatio pretii, ut scilicet emptor retrovendendo aequali pretio, vel majore aut minore vendat.

Pactum illud prout a venditore adjicitur generatim in se spectatum licitum esse, communis est sententia; probaturque quia vendtior utpote rei suae dominus et arbiter potest eam alienare, quibus ipse conditionibus voluerit, modo ne repugnent aequitati et juri. Jam non adversatur aequitati, ut qui rem suam vendit velut domum vel agrum, ejus redimendae potestatem retineat, modo vendat pretio justo pro valore rei et pro ratione oneris impositi emptori, quemadmodum non repugnat aequitati, ut per censum vendat quispiam alteri jus percipiendae annuae pensionis ex re aliqua sua frugifera, retenta facultate juris illius redimendi, reddito pretio emptori, seu censitori. Neque etiam id repugnat juri, ut ex l. 2. c. de pact. inter vend. et empt.

Neque vero hic contractus per se involvere censendus est foenoris iniquitatem, dispar est enim utriusque conditio. 1. In foenore mutuator jus retinet pecuniae repetendae. In hoc contractu non potest emptor pretium pro re empta repetere, sed jus manet penes venditorem rei venditae recuperandae. 2. In foenore mutuator qui rem frugiferam accipit in pignus, ita rei ejus fructus percipit, ut si res fortuito pereat, damno mutuatarii pereat. Contra emptor re empta cum pacto retrovenditionis fortuito pereunte, damnum ejus sustinet, nec pretium solutum repetere potest.

Neque obest cap. *Ad naturam* de emptione, et vendit. Nam praeterquamquod agitur eo capite de pacto in gratiam emptoris adjecto, id pactum erat praeterea certis conditionibus adstrictum, quae usuram continerent. Nam emptor domos, et olivas receperat vili admodum pretio, quod vix dimidium justi contingeret. Deinde pactus erat ne venditor ante septen-

nium, nec post novennium posset reddito pretio suas do-
mos, et olivas redimere; quo fiebat ut ad minus per septem
annos perciperet earum rerum fructus, et ante novennium sors
sua sibi redderetur, aut vilissimo pretio dominus rerum ven-
ditarum maneret. Ex quo patet emptionis titulo voluisse il-
lum verum mutuum exercere, pignore accepto frugifero, e
quo pretium pro mutuata pecunia perciperet.

Nunc quod attinet ad conditiones pretii, ac temporis prae-
finiendi, de pretio breviter dicere incipiemus. Ac primo qui-
dem satis patet venditorem de pretio justo aliquantum detra-
here oportere ob onus impositum emptori. Quantum autem
sit minuendum, non plane constat. Alii tertiam fere partem
dicunt. Ajunt alii cum Molina, pluribusque doctoribus, nul-
lam regulam generalem praefiniri posse, sed attentis circum-
stantiis, et prudentum aestimatione dimnutionem faciendam,
quod rectius dictum videtur.

At vero quaeritur, quo pretio ipsa revenditio fieri debeat;
atque imprimis quaeritur, num emptor majus pretium exi-
gere possit, quam ipse dederit. Tametsi nonnulli assentian-
tur, alii prorsus negant. Et quidem Benedictus XIV da sy-
nod. dioeces. l. 10. c. 8. docet, si cum emptor venditori fa-
cit facultatem rei venditae quandocumque voluerit redimen-
dae, ipse venditor gravetur onere eam redimendi majore pre-
tio, quam ipse vendiderit, contractum fore injustum: scilicet
ex parte emptoris, qui praeter aequalitatem justitiae plus exi-
git, quam dederit. Notandum autem quod habet de Lugo, id
posse fieri, si res vel ex melioratione intrinseca, vel ex va-
riatione pretii, plus putetur valitura tempore quo reddenda
est. Simul advertit cum Molina, si rem valentem nunc pre-
tio justo 12. emisti cum pacto retrovenditionis pro 10., et
postea tempore redemptionis valeat 15., non posse te pro
illa exigere 15., qui cogeres venditorem reddere etiam illa
duo supra 10., quae non accepit, sed oportebit te conten-
tum esse 13., quia sic accipies tria praeter id, quod dedi-
sti, et quantum scilicet fert incrementum, quo res interea
pretio est aucta.

Quod attinet ad tempus retrovenditionis faciendae, haec
habet Benedictus XIV loc. cit. *Si venditio fiat cum pacto re-
dimendi intra certum tempus, quo elapso, non sit amplius lo-
cus retrovenditioni, manifestam redolet usuram:* (scilicet in
emptore, in cujus gratiam coercetur in venditore facultas re-

dimendi) *Siquidem ejusmodi pactum efficit, ut contractus induat naturam pignoris, et quamvis non indueret naturam pignoris, adhuc a justitia deficeret, si obtentu pacti redimendi, venditio fieret infra limites justi pretii* (ut fieri debere supra observatum est) *neque haberetur ratio oneris impositi venditori fundum redimendi intra certum tempus, quo nequeat illum pro suo libito, eodemque pretio recuperare, de qua re legendus est Leotardus qu.* 15.

Praeterea pergit sapientissimus pontifex: *Si pactum redimendi hoc lege ineatur, ut non liceat venditori fundum redimere, nisi post praefiniti temporis, puta duorum, aut decem annorum intervallum, non carebit praesumptione usurae; quoniam ex ea temporis praefinitione fas est conjicere interim voluisse lucrari ex mutuo, et usuram ficta fundi emptione palliare.*

Sequitur, ut breviter dicamus de venditionis ejus ac retrovenditionis ratione, quae contractus Mohatra hispana voce dici solet. Haec porro est ineundi ejus contractus ratio. Titius volens numeratam pecuniam parare, credito emit a Sempronio mercem aliquam pretio majore, etiam justo, velut centum ulnas panni, pro centum quinque aureis; quos solvere se obligat post certum aliquod tempus, velut post annum. Deinde illas centum ulnas statim eidem Sempronio revendit, qui eas emit numerata pecunia, sed pretio minore, etiam justo, velut infimo, pro 96. aureis. Itaque hoc pacto Titius accipit a Sempronio 95. aureos numeratos, simulque obstrictus eidem post praefinitum tempus reddere 105. Talem contractum per ambages venditionis, ac revenditionis desinere in mutuum foeneratitium, quo Sempronius pro mutuata pecunia 95. aureorum lucrum aliquod exigit a Titio praeter sortem, perspicuum est. Hunc porro contractum expresse damnavit Innocentius XI propos. 40. *Contractus mohatra licitus est, respectu ejusdem personae, et cum contractu retrovenditionis praevie inito cum intentione lucri.*

Quaeritur 2. De pacto legis commissoriae, quo nempe res ea lege venditur, ut nisi emptor praestituto tempore pretium solvat, contractus sit irritus. Licitum id esse convenit, de quo jam pauca diximus, ubi de usuris. Idem sentiendum de pacto adjectionis in diem, quo nempe venditio fit ea conditione, ut si alius emptor occurrit majore pretio vel me-

liore conditione empturus, rescindatur prior venditio. Interea fructus medio tempore percepti, venditoris sunt, si expressum est disertis verbis venditionem nullam esse, usque ad diem adjectam: Si vero venditio non fuit conditionata, sed absoluta, tamen dissolubilis, vi pacti adjuncti, tunc sicut res stat periculo emptoris, ita ejus esse debent fructus percepti.

Quaeritur 3. Cui debeatur res, quae pluribus seorsum vendita fuit.

R. Si res nondum est tradita, deberi primo emptori. Quippe prior in tempore potior est jure, ex reg. 54. juris in 6. Si vero tradita est etiam 2. vel 3. emptori, ejus est, qui accepit: L. *Quoties* C. de rei vindicat. Excipe nisi prior emptor sit privilegiatus, aut specialem in re illa hypothecam habuerit; ex L. *Si Creditor* §. *Qui priores in pignore*: aut si sequens emptor conscius fuit primae venditionis, quippe tum emit mala fide.

Quaeritur 4. An is, cui aliquid vendendum, vel emendum committitur, possit aliquid sibi de pretio retinere.

R. 1. Qui rem alienam vendendam praestituto etiam pretio assumit; si quid plus justo pretio accepit, teneri excessum laeso emptori restituere; si plus pretio sibi constituto, etsi non ultra limites justi, teneri excessum ei reddere, a quo rem vendendam accepit. Nec enim talem excessum ullo legitimo titulo sibi vindicare potest; non titulo rei venditae, quippe quae sua non est, non titulo industriae, quippe vel ob hanc merces ipsi est constituta, eaque contentus esse debet, vel gratis onus assumpsit, tumque manifestum est, nihil ob eam exigere ipsum posse. Neque officit pretium sibi fuisse praestitutum, ex hoc enim non sequitur, ut si plus vendit, excessum valeat sibi retinere; sed solum, ut non minus vendere debeat. Excipitur vero, nisi rei dominus omnem excessum vendenti expresse concedat, aut si venditor ipse extraordinariam adhibuit diligentiam, ut si jussus vendere in hac urbe, in aliam migraverit, in qua carius venderet, modo ne ad hanc diligentiam conductus fuerit, aut mandatum acceperit. Idem dicendum, si rem industria sua nequaquam debita meliorem effecerit.

R. 2. Eadem aequitate incedere debere, qui rei emendae curam ab alio suscipit. In hanc porro peccant, et restitutione tenentur sartores, qui de panno empto, aut de pretio quic-

quam sibi retinent, hoc titulo, quod minoris emant a mercatoribus, qui censentur ipsis de pretio aliquid condonare, vel titulo perditi temporis, adeoque lucri cessantis; cum ipsi gratis et ultro se offerunt, aliis sartoribus praeferantur; maxime vero si condonatio fingatur, quae nulla fuerit. Certe nisi de vera donatione constat, quidquid emolumenti ex emptionibus sibi comparant, injustum censendum est.

Cui demandata est rei alicujus emptio, et venditio, potest quidem rem sibi emere, et eam deinceps majore pretio vendens, excessum sibi retinere, sed hanc artem, quam speculative, ac per se non injustam ajunt doctores, in praxi tamen minime consulendam, aut adhibendam censent, propter pericula inde imminentia.

CAPUT VIII.

Utrum, et quemadmodum negotiatio sit licita.

Triplex negotiationis latius acceptae genus distinguitur. Prima ex D. Th. 2. 2. qu. 77. a. 4. fit, cum res pro re, aut pro pecunia commutatur ad necessitatem vitae: eaque proprie non est negotiatio, sed commutatio naturalis, et necessaria, quae proprie non pertinet ad negotiatores, sed magis ad oeconomicos, et politicos, quorum est vel familiae, vel civitati providere de rebus necessariis ad vitam. Altera est, qua res in melius mutata carius venditur, ex eodem ad 1. Tertia qua res non mutata sic emitur, ut pluris vendatur propter lucrum. Et haec proprie videtur ad negotiatores pertinere. Quare a Sylvio negotiatio definitur rerum pro rebus, aut pro pecunia commutatio ordinata ad lucrum. Qua definitione proinde quandoque comprehendi potest ea commutatio, qua res in melius mutata carius venditur.

Negotiationem licite exerceri posse probatur ex doctrina D. Th. eod. art. Lucrum, quod est negotiationis finis, etsi in sui ratione non importet aliquid honestum, vel necessarium, nihil tamen importat de sui ratione vitiosum, vel virtuti contrarium. Unde nihil prohibet lucrum ordinari ad aliquem finem necessarium, vel etiam honestum, et sic negotiatio licita reddetur. Sicut cum aliquis lucrum moderatum, quod negotiando quaerit, ordinat ad domus suae sustentationem, vel etiam ad subveniendum indigentibus. Vel etiam cum aliquis

negotiationi intendit propter publicam utilitatem, ne scilicet res necessariae ad vitam patriae desint, et lucrum expetit, non quasi finem, sed quasi stipendium laboris. Porro testimonia, quae contra possunt afferri, probant negotiatione multis periculis injustitiae mercatores exponi, non quidem immediato vitio negotiationis, quasi per se proximam peccandi occasionem contineat, sed cupiditate negotiantium, lucrum avidius sectantium. Sed haec testimonia singillatim expendere non vacat.

Clericis vero, ac religiosis speciatim interdicta est negotiatio. Nam, ut docet Benedictus XIV de synod. dioeces. l. X. c. 6., nihil est antiquius in Ecclesia, lege clericis interdicente omnem saecularem curam, et quaestuosam negotiationem, quo liberius possint orationi vacare, et ad ecclesiastica, quibus addicti sunt, ministeria incumbere, quod pluribus deinceps monumentis docte comprobat. Sic Hierony. relatus in can. 9. distinct. 88. *Negotiatorem clericum, et ex inope divitem, ex ignobili gloriosum, quasi quamdam pestem fuge.* Alexander III sub interminatione anathematis prohibet, ne monachi, vel clerici causa lucri negotientur.

Hinc clericos in clericali statu viventes, et religiosos professos negotiationi vacantes mortaliter peccare censendum est; quandoquidem anathematis poena mortalem culpam supponit. Utrum autem mortaliter peccent, etiamsi semel tantum, aut iterum negotientur, secluso scandalo, et ante monitionem, non una est sententia, ut videre est apud Lugo.

Diu vero dubitatum est, num saltem per alios clerici possent quaestuosae negotiationi operam navare. Sed, inquit Benedictus XIV cit. loco, supervacaneum est pluribus de hac quaestione disserere, utpote quam ipse literis suis apostolicis die 25. Februarii 1741 definivit, declarans nullam negotiationem alias clericii prohibitam posse ab iisdem sub alieni nominis velamine exerceri, eique etiam per alios operam dantes obnoxios fecit poenis, quae a sacris canonibus, constitutionibusque apostolicis statutae sunt contra clericos negotiatores.

Sunt tamen, ut ipse idem docet, species negotiationis improprie talis, clericis minime interdictae; praecipua est, qua quis manuum suarum labore et honesto artificio victum sibi comparare studet. Quam approbavit S. Paulus act. 20. *Ipsi scitis, quoniam ad ea, quae mihi opus erant, et his qui me-*

cum sunt, ministraverunt manus istae. Ad cujus sanctissimi apostoli imitationem, plerique Venerabiles Antistites et sacerdotes susceptae divini verbi praedicationi, sacrisque ecclesiae ministeriis externam manuum operam adjungebant, quae nec a dignitate ipsorum, nec ab ecclesiae cura, quam perpetuam gerebant, abhorreret, eaque ratione cum sibimetipsis vitae subsidiâ parabant, cum aliis egentibus operis sui quaestum impertiebantur, sicuti narrat Epiphanius Haeresi 80. n. 6., multisque constat ecclesticae historiae monumentis.

Altera impropriae negotiationis species, idem ait, clericis permissae est vendere res ex propriis praediis collectas, suaeque sustentationi superfluas. Licitum quoque esse ecclesiasticis e rebus ad propriam, et familiae sustentationem coemptis, quae supersunt, etiam carius vendere, modo justi pretii non praetergrediantur limites, jure tradi ait a quibusdam doctoribus quos laudat, inter quos Rebellus de oblig. justit. p. 2. qu. ult. n. 2. Molina de Justit. disput. 342. conclus. 2. Ac demum caetera, quae absque verae negotiationis nota clericis exerceri queunt, eosdem auctores enucleate explicare; ad quos proinde clericis pro accuratiore totius hujus rei cognitione remittendos ducimus.

Gravissime demum in proprii status dignitatem et officium delinquere censendi, qui posthabitis ecclesiae sanctionibus, secularium negotiorum pro aliis gerendorum curam suscipiunt. Quod vetat concil. Carthag. 3. *Placuit, ut episcopi, et presbyteri, et diaconi, vel clerici, non sint conductores, neque procuratores privatorum, neque ullo turpi, vel inhonesto negotio victum quaerant: quia respicere debent scriptum esse: nemo militans Deo, implicat se negotiis secularibus.* Patres vero concilii calcedonensis can. 3. molestissime se audivisse aiunt, *quod quidam qui in clero videntur allecti, propter lucra turpia, conductores alienarum possessionum fiant, et secularia negotia sub cura sua suscipiant.* Idque fieri eodem canone vetant. Alia in hanc rem accommodatissima testimonia profert sapientissimus pontifex, quae brevitatis studio praeterire cogimur.

FINE DEL VOLUME SETTIMO.

INDICE

DELLE

OPERE CONTENUTE IN QUESTO SETTIMO VOLUME



FINE DELL' INDICE DEL VOLUME SETTIMO.





